This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Digitized by Google

WIDENER
HN HJYH +

C 9395.67

Harvard College
Library

FROM THE BEQUEST OF
JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE, MASS.
CLASS OF 1862

Digitized by Google

343/25

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MISSAE PROPRIAE

insignis Ecclesiae

1271

CLAROMONTENSIS

a SS. D. N. PIO PP. X.

APPROBATAE

AC DE MANDATO ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

DD. Petri-Mariae BELMONT

EPISCOPI CLAROMONTENSIS

EDITAE.



ROMAE-TORNACI-PARISIIS.

Typis Societatis S. Joannis Evangelistae

DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.

S. SEDIS APOST. ET S. RITUUM CONGREG. TYPOGRAPHI.

1906

Digitized by Google

Digitized by Google



Petrus-Maria Belmont,

DEI GRATIA ET SANCTAE SEDIS APOSTOLICAE AUCTORITATE

EPISCOPUS CLAROMONTENSIS,

SACRO PALLIO INSIGNITUS,

Omnibus praesentes litteras visuris, Salutem in Domino.

OFFICIA propria nostrae Dioecesis una cum Kalendario, juxta exemplar S. R. Congregationis Decreto IIª Septembris 1862 approbatum et nuper ejusdem Congregationis Decreto 6ª Decembris 1905 reformatum typis mandari curavimus.

Quapropter, juxta Constitutiones SS. PP. Pii V, Clementis VIII, et Urbani VIII. discretis viris Henrico DESCLÉE, LEFEBVRE et SOCIIS Typographis curam commisimus Proprium et Kalendarium secundum exemplar a S. R. C. adprobatum typis mandandi, sive seorsim a Breviario et Missali cudenda, sive appendicis instar iisdem adjicienda.

Cum autem certiores facti fuerimus exemplaria a praelaudatis Desclée et sociis edita perfecte cum autographo romano adprobato concordare, mandamus ac praecipimus ut a prima die proxime futuri mensis Januarii, juxta tenorem hujusce Proprii, omnes et singuli de Clero Nostro hujus civitatis et dioeceseos Claromontensis in sacris Ordinibus constituti, divinum Officium tam publice quam privatim recitent, omnesque presbyteri non exclusis regularibus sive extraneis in ecclesiis utcumque publicis sacra facientibus, Missas sive privatas sive solemnes celebrent.

Datum Claromonti, ex aedibus Nostris, sub signo sigilloque Nostris, necnon Cancellarii Curiae Nostrae subscriptione, in Festo Assumptionis Beatae Mariae Virginis, die 15 Augusti, anno Domini 1906.

L. † S. ✠ Petrus-Maria, Episcopus Claromontensis.

De mandato Illmi ac Rvmi Episcopi Claromontensis.

J. BRUNEAU, Can., Vic. gen.

Digitized by Google

C 9395.67

HARVARD COLLEGE LIBRARY
TREAT FUND
CHARTRAND COLLECTION
JUNE 8, 1928

CLAROMONTENSIS.

Rmi Capituli et Cleri Claromontensis Ecclesiae iampridem erat in votis, ut plura Officia in honorem Sanctorum, quos maiori vel peculiari devotionis studio prosequuntur Christifideles, Kalendario ac Proprio in usum eiusdem Dioeceseos legitime insererentur. Eiusmodi itaque votis libentissime obsecundans Rmus Dñus Petrus Maria Belmont, Episcopus Claromontensis nacta occasione Officia propria ipsiusmet Dioeceseos typis iterum edendi, Kalendarium insimul iuxta recentiora Rubricarum placita ac novissima Sedis Apostolicae decreta reformandum curavit, illudque una cum Proprio Officiorum et Missarum supremae sanctioni Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X humiliter subiecit. Quum vero de mandato Eiusdem Ssmi Dñi Nostri, exhibitum Kalendarium Sacrorum Rituum Congregatio iuxta praefinitas regulas sedulo expenderit, ac probari posse censuerit una cum Proprio Officiorum et Missarum ad usum memoratae Dioeceseos sub modo tamen ac forma quibus ea prostant in suprascripto exemplari; Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis, ab infrascripto Cardinali Pro-Praefecto relatam, ratam habens, idem Kalendarium cum utroque Proprio a Clero saeculari totius Claromontensis Dioeceseos, nec non a Regularibus Familiis ibidem Kalendario Dioecesano utentibus, tam in Horis Canonicis persolvendis, quam in Sacro litando in posterum servari mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 6 Decembris 1905.

A. Card. TRIPEPI *Pro-Praef.*

L. † S.

† D. Panici *Archiep. Laodicen., Secret.*

Digitized by Google

MISSAE PROPRIAE
INSIGNIS ECCLESIAE CLAROMONTENSIS.

Dominica III.
post Epiphaniam.
Sanctae Familiae
Jesu, Mariae, Joseph.
Ut inter Festa pro aliquibus locis.
In casu impedimenti hoc Festum celebratur die prima libera.

Feria III.
post Domin. Septuages.
Orationis D. N. J. C.
Ut inter Festa pro aliquibus locis.

Feria III.
post Domin. Sexages.
In Commemoratione
SS. Passionis D. N. J. C.
Ut inter Festa pro aliquibus locis.

Feria VI.
post Cineres.
SS. Spineae Coronae D. N. J. C.
Ut inter Festa pro aliquibus locis.

Feria VI.
post Domin. I. Quadrag.
SS. Lanceae et Clavorum
D. N. J. C.
Ut inter Festa pro aliquibus locis.

Feria VI.
post Domin. II. Quadrag.
SS. Sindonis D. N. J. C.
Ut inter Festa pro aliquibus locis.

Feria VI.
post Domin. III. Quadrag.
SS. Quinque Vulnerum
D. N. J. C.
Ut inter Festa pro aliquibus locis.

Feria VI.
post Domin. IV. Quadrag.
Pretiosissimi Sanguinis
D. N. J. C.
Ut inter Festa pro aliquibus locis.

Digitized by Google

Dominica III. Maii.

In Civitate Claromontensi

Beatae Mariae de Portu.

Introitus. Judith 13.

BEnedíctus Dóminus; quia hódie nomen tuum ita magnificávit ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in aetérnum. (T. P. Allelúia, allelúia.) Ps. 46. Deus noster refúgium et virtus; adjútor in tribulatiónibus quae invenérunt nos nimis. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus qui beátam Maríam Fílii tui Genitrícem nobis mirae misericórdiae matrem esse voluísti : praesta quaesumus; ut ejus benefícia humíliter recoléntes in terris, ipsa duce, ad aetérnae salútis portum pervenire mereámur in coelis. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commem. Dominicae occurr. et legitur ejusdem Evangelium in fine.

Léctio libri Sapiéntiae. Cap. 6.

CLara est, et quae nunquam marcéscit sapiéntia, et fácile vidétur ab his qui díligunt eam, et invenítur ab his qui quaerunt illam. Praeóccupat qui se concupíscunt, ut illis se prior osténdat. Qui de luce vigiláverit ad illam, non laborábit : assidéntem enim illam fóribus suis invéniet. Cogitáre ergo de illa, sensus est consummátus : et qui vigiláverit propter illam, cito secúrus erit. Quóniam dignos se ipsa círcuit quaerens, et in viis osténdit se illis hiláriter, et in omni providéntia occúrrit illis.

Graduale. Ps. 64. Beátus quem elegísti et assumpsísti; inhabitábit in átriis tuis. ℣. Replébimur in bonis domus tuae : sanctum est templum tuum.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 44. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis; mémores erunt nóminis tui in omni generatióne et generatiónem. Allelúia.

Temp. Pasch. omittitur Graduale et ejus loco dicitur :

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 44. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis; mémores erunt nóminis tui in omni generatióne et generatiónem. Allelúia. ℣. Ps. 84. Dóminus dabit benignitátem, et terra nostra dabit fructum suum.

Sequentia.

QUotquot incólitis fines Limaníae,
Quotquot accúrritis ad aras Maríae,
Laetis pláudite cántibus.
Clamántum in aede hac subterránea
Natórum gémitus profert ad aethera
Mater cara mortálibus.
Casúris pátribus fame lethífera
Avis cadéntibus lue pestífera
Subvénit coelo cónsidens.
Aras ditántibus, quot salutária
Dona, cliéntibus quot patrocínia
Largítur Deum póssidens!
Si coeli férrei suum negent rorem,
Si stériles agri diram parent famem,
Imágo sacra dúcitur.
Exsultatióne accingúntur colles,
Desérta pinguéscunt, mox fruménto valles
Abúndant, dum procéditur.
O Virgo vírginum! o Mater grátiae!
Quae tota rútilas lúmine glóriae.
Nos dírige, nos íncita.
O Regína! coelis causa laetítiae,
Aufer a míseris causam misériae
Deum flecte, nos vísita.
Amen. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. C. 1.

IN illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilaeae, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam dixit : Ave grátia plena : Dóminus tecum; benedícta tu in muliéribus. Quae cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei : Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum : ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus : et regnábit in domo Jacob in aetérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum : Quómodo fiet istud,

Digitized by Google

quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus dixit ei : Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua : et hic mensis sextus est illi, quae vocátur stérilis; quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María : Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. Credo.

Offertorium. Ps. 75. Cogitátio hóminis confitébitur tibi, et relíquiae cogitatiónis diem festum agent tibi. Vovéte, et réddite Dómino Deo vestro omnes qui in circúitu ejus affértis múnera. (T. P. Allelúia.)

Secreta.

ADsit nobis Dómine Spíritus ille tuus, quo obumbránte, beáta Virgo María, et Unigéniti tui et ómnium nostrum effécta est Mater; ut ad grátiam, ejus intervéntu, renáti, ad glóriam, eádem mediánte, nascámur. Per eúmdem.

Praef. de B. M. V. Et te in festivitáte.

Communio. 1 Reg. c. 2. Exsultávit cor meum in Dómino, quia laetáta sum in salutári tuo. (T. P. Allelúia.)

Postcommunio.

PIgnus amóris, Dómine, quo páscimur, intercedénte Dei genítrice Vírgine María, det nobis in tuo servítio perseverántiam : ut qui fílii sumus adoptiónis, fílii resurrectiónis esse mereámur. Per eúmdem.

Feria VI.

post Octavam SS. Corporis Christi.

In Festo SS. Cordis Jesu.

Missa. Egredímini, ut inter Festa pro aliquibus locis.

Dominica I. non impedita

post Octavam SS. Apost. Petri et Pauli.

Commemoratio omnium Ss. S. Romanae Eccles. Summorum Pontificum.

Ut inter Festa pro aliq. locis eadem Dominica.

Dominica

post Octavam Assumptionis.

Purissimi Cordis B. M. V.

Ut inter Festa pro aliqu. locis eadem Dominica.

Dominica I. Septembris.

Omnium Sanctorum Episcoporum aliorumque Sanctorum Ecclesiae Claromontensis.

Introitus. Hebr. 12.

ACcessístis ad civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem coeléstem, et Ecclésiam primitivórum, qui conscrípti sunt in coelis. Psalm. 47. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis : in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

TRíbue, quaesumus, omnípotens Deus, omnes Sanctos, quos nostra fervéntius venerátur Ecclésia, júgiter oráre pro nobis, eósque semper cleménter audíri : ut quorum intuémur éxitum conversatiónis, fidem imitémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapientiae.

Eccli. 44. 1-16.

LAudémus viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a saeculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua praediti, nuntiántes in Prophétis dignitátem Prophetárum, et imperántes in praesénti pópulo, et virtúte prudéntiae pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina Scripturárum. Hómines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes : pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suae glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum. Et sunt quorum non est memória : periérunt quasi qui non fúerint : et nati sunt, quasi non nati, et

Digitized by Google

fílii ipsórum cum ipsis. Sed illi viri misericórdiae sunt; quorum pietátes non defuérunt : cum sémine eórum pérmanent bona; haeréditas sancta nepótes eórum et in testaméntis stetit semen eórum, et fílii eórum propter illos usque in aetérnum manent. Semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Graduale. Ps. 33. Timéte Dóminum, omnes Sancti ejus : quóniam nihil deest timéntibus eum. ℣. Inquiréntes autem Dóminum non defícient omni bono.

Allelúia, allelúia. ℣. I. Joan. 3. Cum Deus apparúerit, símiles ei érimus; quóniam vidébimus eum sícuti est.

Sequentia.

HÆC dies Sanctis dicáta,
Mixta coeli gáudiis
Laeta currat, et solémni
Pérsonet melódia.
Pródigi vitae, cruóre
Purpuráti, Mártyres,
Auspicáti morte vitam,
Pace gaudent pérpeti.
Turba sacra Confiténtum,
Cum Levítis Praesules,
Saeculi luxu rejécto,
Perfruúntur glória.
Pompa nuptiális, Agno
Consecrátae Vírgines,
Líliis, rosísque Sponsum
Æmulántur prósequi.
Coelites o vos beáti,
Quos Deus felícitat,
Súpplicum votis adéste,
Et favéte sínguli;
Ut Deo cum sanctitáte
Serviámus súbditi,
Glóriae posthac futúri
Quam tenétis cómpotes.
Amen. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 5. 1.

IN illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus : et apériens os suum, docébat eos, dicens : Beáti páuperes spíritu : quóniam ipsórum est regnum coelórum. Beáti mites : quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent : quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt et sítiunt justítiam : quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes : quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici : quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam : quóniam ipsórum est regnum coelórum. Beáti estis cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in coelis. Credo.

Offertorium. Apoc. 8. Data sunt Angelo incénsa multa, ut daret de oratiónibus Sanctórum ómnium super altáre áureum, quod est ante thronum Dei : et ascéndit fumus incensórum de oratiónibus Sanctórum coram Deo.

Secreta.

PLacábilem te nobis reddat, Dómine, et praesens oblátio, et ómnium intercéssio nostrae Ecclésiae Sanctórum : ut illórum qui jam de sua immortalitáte secúri, adhuc de nostra salúte sunt sollíciti, concíves esse mereámur. Per Dóminum.

Communio. Apoc. 6. Occísus es, Dómine, et redemísti nos in Sánguine tuo ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne; et fecísti nos Deo nostro regnum et sacerdótes.

Postcommunio.

DOmine, Deus omnípotens, quem unum sanctum adorámus; fac nos in Ecclésiae triumphántis communióne colléctos; et sanctificatiónem in timóre perfícere, et ex hac coelésti mensa ad perénne transíre convívium. Per Dóminum.

Dominica II. Octobris.

Maternitatis B. M. V.

Ut inter Festa pro aliquibus locis.

Digitized by Google

Dominica III. Octobris.

Puritatis B. M. V.

Ut inter Festa pro aliquibus locis.

Domin. IV. Octobris.

Patrocinii B. M. V.

Ut inter Festa pro aliquibus locis.

Dominica

infra Octav. Omnium Sanctorum.

S. Austremonii

Episc. et Mart., Arvernorum Apostoli.

Introitus. Psalm. 95.

ANnuntiáte inter Gentes, quóniam magnus Dóminus super omnes deos; quóniam omnes dii Géntium, daemónia : Dóminus autem coelos fecit. Psalm. ibid. Cantáte Dómino cánticum novum : cantáte Dómino omnis terra. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEus, qui nos de ténebris in admirábile lumen tuum, beáti Austremónii Mártyris tui atque Pontíficis praedicatióne vocáre dignátus es : da nobis ejus méritis et précibus, ita digne Evangélio Christi conversári; ut eam, quam, te miseránte, suscépimus fidem, sanctis óperibus confitéri valeámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Fit commem. Dominicae tantum.

Léctio Epistolae beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

I. Thessal. 2. 2.

FRatres : Fidúciam habúimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo, sed sicut probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis Evangélium, ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis; neque in occasióne avarítiae, Deus testis est; nec quaeréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis, neque ab áliis. Cum possémus vobis óneri esse ut Christi Apóstoli, sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos, cúpide volebámus tráde re vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, quóniam caríssimi nobis facti estis. Mémores enim estis, Fratres, labóris nostri et fatigatiónis : nocte et die operántes, ne quem vestrum gravarémus, praedicávimus in vobis Evangélium Dei. Vos testes estis et Deus, quam sancte, et juste, et sine queréla, vobis qui credidístis, fúimus : sicut scitis, quáliter unumquémque vestrum (sicut pater fílios suos) deprecántes vos et consolántes testificáti sumus, ut ambularétis digne Deo, qui vocávit vos in suum regnum et glóriam. Ideo et nos grátias ágimus Deo sine intermissióne : quóniam cum accepissétis a nobis verbum audítus Dei, accepístis illud non ut verbum hóminum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operátur in vobis qui credidístis.

Graduale. II. Corinth. 1. Glória vestra sumus, sicut et vos nostra, in die Dómini nostri Jesu Christi. ℣. I. Corinth. 4. In Christo Jesu, per Evangélium, ego vos génui. Rogo vos, imitatóres mei estóte, sicut et ego Christi.

Allelúia, allelúia. ℣. I. Corinth. 2. Deo grátias, qui triúmphat nos in Christo Jesu, et odórem notítiae suae maniféstat per nos.

Sequentia.

ARvérna Gens, mente laeta,
Prome cantus die ista
In laudem Stremónii.
Hic te primus informávit
Vera fide, primus pavit
Verbo Evangélii.
Missus a Romána Sede
Ad te volat; et repénte
Nova fiunt ómnia.
Plebs, quae prius sine Deo,
Redemptóre gaudet Christo,
Jam fidélis et pia.
Quos ludébat stultus error,
Quos tegébat noctis horror,
Hi sunt lux in Dómino.

Digitized by Google

Ubi vepres et spinéta,
Ibi surgit seges multa,
Rigánte Stremónio.
Christe, quem sub hoc Pastóre
Patres nostri coluére
Fide et virtútibus;
Quorum fidem profitémur,
Fac et mores imitémur,
Placéntes in ómnibus;
Ut coróna quam in coelis
Tuis parásti eléctis,
Mereámur pérfrui.
Amen. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 16. 15.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, praedicáte Evangélium omni creatúrae. Qui credíderit, et baptizátus fúerit salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos qui credíderint, haec sequéntur : In nómine meo daemónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent; et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit; super aegros manus impónent, et bene habébunt. Credo.

Offertorium. Isaiae 61. Vos sacerdótes Dómini, minístri Dei nostri, dicétur vobis : Fortitúdinem géntium comedétis, et in glória eárum superbiétis.

Secreta.

BEnedíctio tua, Dómine, super haec múnera nostra descéndat, quae majestáti tuae pro triúmpho sancti Austremónii Mártyris tui atque Pontíficis offérimus : humíliter deprecántes; ut cujus ministério fidem accépimus, ejus intercessióne ex fide vivámus. Per Dóminum.

Praefatio propria.

Communio. Ephes. 2. Erátis sine Deo in hoc mundo; nunc autem in Christo Jesu, vos, qui aliquándo erátis longe, facti estis prope, in Sánguine Christi.

Postcommunio.

DEus, qui beáti Austremónii Mártyris tui atque Pontíficis ministério, eam nobis grátiam contulísti, ut ex infidélibus fidéles, ex peccatóribus justi efficerémur : adésto opéribus tuis, adésto munéribus; ut quibus inest fídei justificátio, non desit fídei fortitúdo. Per Dóminum.

Evangelium Dominicae in fine.

Dominica I. post Octavam Omnium Sanctorum.

Dedicatio Omnium Ecclesiarum Diœcesis Claromontensis.

Missa. Terríbilis. de Communi cum commem. Oct. S. Austremonii et Domin. cujus in fine dicitur Evangelium.
Credo. et Praefatio S. Austremonii.

Dominica II. post Octavam Omnium Sanctorum.

Octava Dedicationis Omnium Eccles. Dioec. Claromontensis.

Missa. Terríbilis. de Communi cum comm. Dominicae, cujus in fine dicitur Evangelium.

Festa fixa.

Die 27. Novembris.

Manifestationis Immaculatae Virg. Mariae a Sacro Numismate.

Ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 28. Novembris.

Ss. Vitalis et Agricolae Mm.

Introitus. Eccli. 44.

SApiéntiam sanctórum narrent pópuli, et laudes eórum núntiet ecclésia : nómina autem eórum vivent in saeculum saeculi. Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino : rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio.

PRaesta, quaesumus omnípotens Deus : ut, qui sanctórum Mártyrum tuórum Vitális et Agrícolae solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

In Adventu fit comm. Feriae.

Digitized by Google

Léctio Epístolae beáti Pauli Apóstoli ad Hebraeos. Hebr. 10. f

FRatres : Rememorámini prístinos dies, in quibus illumináti, magnum certámen sustinuístis passiónum : et in áltero quidem oppróbriis, et tribulatiónibus spectáculum facti : in áltero autem sócii táliter conversántium effécti. Nam et vinctis compássi estis, et rapínam bonórum vestrórum cum gáudio suscepístis, cognoscéntes vos habére meliórem, et manéntem susbtántiam. Nolíte ítaque amíttere confidéntiam vestram, quae magnam habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis necessária est : ut voluntátem Dei faciéntes, reportétis promissiónem. Adhuc enim módicum aliquántulum, qui ventúrus est, véniet, et non tardábit. Justus autem meus ex fide vivit.

Graduale. Ps. 123. Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium. ℣. Láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus : adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit coelum et terram.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 67. Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei : et delecténtur in laetítia. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6. c

IN illo témpore : Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judaea, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quaerébat eum tángere : quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse elevátis óculis in discípulos suos, dicébat : Beáti páuperes : quia vestrum est regnum Dei. Beáti, qui nunc esurítis : quia saturabímini. Beáti, qui nunc fletis : quia ridébitis. Beáti éritis cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte : ecce enim merces vestra multa est in coelo.

Offertorium. Ps. 149. Exsultábunt sancti in glória, laetabúntur in cubílibus suis : exaltatiónes Dei in fáucibus eórum, allelúia.

Secreta.

OBlátis, quaesumus Dómine, placáre munéribus : et, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Vitále et Agrícola, a cunctis nos defénde periculis. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Dico autem vobis amícis meis : Ne terreámini ab his, qui vos persequúntur.

Postcommunio.

HÆC nos commúnio, Dómine, purget a crímine : et intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Vitále et Agrícola, coeléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Die 29. Novembris.

S. Stanislai Kostkae Conf.

Ut inter Festa pro aliqu. locis die 13. hujus.

Et fit comm. (Feriae in Adventu) Vigiliae ac S. Saturnini Mart. ut in Missali hac die.

In fine Missae legitur Evangel. Vigiliae.

Die 1. Decembris.

S. Eligii

Episc., Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. secundo loco.

In Adventu fit commem. Feriae.

Die 5. Decembris.

S. Didaci

Confessoris.

Omnia ut in Missali die 13 Novembris, cum comm. Feriae ac S. Sabbae Abbat.

Die 9. Decembris.

S. Necterii

Confessoris.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. cum commem. Octavae et Feriae.

Digitized by Google

Die 10. Decembris.

Translatio Almae Domus B. Mariae V.

Ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 18. Decembris.

Exspectationis Partus B. M. V.

Ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 19. Decembris.

Beati Urbani V.

Papae, Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Communi Confessoris Pontificis ij. loco, praeter Orationes sequentes.

Oratio.

DEus, qui ad tuénda fórtiter Sedis Apostólicae jura, fidémque cathólicam late propagándam, beátum Urbánum, Confessórem tuum atque Pontíficem constántia roborásti : fac nos ipsíus praesídiis adjútos ita militánti Ecclésiae servíre;ut triumphánti consociári mereámur. Per Dóminum.

Et fit commem. Feriae.

Secreta.

REspice, Dómine, múnera quae in beáti Urbáni Confessóris tui et Pontíficis commemoratióne deférimus : ut ejúsdem méritis et medélam nobis operéntur, et glóriam. Per Dóminum.

Postcommunio.

SAcraménta quae súmpsimus, Dómine Deus noster, illam nobis fidem innútriant : quam et apostólica dócuit praedicátio, et beáti Urbáni Confessóris tui atque Pontíficis sollicitúdo custodívit. Per Dóminum.

Die 22. Decembris.

S. Venerandi

Episc., Conf.

Introitus. Jerem. 3.

DAbo vobis Pastóres juxta cor meum, et pascent vos sciéntia et doctrína. Ps. 77. Atténdite, pópule meus, legem meam : inclináte aurem vestram in verba oris mei. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui beátum Venerándum Confessórem tuum atque Pontíficem, pópulo tuo praeésse et verbo atque exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte; pastóres Ecclésiae tuae cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis aetérnae. Per Dóminum.

Et fit commem. Feriae.

Léctio Epistolae beáti Pauli Apóstoli ad Hebraeos. Hebr. 13.

FRatres : Mementóte praepositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri, et hódie:ipse et in saecula. Doctrínis váriis et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis, quae non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per Pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, idest fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiae autem, et communiónis nolíte oblivísci : tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte praepósitis vestris, et subjacéte eis. Ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

Digitized by Google

Graduale. Eccli. 45. Excélsum fecit eum Deus, et státuit ei testaméntum aetérnum, et dedit illi Sacerdótium gentis; et beatificávit illum in glória. ℣. Ut daret sapiéntiam in cor nostrum judicáre gentem suam in justítia.

Allelúia, allelúia. ℣. Psalm. 76. Deduxísti, Dómine, sicut oves pópulum tuum, in manu Móysi et Aaron. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Eccli. 15. Factum est illi in testaméntum aetérnum fungi sacerdótio. ℣. Et habére laudem, et glorificáre pópulum suum in nómine ejus. ℣. Ipsum elégit ab omni vivénte, offérre sacrifícium Deo, incénsum, et bonum odórem pro pópulo suo.

Tempore Paschali, omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 76. Deduxísti, Dómine, sicut oves pópulum tuum, in manu Móysi et Aaron. Allelúia. ℣. Eccli. 50. Quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 24.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret pater famílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti : quia qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Offertorium. Col. 1. Córporis Christi quod est Ecclésia, factus sum ego miníster secúndum dispensatiónem Dei, quae data est in vos, ut ímpleam verbum Dei.

Secreta.

HOstias pópuli tui, Dómine, propítius intuére : ut quod nostra fidúcia non merétur, per eum quem nobis constituísti Pastórem incessabíliter largiáris. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Fidélis dispensátor, et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

PRaesta, quaesumus, omnípotens Deus : ut salutáris óstia in tuo altári percépta, précibus beáti Pastóris nostri Venerándi, in fide quam ille nos edócuit, immóbiles effíciat. Per Dóminum nostrum.

Die 26. Decembris.

Commemoratio Omnium Ss. Martyrum

facienda in Missa S. Stephani.

Oratio.

DEus, qui glorificáris in concílio sanctórum Mártyrum tuórum : réspice ad preces humilitátis nostrae; ut quorum solémnia celebrámus, eórum précibus adjuvári mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

SUscipe, quaesumus Dómine, et sanctífica hoc sacrifícium pópuli tui : ut quod in honórem beatórum Mártyrum tuórum offértur ad glóriam, nobis prosit ad véniam. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

PRaesta, quaesumus omnípotens Deus : ut non désinant sancti tui pro nostris tibi supplicáre peccátis; a quibus voluísti pro peccatóribus exorári. Per Dóminum.

Die 3. Januarii.

Pro commemoratione

S. Genovefae

Virginis.

Oratio.

BEátae Genovéfae natalítia veneránda Ecclésia tua, Dómine, devóta suscípiat : et fiat glorificatiónis ejus amóre devótior, et tantae fídei proficiat exémplo. Per Dóminum.

Digitized by Google

Secreta.

ACcépta tibi sit Dómine sacrátae plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum; quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio.

SAtiásti Dómine famíliam tuam munéribus sacris : ejus, quaesumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 10. Januarii.

Pro commemoratione

S. Gulielmi

Episc., Conf.

Orationes ut in Missa de Communi Conf. Pont. ij. loco. Sacerdótes tui.

Die 15. Januarii.

S. Boniti

Episc., Conf.

Introitus. Ps. 77.

EGlégit Dóminus servum suum páscere hereditátem suam, et pavit eos in innocéntia cordis sui, et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos. Ps. ibid. Atténdite, pópule meus, legem meam : inclináte aurem vestram in verba oris mei. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEus, qui nobis beáti Boníti Confessóris tui atque Pontíficis natalítia celebráre concédis : tríbue, quaesumus; ejus nos semper et benefíciis praeveníri et oratiónibus adjuvári. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Mauri Abbat. ex Missa. Os justi. de Comm. Abbatum.

Léctio Epistolae beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses. I. Thess. 4. 1.

FRatres : Rogámus vos et obsecrámus in Dómino Jesu, ut quemádmodum accepístis a nobis, quómodo opórteat vos ambuláre, et placére Deo, sic et ambulétis, ut abundétis magis. Scitis enim quae praecépta déderim vobis per Dóminum Jesum. Haec est enim volúntas Dei, sanctificátio vestra; ut abstineátis vos a fornicatióne, ut sciat unusquísque vestrum vas suum possidére in sanctificatióne, et honóre; non in passióne desidérii, sicut et Gentes quae ignórant Deum; et ne quis supergrediátur, neque circumvéniat in negótio fratrem suum : quóniam vindex est Dóminus de his ómnibus, sicut praedíximus vobis, et testificáti sumus. Non enim vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem.

Graduale. Malach. 2. Lex veritátis fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis ejus. ℣. In pace et in aequitáte ambulávit mecum; et multos avértit ab iniquitáte.

Allelúia, allelúia. ℣. Act. 7. Hic est qui fuit in Ecclésia cum pátribus nostris, qui accépit verba vitae dare nobis. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiae in domo ejus : et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et profóctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens : Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque

Digitized by Google

superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait : Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium dómini tui.

Offertorium. Eccli. 50. In ascénsu altáris sancti glóriam dedit sanctitátis amíctum. Et ipse stans juxta aram, et circa illum coróna fratrum.

Secreta.

NOstrum tibi, Deus, ófferat sacrifícium Epíscopus animárum nostrárum : qui beátum Bonítum Confessórem atque Pontíficem, suae apud nos caritátis minístrum, et suae apud te glóriae partícipem esse vóluit Dóminus noster Jesus Christus : Qui tecum.

Communio. Ps. 26. Immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Postcommunio.

SUmpta mystéria, quaesumus, Dómine, aetérnis nos praeparent gáudiis : quae beátus Conféssor et Póntifex Bonítus fidéli dispensatióne proméruit. Per Dóminum.

Die 23. Januarii.

Desponsationis B. M. V.

Ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Et fit comm. S. Joseph Sponsi B.M.V. ac S. Emerentianae Virg. et Mart.

Die 24. Januarii.

S. Arthemii

Episc., Conf.

Introitus. Ps. 9.

EXáltas me, Dómine, de portis mortis; ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliae Sion. Ps. ibid. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo : narrábo ómnia mirabília tua. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui beátum Arthémium Confessórem tuum atque Pontíficem, pópulo tuo praeésse, et verbo atque exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte; pastóres Eccléesiae tuae cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis aetérnae. Per Dóminum.

Epistola Mementóte. ut in Festo S. Venerandi, pag. 12.

Graduale. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. ℣. Manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Allelúia, allelúia. ℣. Hic est qui multum orat pro pópulo, et univérsa civitáte. Allelúia.

Post Septuagesimam.

Tractus. Eccli. 15. Factum est illi testaméntum aetérnum fungi sacerdótio. ℣. Et habére laudem, et glorificáre pópulum suum in nómine ejus. ℣. Ipsum elégit ab omni vivénte, offérre sacrifícium Deo, incénsum, et bonum odórem, pro pópulo suo.

Evangelium Vigiláte. ut in Festo S. Venerandi pag. 13.

Offertorium. I. Reg. 2. Elégi eum mihi in sacerdótem, ut ascénderet ad altáre meum, et adoléret mihi incénsum.

Secreta.

HOstias pópuli tui, Dómine, propítius intuére : ut quod nostra fidúcia non merétur, per eum quem nobis constituísti Pastórem, incessabíliter largiáris. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Fidélis dispensátor et prudens, quem constítuit Dóminus supra famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

PRaesta, quaesumus, omnípotens Deus : ut salutáris hóstia in tuo altári percépta; précibus beáti Pastóris nostri Arthémii, in fide quam ille nos edócuit, immóbiles effíciat. Per Dóminum.

Digitized by Google

Die 25. Januarii.

Ss. Praejecti Episc. et Socior. Martyrum.

Missa. Sapiéntiam. de Communi plur. Mart.

Die 28. Januarii.

In Festo Conversionis S. Pauli Apost.

Omnia ut in Missali die 25. hujus, cum comm. S. Petri Apost. ac S. Agnetis secundo Virg. et Mart.

Die 3. Februarii.

S. Odilonis Abbatis.

Introitus. Is. 49.

HAec dicit Dóminus : servávi te, et dedi te ut díceres his, qui vincti sunt : exíte, et his, qui in ténebris : revelámini. Ps. 129. Apud Dóminum misericórdia, et copiósa apud eum redémptio. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEus, qui beátum Odilónem Abbátem egrégiae pietátis et praeclárae caritátis virtútibus cumulásti : praesta, ut ejus méritis et précibus, consuétae misericórdiae tuae efféctus ássequi mereámur. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Blasii Episc., Mart. ex Missa. Sacerdótes Dei. de Communi unius Mart. Pont.

Léctio libri Machabaeórum. 2. Mach. 12.

IN diébus illis : Vir fortíssimus Judas, facta collatióne duódecim míllia drachmas argénti misit Jerosólymam offérri pro peccátis mortuórum sacrifícium, bene et religióse de resurrectióne cógitans (nisi enim eos qui cecíderant resurrectúros speráret, supérfluum vidérétur et vanum oráre pro mórtuis) : et quia considerábat quod hi, qui cum pietáte dormitiónem accéperant, óptimam habérent repósitam grátiam. Sanctа ergo et salúbris est cogitátio pro defúnctis exoráre, ut a peccátis solvántur.

Graduale. 2. Mach. 15. Virum bonum et benígnum, verecúndum visu, modéstum móribus, manus protendéntem, oráre pro omni pópulo. ℣. Ibid. Hic est fratrum amátor et pópuli Israël : hic est, qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte.

Allelúia, allelúia. ℣. Jerem. 2. Effúnde sicut aquam cor tuum ante conspéctum Dómini : leva ad eum manus tuas pro ánima parvulórum. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia et Versu sequenti, dicitur

Tractus. 2. Mach. 15. Hic est fratrum amátor, et pópuli Israël. ℣. Ibid. Hic est qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte. ℣. Jerem. 2. Effúnde sicut aquam cor tuum ante conspéctum Dómini : leva ad eum manus tuas pro ánima parvulórum.

Tempore Paschali, omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúia, allelúia. ℣. 2. Mach. 15. Hic est fratrum amátor, et pópuli Israël. Allelúia. ℣. Ibid. Hic est qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 6.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judaeórum : Omne quod dat mihi Pater, ad me véniet : et eum qui venit ad me non ejíciam foras : quia descéndi de coelo, non ut fáciam voluntátem meam, sed voluntátem ejus qui misit me. Haec est autem volúntas ejus qui misit me Patris : ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resúscitem illud in novíssimo die. Haec est autem volúntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Fílium, et credit in eum; hábeat vitam aetérnam, et ego resuscitábo eum in novíssimo die.

Offertorium. Eccli. 46. Invocávit Dóminum omnipoténtem in oblatióne Agni invioláti.

Secreta.

SUscipe, Dómine, in hac solemnitáte fámuli tui Odilónis Abbátis hóstias méntium tuo nómini devotárum : quibus

Digitized by Google

nos a terrénis contágiis expiári, et defunctórum ánimas coeléstibus contulísti propinquáre consórtiis. Per Dóminum.

Communio. Is. 49. Consolátus est Dóminus pópulum suum, et páuperum suórum miserébitur.

Postcommunio.

DEus, fidélium lumen animárum, adésto supplicatiónibus nostris : et intercedénte beáto Odilóne Abbáte, da fámulis et famulábus tuis ubíque in Christo requiescéntibus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem et lúminis claritátem. Per eúmdem Dóminum.

Die 8. Februarii.

S. Stephani Grandimonten.

Confessoris.

Introitus. Eccli. 15.

DRiúsquam oberrárem, quaesívi sapiéntiam. Ambulávit pes meus iter rectum. Zelátus sum bonum, et non confúndar. Ps. 25. Júdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréssus sum : in Dómino sperans non infirmábor. ℣. Glória Patri.

Oratio.

FAC nos, quaesumus Dómine, beáti Stéphani natalítia celebrántes : ejus méritis et exémplis vanas sollicitúdines abjícere; et postpósitis ómnibus, ad unum necessárium incessabíliter aspiráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat.

In Quadrag. fit comm. Feriae.

Léctio Epístolae beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. Philipp. 3.

FRatres : Exístimo ómnia detriméntum esse, propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei; propter quem ómnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo, non habens meam justítiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est Christi Jesu : quae ex Deo est justítia in fide, ad cognoscéndum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus : configurátus morti ejus : si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quae est ex mórtuis. Non quod jam accéperim, aut jam perféctus sim : sequor autem, si quomodo comprehéndam in quo et comprehénsus sum a Christo Jesu. Fratres, ego me non árbitror comprehendísse. Unum autem, quae quidem retro sunt oblivíscens, ad ea vero, quae sunt prióra, exténdens meípsum, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supérnae vocatiónis Dei in Christo Jesu. Quicúmque ergo perfécti sumus, hoc sentiámus; et si quid áliter sápitis, et hoc vobis Deus revelábit. Verúmtamen ad quod pervénimus, ut idem sapiámus; et in eádem permaneámus régula. Imitatóres mei estóte, fratres, et observáte eos, qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram.

Graduale. Ps. 77. Perdúxit eos tanquam gregem in desérto, et indúxit eos in montem sanctificatiónis. ℣. Ps. 106. Dedúxit eos in viam rectam, ut irent in civitátem habitatiónis.

Allelúia, allelúia. ℣. Act. 11. Hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino; quia erat vir bonus, et plenus Spíritu Sancto, et fide. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Graduali et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 101. A voce gémitus mei adhaesit os meum carni meae. ℣. Símilis factus sum pellicáno solitúdinis, factus sum sicut nyctícorax in domicílio. ℣. Vigilávi et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 19. d

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suae, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen

Digitized by Google

meum, céntuplum accípiet, et vitam aetérnam possidébit.

Offertorium. Ps. 62. In terra desérta, et ínvia, et inaquósa, sic in Sancto appárui tibi; ut vidérem virtútem tuam, et glóriam tuam.

Secreta.

SUscipe, quaesumus, Dómine, preces et hóstias, quas tibi offérimus : et concéde; ut, beáti Stéphani imitatióne, desidéria carnis spíritu mortificántes, tibi soli vivámus. Per Dóminum.

Communio. Thren. 3. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea : bonus est sperántibus in eum, ánimae quaeránti illum.

Postcommunio.

PUrífica, Dómine, tuórum corda fidélium, intercedénte beáto Stéphano : ut a terréna cupiditáte per haec mystéria mundáti; et a praeséntis vitae perículis liberéntur, et donis firméntur perpétuis. Per Dóminum.

Die 11. Februarii.

Apparitionis B. M. V. Immaculatae.

Ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die, praeter sequentia.

Fit comm. (Feriae in Quadrag. et) S. Volusiani Episc., Mart.

Oratio.

PRaesta, quaesumus, omnípotens Deus, ut beáti Volusiáni Pontíficis et Mártyris festa venerántes, et in vera fide roborémur, et in bonis opéribus abundémus. Per Dóminum.

Secreta.

MUnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica : et, intercedénte beáto Volusiáno Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio.

HAec nos commúnio, Dómine, purget a crímine : et, intercedénte beáto Volusiáno Mártyre tuo atque Pontífice, coeléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Die 12. Februarii.

S. Pauli primi Eremitae, Conf.

Omnia ut in Missali die 15. Januarii. In Quadrag. fit comm. Feriae.

Die 13. Februarii.

S. Timothei

Episc., Mart.

Omnia ut in Missali die 24. Januarii. In Quadrag. fit comm. Feriae.

Die 14. Februarii.

S. Joannis de Matha Conf.

Omnia ut in Missali die 8. hujus. Et fit comm. (Feriae in Quadrag. et) S. Valentini Martyris.

Die 15. Februarii.

Sanctae Georgiae

Virginis.

Introitus. Ps. 44.

AUdi, fília, et vide, et inclína aurem tuam; oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui: et concupíscet Rex decórem tuum; quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. Ps. ibid. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEus, qui mirábili consílio Vírginis Fílius et Vírginum Sponsus esse dignátus es : quaesumus; ut, intercedénte beáta Geórgia Vírgine tua, cujus venerándam festivitátem celebrámus, castis ac religiósis córdibus te cólere et dilígere valeámus : Qui vivis et regnas.

Et fit comm. (Feriae in Quadrag. ac) Ss. Faustini et Jovitae Mm. ut in Missali.

Léctio libri Sapiéntiae. Sap. 4.

O Quam pulchra est casta generátio cum claritáte ! Immortális est enim memória illíus; quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines. Cum praesens est, imitántur illam; et desíderant eam, cum se edúxerit, et in perpétuum

Digitized by Google

coronáta triúmphat, incoinquinatórum certáminum praemium vincens.

Graduale. Ps. 54. Quis dabit mihi pennas sicut colúmbae, et volábo, et requiéscam? ℣. Ecce elongávi fúgiens, et mansi in solitúdine.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 62. In velaménto alárum tuárum exsultábo, Dómine; adhaesit ánima mea post te : me suscépit déxtera tua. Allelúia.

Post Septuagesimam.

Tractus. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem. ℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae prae consórtibus tuis. ℣. Omnis glória ejus fíliae Regis ab intus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum coelórum decem virgínibus : quae accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, et sponsae. Quinque autem ex eis erant fátuae, et quinque prudéntes : sed quinque fátuae, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum : prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illae, et ornavérunt lámpades suas. Fátuae autem sapiéntibus dixérunt : Date nobis de óleo vestro : quia lámpades nostrae exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes : Ne forte non suffíciat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus : et quae parátae erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquae vírgines, dicéntes : Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait : Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium. Ps. 72. Quid mihi est in coelo, Dómine? Et a te quid vólui super terram? Defécit caro mea, et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in aetérnum.

Secreta.

ACcépta, Dómine, majestáti tuae fidélis pópuli reddátur oblátio, obténtu beátae Geórgiae Vírginis : quae se tibi hóstiam vivam, sanctam, et beneplacéntem semper exhíbuit. Per Dóminum.

Communio. Cant. 3. Invéni quem díligit ánima mea : ténui eum, nec dimíttam.

Postcommunio.

AB omni nos, quaesumus, Dómine, mentis et córporis inquinaménto purífícent Sacraménta quae súmpsimus, sponsae tuae Geórgiae précibus : quae a terrénis ómnibus expedíta; ut divíno vacáret ótio, partem óptimam elégit a se non auferéndam Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit.

Die 16. Februarii.

S. Desiderati

Episc., Conf.

Introitus. Jerem. 3.

DAbo vobis pastóres juxta cor meum, et pascent vos sciéntia et doctrína. Ps. 77. Atténdite, pópule meus, legem meam : inclináte aurem vestram in verba oris mei. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui beátum Desiderátum Confessórem tuum atque Pontíficem, pópulo tuo praeésse, et verbo atque exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte; pastóres Ecclésiae tuae cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis aetérnae. Per Dóminum.

In Quadrag. fit comm. Feriae.

Léctio Epistolae beáti Pauli Apóstoli ad Hebraeos. Hebr. 13.

FRatres : Mementóte praepositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum con-

Digitized by Google

versatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri, et hódie : ipse et in saecula. Doctrínis váriis et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis, quae non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per Pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiae autem et communiónis nolíte oblivísci : tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte praepósitis vestris, et subjacéte eis. Ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

Graduale. Eccli. 45. Excélsum fecit eum Deus, et státuit ei testaméntum aetérnum, et dedit illi Sacerdótium gentis; et beatificávit illum in glória. ℣. Ut daret sapiéntiam in cor nostrum judicáre gentem suam in justítia.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 76. Deduxísti, Dómine, sicut oves pópulum tuum, in manu Móysi et Aaron. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Eccli. 15. Factum est illi in testaméntum aetérnum fungi sacerdótio. ℣. Et habére laudem, et glorificáre pópulum suum in nómine ejus. ℣. Ipsum elégit ab omni vivénte, offérre sacrifícium Deo, incénsum, et bonum odórem pro pópulo suo.

Tempore Paschali, omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 76. Deduxísti, Dómine, sicut oves pópulum tuum, in manu Móysi et Aaron. Allelúia. ℣. Eccli. 50. Quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens, fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis, venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens : Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge, serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem, et qui duo talénta accéperat, et ait : Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge, serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium dómini tui.

Offertorium. Coloss. 1. Córporis Christi quod est Ecclésia, factus sum ego Miníster secúndum dispensatiónem Dei, quae data est mihi in vos, ut ímpleam verbum Dei.

Secreta.

HOstias pópuli tui, Dómine, propítius intuére; ut quod nostra fidúcia non merétur, per eum quem nobis constituísti Pastórem, incessabíliter largiáris. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Fidélis dispensátor, et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

PRaesta, quaesumus, omnípotens Deus : ut salutáris hóstia in tuo altári percépta; précibus beáti Pastóris nostri Desideráti, in fide quam ille nos edócuit, immóbiles effíciat. Per Dñum.

Digitized by Google

Die 17. Februarii.

Ss. Septem Fundatorum Ord. Servorum B. M. V.

Confessorum.

Omnia ut in Missali die 11. hujus.

Die 18. Februarii.

S. Sigonis

Episc., Conf.

Missa. **Dabo vobis.** ut supra in Festo S. Venerandi, pag. 12, praeter sequ.

Et fit commem. (Feriae in Quadrag.) ac S. Simeonis Episc., Mart. ut in Missali.

Die 19. Februarii.

S. Raymundi de Peñafort

Confessoris.

Omnia ut in Missali die 23. Januarii.

In Quadrag. fit comm. Feriae.

Die 20. Februarii.

S. Leobardi

Confessoris.

Missa. **Os justi.** de Communi Confessoris non Pontificis.

Die 25. Februarii.

S. Sereni

Martyris.

Missa. **In virtúte.** de Comm. unius Mart. praeter Orat. sequ.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui in Sanctórum tuórum córdibus flammam tuae dilectiónis accéndis : da méntibus nostris eámdem fídei caritatísque virtútem; ut qui beáti Seréni Mártyris tui gloriósis gaudémus triúmphis, proficiámus exémplis. Per Dóminum.

In Quadrag. fit commem. Feriae.

Die 5. Martii.

S. Joannae Valesiae

nec Virg. nec Mart.

Ut inter Festa pro aliqu. locis die 4. Februarii.

In Quadrag. fit comm. Feriae.

Die 16. Martii.

S. Tigridii

Confessoris.

Missa. **Justus ut palma.** de Comm. Conf. non Pont.

Et fit comm. Feriae.

Die 18. Martii.

S. Gabrielis Archangeli

Ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 20. Martii.

S. Cyrilli

Episc. Hierosolymitani, Conf. et Eccl. Doct.

Omnia ut in Missali die 18. hujus.

Die 23. Martii.

S. Aviti II.

Episc., Conf.

Missa. **Dabo vobis.** ut supra in Festo S. Desiderati, pag. 19.

Die 29. Martii.

Ss. Antoliani, Liminii et Socior.

Martyrum.

Missa. **Sapiéntiam.** de Communi plur. Martyrum.

In Quadrag. fit comm. Feriae.

Die 1. Aprilis.

S. Valarici

Abbatis.

Missa. **Os justi.** de Comm. Abbatum praeter Orationes sequ.

Digitized by Google

Oratio.

DEus cujus múnere beátus Valarícus, Abbas, ut Christum Fílium tuum alácrius sequerétur ómnia relíquit : da cunctis sémitam mandatórum tuórum ingréssis : ut ad te sine offensióne curréntes, vitam aetérnam ad quam vocáti sunt, apprehéndant. Per eúmdem Dóminum.

In Quadrag. fit comm. Feriae.

Secreta.

NOstrae obséquium servitútis accéptum tibi Dómine reddat beátus Valarícus, qui frátribus suis praepósitus, et seípsum, et suos, perpétuo tibi subjécit. Per Dóminum.

Postcommunio.

DEus, qui beátum Valarícum in solitúdinem duxísti, ut multórum filiórum in Christo pater efféctus, eis verbo et exémplo iter ad cœléstem pátriam praemonstráret; nobis Eucharísticum manna, in hac terra gustántibus, da viam tuam agnóscere, et ad réquiem tuam felíciter pervenire. Per eúmdem Dóminum.

Die 13. Aprilis.

S. Martii

Abbatis.

Missa. Os justi. de Communi Abbatum. In Quadrag. fit comm. Feriae.

Die 15. Aprilis.

S. Hermenegildi

Martyris.

Omnia ut in Missali die 13. hujus.

Die 16. Aprilis.

S. Euphrasii

Episc., Conf.

Missa. Dabo vobis. ut in Festo S. Desiderati, pag. 19. In Quadrag. fit comm. Feriae.

Die 17. Aprilis.

S. Roberti Abbatis

Missa. Os justi. de Comm. Abbatum.

Et fit commem. (Feriae in Quadrag. ac) S. Aniceti Papae, Martyris, ut in Missali.

Die 26. Aprilis.

Beatae Mariae Virginis de Bono Consilio.

Ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 27. Aprilis.

Ss. Cleti et Marcellini,

Pont. Martyrum.

Omnia ut in Missali die 26. hujus.

Die 2. Maii.

Pro comm. S. Flaminae

Virg. et Mart.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, cujus múnere beáta Flámina, in virginitátis propósito et in confessióne fídei roboráta utriúsque palmam adépta est : da nobis, ita mentis et córporis integritátem serváre; ut nec blandítiis carnis, nec malórum acerbitáte vincámur. Per Dóminum.

Secreta.

GOncéde nobis Dómine divínae hujus oblatiónis efféctum per intercessiónem beátae Fláminae Vírginis et Mártyris, quae ut suum perféctius exprímeret sponsum vírginum, tibi viríli péctore sánguinem libávit. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

DEus Vírginum robur, cujus virtúte beáta Flámina virginitátem tuam próprio sánguine consecrávit; confírma per divína quae súmpsimus sacraménta quod operátus es in nobis : ut ejus exémplo caste ac fórtiter in tuo laetántes perseverémus servítio. Per Dóminum nostrum.

Digitized by Google

Die 4. Maii.

Susceptionis Sacrae Coronae Domini.

Introitus. Cant. 3.

EGredímini et vidéte, fíliae Sion, Regem in diadémate, quo coronávit illum mater sua in die desponsatiónis illíus. Allelúia, allelúia. Ps. 20. Dómine, in virtúte tua laetábitur Rex : et super salutáre tuum exsultábit veheménter. ℣. Glória Patri.

Oratio.

PRaesta, quaesumus, omnípotens Deus : ut qui in memóriam passiónis Dómini nostri Jesu Christi Corónam ejus spíneam venerámur in terris; ab ipso glória et honóre coronári mereámur in coelis : Qui tecum.

Léctio libri Génesis. Gen. 22. 1.

IN diébus illis : Tentávit Deus Abraham, et dixit ad eum : Abraham, Abraham. At ille respóndit : Adsum. Ait illi : Tolle fílium tuum unigénitum, quem díligis, Isaac, et vade in terram visiónis, atque ibi ófferes eum in holocáustum super unum móntium quem monstrávero tibi. Igitur Abraham de nocte consúrgens, stravit ásinum suum, ducens secum duos júvenes, et Isaac fílium suum. Cumque concidísset ligna in holocáustum, ábiit ad locum quem praecéperat ei Deus. Die autem tértio, elevátis óculis, vidit locum procul, dixítque ad púeros suos : Exspectáte hic cum ásino : ego, et puer illuc usque properántes, postquam adoravérimus, revertémur ad vos. Tulit quoque ligna holocásti, et impósuit super Isaac fílium suum : ipse vero portábat in mánibus ignem, et gládium. Cumque duo pérgerent simul, dixit Isaac patri suo : Pater mi. At ille respóndit : Quid vis, fili? Ecce, inquit, ignis et ligna; ubi est víctima holocásti? Dixit autem Abraham : Deus providébit sibi víctimam holocásti, fili mi. Pergébant ergo páriter, et venérunt ad locum, quem osténderat ei Deus, in quo aedificávit altáre, et désuper ligna compósuit : cumque alligásset Isaac fílium suum, pósuit eum in altáre super struem lignórum. Extendítque manum, et arrípuit gládium, ut immoláret fílium suum. Et ecce Angelus Dómini de coelo clamávit, dicens : Abraham, Abraham. Qui respóndit : Adsum : Dixítque ei : Non exténdas manum tuam super púerum, neque fácias illi quidquam : nunc cognóvi quod times Deum, et non pepercísti unigénito fílio tuo propter me. Levávit Abraham óculos suos, vidítque post tergum aríetem inter vepres haeréntem córnibus, quem assúmens óbtulit holocáustum pro fílio.

Allelúia, allelúia. ℣. Sap. 18. Magnificéntia tua, Deus, in diadémate cápitis illíus sculpta erat. Allelúia. ℣. Apoc. 6. Data est ei Coróna, et exívit vincens ut vínceret. Allelúia.

Extra tempus Paschale :

Graduale. Eccli. 45. Coróna áurea super caput ejus, expréssa signo sanctitátis, glória honóris et opus fortitúdinis. ℣. Psalm. 90. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Allelúia, allelúia. ℣. Coróna tribulatiónis efflóruit in corónam glóriae, et sertum exsultatiónis. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 19.

IN illo témpore : Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus : et veste purpúrea circumdedérunt eum. Et veniébant ad eum, et dicébant : Ave Rex Judaeórum : et dabant ei álapas. Exívit ergo íterum Pilátus foras, et dicit eis : Ecce addúco vobis eum foras, ut cognoscátis, quia nullam invénio in eo causam. Exívit ergo Jesus portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum. Credo.

Offertorium. Apoc. 19. In cápite ejus diadémata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Et vestítus erat veste aspérsa Sánguine; et vocátur nomen ejus, Verbum Dei. Allelúia.

Digitized by Google

Secreta.

DEus, qui ut peccatórum nostrórum spinas evélleres, Fílii tui caput spinis transfígi voluísti : carnem nostram et corda nostra casto tuo timóre confíge; ut in méntibus nostris Spíritus tui grátia renovátis, et cupíditas extirpáta defíciat, et cáritas plantáta proficiat. Per eúmdem.

Praefatio de Cruce.

Communio. Hebr. 2. Eum, qui módico quam Angeli minorátus est, vidémus Jesum, propter passiónem mortis glória et honóre coronátum. Allelúia.

Postcommunio.

DEus, qui passiónis Fílii tui instruménta fecísti ejus ornaménta triúmphi : praesta per haec mystéria quae súmpsimus; ut non erubescámus illíus impropérium portáre, cujus ignomíniae venerámur insígnia. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Die 11. Maii.

S. Monicae

Viduae.

Omnia ut in Missali, die 4. hujus.

Die 14. Maii.

S. Aprunculi

Episc., Conf.

Missa. **Dabo vobis.** ut supra, in Festo S. Desideradi, pag. 19.

Et fit commem. S. Bonifacii Mart. ut in Missali.

Die 15. Maii.

Ss. Cassii, Victorini et Socior.

Martyrum.

Tempore Paschali, Missa. **Sancti tui.** de Communi Martyrum.

Extra tempus Paschale, Missa. **Sapiéntiam.** de Comm. plurim. Mart.

Oratio.

DEus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Cássii, Victoríni et Sociórum natalítia cólere : da nobis in aetérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Secreta.

MUnera tibi, Dómine, nostrae devotiónis offérimus : quae et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

PRaesta nobis, quaesumus Dómine, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Cássio, Victoríno et Sóciis, ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 16. Maii.

S. Fidoli

Abbatis.

Ut in Festo S. Valarici, pag. 21.

Die 21. Maii.

S. Joannis Baptistae de la Salle

Confessoris.

Omnia ut in Missali die 15. hujus.

Die 22. Maii.

S. Ubaldi

Episc., Conf.

Omnia ut in Missali die 16. hujus.

Die 24. Maii.

Beatae Mariae Virginis

sub titulo

Auxilium Christianorum

Ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 1. Junii.

S. Flori

Episc., Conf.

Missa. **Sacerdótes tui.** de Communi Conf. Pont. praeter sequ.

Oratio.

ECclésiam tuam, Dómine, sancti Flori Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi : ut sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddi-

Digitized by Google

dit; ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Medulphi Conf. ut in Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont.

Die 3. Junii.

S. Genesii
Episc., Conf.

Introitus. Job. 29.

Justítia indútus sum; et vestívi me sicut vestiménto judício meo; óculus fui caeco, et pes claudo; pater eram páuperum. (T. P. Allelúia, allelúia.) Ps. 40. Beátus qui intélligit super egénum et páuperem : in die mala liberábit eum Dóminus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Genésium Confessórem tuum atque Pontíficem pópulo tuo praeésse, et verbo atque exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte; pastóres Ecclésiae tuae cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis aetérnae. Per Dóminum.

Léctio Epistolae beáti Pauli Apóstoli ad Hebraeos. Hebr. 13. 16.

Fratres : Beneficéntiae et communiónis nolíte oblivísci : tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte praepósitis vestris, et subjacéte eis. Ipsi enim pervígilant quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri; ut cum gáudio hoc fáciant, et non geméntes : hoc enim non éxpedit vobis. Oráte pro nobis; confídimus enim quia bonam consciéntiam habémus in ómnibus bene voléntes conversári. Amplius autem déprecor vos hoc fácere, quo celérius restítuar vobis. Deus autem pacis, qui edúxit de mórtuis Pastórem magnum óvium, in Sánguine testaménti aetérni, Dóminum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem : fáciens in vobis quod pláceat coram se per Jesum Christum, cui est glória in saecula saeculórum. Amen. Rogo autem vos, fratres, ut sufferátis verbum solátii. Etenim perpáucis scripsi vobis. Cognóscite fratrem nostrum Timótheum dimíssum : cum quo (si celérius vénerit) vidébo vos. Salutáte omnes praepósitos vestros, et omnes sanctos. Salútant vos de Itália fratres. Grátia cum ómnibus vobis. Amen.

Graduale. Eccli. 50. Sacérdos magnus in diébus suis adéptus est glóriam in conversatióne gentis, et effúlsit in templo Dei, quasi vas auri sólidum ornátum lápide pretióso. ℣. Eccli. 45. Coróna áurea super mitram ejus, expréssa signo sanctitátis et glória honóris.

Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 31. Stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia Sanctórum. Allelúia.

Tempore Paschali omittitur Graduale et ejus loco dicitur :

Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 45. Státuit illi Dóminus testaméntum pacis, Príncipem sanctórum, et gentis suae; ut daret sapiéntiam in cor nostrum. Allelúia. ℣. Eccl. 31. Stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia Sanctórum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 25.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens, fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens : Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone et fidélis : quia super pauca fuísti

Digitized by Google

fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait : Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium dómini tui.

Offertorium. Eccli. 50. Porréxit manum suam in libatióne, et libávit de sánguine uvae. Effúdit in fundaménto altáris odórem divínum excélso Príncipi. (T. P. Allelúia.)

Secreta.

HAec tibi múnera in beáti Genésii solemnitáte deferéntes, quaesumus, Dómine : ut sicut ille fídei defénsor éxstitit, et páuperum pater; ita nos ejus intercessióne, placére tibi fácias, et amóre veritátis et opéribus caritátis. Per Dóminum.

Communio. Psalm. 22. Parásti, Dómine, in conspéctu meo mensam advérsus eos qui tríbulant me; impinguásti in óleo caput meum, et calix meus inébrians quam praeclárus est! (T. P. Allelúia.)

Postcommunio.

SAcraménti tui, Dómine, dulcédine perfúsi, súpplices deprecámur : ut beáti Genésii Pontíficis cujus solémnia cólimus, exémpla sectántes; propter te vivámus in terris, et in te cum ipso perénniter laetémur in coelis. Per Dóminum.

Die 7. Junii.

S. Gilberti

Abbatis.

Missa. Os justi. de Communi Abbat.

Die 8. Junii.

S. Marii

Confessoris.

Missa. Os justi. de Communi Confessoris non Pontificis.

Die 9. Junii.

B. M. V. de Gratia.

Missa. Salve, sancta Parens. ut in Votivis B. M. V. pro tempore, praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui humáno géneri, beátae Maríae virginitáte foecúnda, reparatiónis grátiam contulísti : concéde; ut, quam grátiae Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in coelis. Per Dóminum.

Fit comm. Ss. Primi et Feliciani Martyrum ut in Missali.

Evangelium. Missus est. ut in Missa Votiva B. M. V. in Adventu. Credo.

Praefatio de B. Maria. Et te in Festivitáte.

Die 15. Junii.

S. Abrahae

Abbatis.

Missa. Os justi. de Communi Abbatum praeter sequ.

Oratio.

DEus, humílium celsitúdo, et in te sperántium fortitúdo, qui beátum Abraham Abbátem a vínculis absolútum, illaesum abíre fecísti : nostrórum, quaesumus, ejus méritis et intercessióne, absólve víncula peccatórum; ut in viam salútis ambulántes, ad illum vivum et verum fontem, qui Christus est, perveníre mereámur : Qui tecum vivit et regnat.

Et fit commem. Ss. Viti, Modesti et Crescentiae Mm. ut in Missali.

Die 16. Junii.

S. Joannis Francisci Regis

Confessoris.

Ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Digitized by Google

Die 17. Junii.

Sanctae Clotildis

Reg. Francor. Vid.

Introitus. Ps. 17.

Ivit Dóminus, et benedíctus Deus meus, magníficans salútes regis ejus, et fáciens misericórdiam Christo suo, et sémini ejus usque in saeculum. Ps. ibid. Díligam te Dómine, fortitúdo mea : Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

RESpice, quaesumus Dómine, ad Francórum benígnus natiónem : et quibus per devótam sanctae Clotíldis instántiam donum fídei contulísti; per ejus intercessiónem, tríbue sincérum christiánae pietátis afféctum. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epistolae beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. I. Cor. 13.

FRatres : Si qua múlier fidélis habet virum infidélem, et hic conséntit habitáre cum illa, non dimíttat virum : sanctificátus est enim vir infidélis per mulíerem fidélem, et sanctificáta est múlier infidélis per virum fidélem : alióquin fílii vestri immúndi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si infidélis discédit, discédat : non enim servitúti subjéctus est frater aut soror in hujúsmodi; in pace autem vocávit nos Deus. Unde enim scis, múlier, si virum salvum fácies? Aut unde scis, vir, si mulíerem salvam fácies? Nisi unicuíque sicut divísit Dóminus, unumquémque sicut vocávit Deus, ita ámbulet.

Graduale. Esth. 14. Regína confúgit ad Dóminum, et deprecabátur, dicens : Tríbue Dómine sermónem compósitum in conspéctu leónis, et transfer cor illíus. ℣. Tu scis quod numquam laetáta sit ancílla tua, nisi in te, Deus Abraham.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 19. Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas; nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 13. 44.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum coelórum thesáuro abscóndito in agro : quem qui invénit homo, abscóndit, et prae gáudio illíus vadit, et vendit univérsa, quae habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum coelórum hómini negotiatóri, quaeránti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quae hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum coelórum sagénae missae in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne saeculi : exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis : ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis haec ómnia? Dicunt ei : Etiam. Ait illis : Ideo omnis scriba doctus in regno coelórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Offertorium. Ps. 101. Respéxit Dóminus in oratiónem humílium : scribántur haec in generatióne áltera, et pópulus qui creábitur laudábit Dóminum; annúntient in Sion nomen Dómini, et laudem ejus in conveniéndo pópulos in unum, et reges, ut sérviant Dómino.

Secreta.

EXáudi, Dómine, pópulum sub patrocínio Regínae suae sanctae tibi supplicántem : nationémque quam tibi subjécit, perpétua protectióne custódi. Per Dóminum.

Communio. Anima mea Dómino vivet, et semen meum sérviet ipsi.

Postcommunio.

AUxiliéntur nobis, Dómine, sacraménta quae súmpsimus : et quos per beátam Clotíldem ad coeléste regnum vocáre dignátus es, ejúsdem fac regni possessióne felíces. Per Dóminum.

Digitized by Google

Die 29. Junii.

Commemoratio Omnium Ss. Apostolorum.

Oratio.

EXáudi nos, Deus salutáris noster : et ómnium sanctórum Apostolórum tuórum tuére praesídiis, quorum donásti fidéles esse doctrínis : Qui vivis.

Secreta.

GLóriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam celebrántes : quaesumus; ut eámdem, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum.

Postcommunio.

QUaesumus, omnípotens, Deus : ut fidéles tui venerándas assídue celebrántes sanctórum Apostolórum tuórum passiónes; et cópiam invéniant perpétuae devotiónis, et salútis aetérnae suffrágia majóra conquírant. Per Dóminum.

Die 3. Julii.

S. Galli,

Episc., Conf.

Missa. **Dabo vobis.** ut supra in Festo S. Desiderati, pag. 19.

Et fit commem. Octavae.

Et dicitur **Credo.** propter Octavam.

Praefatio de Apostolis.

Die 4. Julii.

S. Irenaei

Episc., Mart.

Missa. **Lex veritátis.** ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Et fit commem. Octavae Ss. Apost. **Credo.** et Praefatio Apost.

Die 7. Julii.

S. Illidii

Episc., Conf.

Introitus. Eccli. 45.

SImilem illum fecit Dóminus in glória Sanctórum : magnificávit eum in timóre inimicórum, et glorificávit illum in conspéctu Regum. Ps. 72. Quam bonus Israël Deus : his qui recto sunt corde! ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui hanc diem in honórem beáti Illídii, Confessóris tui atque Pontíficis, consecrásti: praesta, quaesumus; ut cujus solémnia venerámur in terris, ejus suffrágia apud te sentiámus in coelis. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.

Act. 19. 13.

TEntavérunt quidam et de circumeúntibus Judaeis exorcístis, invocáre super eos, qui habébant spíritus malos, nomen Dómini Jesu, dicéntes : Adjúro vos per Jesum, quem Paulus praedicat. Erant autem quidam Judaei Scevae Príncipis sacerdótum septem fílii, qui hoc faciébant. Respóndens autem spíritus nequam dixit eis : Jesum novi, et Paulum scio : vos autem qui estis? Et insíliens in eos homo, in quo erat daemónium péssimum, et dominátus ambórum, inváluit contra eos; ita ut nudi et vulneráti effúgerent de domo illa. Hoc autem notum factum est ómnibus Judaeis, atque Gentílibus, qui habitábant Ephesi : et cécidit timor super omnes illos, et magnificabátur nomen Dómini Jesu.

Graduale. Eccli. 46. Dedit Dóminus ipsi fortitúdinem, et usque in senectútem permánsit illi virtus; ut vidérent fílii Israël, quia bonum est óbsequi sancto Deo. ℣. Eccli. 50. Manus suas éxtulit in omnem congregatiónem filiórum Israël, dare glóriam Deo a lábiis suis, et in nómine ipsíus gloriári.

Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 48. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 24. d

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti : quia qua nescítis hora, Fílius hóminis ventú-

Digitized by Google

rus est. Quis, putas, est fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Offertorium. 1. Reg. 7. Obtulit holocáustum Dómino, et clamávit ad Dóminum pro Israël, et exaudívit eum Dóminus.

Secreta.

QUaesumus, omnípotens Deus: ut beátus Illídius Póntifex, quem apud reges terrae, ut plebi tuae prodésset, fecísti commendábilem; apud te pro nobis intercéssor exístat, nosque et haec nostra múnera tibi placére perfíciat. Per Dóminum.

Communio. Ps. 26. Immolávi in tabernáculo Dómini hóstiam vociferatiónis: cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Postcommunio.

SAtiáti pretióso Córpore et Sánguine tuo, Dómine, grátias reférimus, obsecrántes: ut beátus Illídius Póntifex, qui in nómine tuo daemónia ejécit, omnem a nobis diabólicae fraudis nequítiam depéllat: Qui vivis et regnas.

Die 9. Julii.

S. Martialis

Episc., Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. Et fit comm. S. Proculae Virginis et Martyris.

Oratio.

DEus, tuárum Vírginum sanctificátor et honor: praesta, quaesumus; ut beátae Próculae Vírginis et Mártyris tuae, cujus hodiérna die festum cólimus intervéntu, in coelo coronári mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

SUscipe, Dómine, múnera, quae in beátae Próculae Vírginis et Mártyris tuae solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Postcommunio.

AUxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et intercedénte beáta Prócula Vírgine et Mártyre tua, sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum.

Die 11. Julii.

Ss. Cyrilli et Methodii

Episc., Conf.

Omnia ut in Missali die 7. Julii.
Et fit comm. S. Pii I. Papae, Mart. ut in Missali.

Die 21. Julii.

S. Carilephi

Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Comm. Conf. non Pont. cum comm. S. Praxedis Virg., ut in Missa. Vultum tuum.

Die 22. Julii.

Pro commemoratione

S. Menelei

Abbatis.

Orationes ut in Missa. Os justi. de Comm. Abbatum.

Die 30. Julii.

Beati Urbani II.

Papae, Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui beáto Pontífici Urbáno pro Ecclésiae tuae libertáte et decóre felíciter decertáre tribuísti, eúmque ad rediménda ab infidélium potestáte tuae vitae mortális et passiónis monuménta per virtútem Crucis roborásti: concéde; ut ipsíus intercessióne, contra hostes ánimae nostrae dimicántes in terris, aetérnae glóriae bravíum accípere mereámur: Qui vivis et regnas.

Et fit comm. Ss. Abdon et Sennen ut in Missali.

Digitized by Google

Evang. Vigiláte. ex Missa. Sacerdótes tui. de eodem Comm. ij. loco.

Secreta.

PROchristiánae fídei triúmpho hóstias tibi, Dómine, placatiónis offérimus; ut intercedénte beáto Urbáno Confessóre tuo atque Pontífice, quoscúmque nóminis tui hostes superáre valeámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

SPíritum nobis, Dómine, fortitúdinis tríbuat haec mensa coeléstis; qua refóctus beátus Póntifex Urbánus usque ad montem sanctum tuum alácriter ambulávit. Per Dóminum.

Die 9. Augusti.

B. Joannis Mariae Vianney

Confessoris.

Introitus. Galat. 6.

GLihi absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. Psalm. 30. In te, Dómine, sperávi, non confúndar in aetérnum; in justítia tua líbera me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMnípotens et miséricors Deus, qui beátum Joánnem Maríam pastoráli stúdio et jugi oratiónis ac poeniténtiae ardóre mirábilem effecísti : da quaesumus; ut ejus exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo, et cum eis aetérnam glóriam cónsequi valeámus. Per eúmdem.

Commem. Vigiliae cujus legitur Evangelium in fine, ac S. Romani Mart.

Léctio Ezechiélis Prophétae. Ezech. 33.

ET tu, fili hóminis, speculatórem dedi te dómui Israël : áudiens ergo ex ore meo sermónem, annuntiábis eis ex me. Tu ergo fili hóminis dic ad domum Israël : Sic locúti estis, dicéntes : Iniquitátes nostrae et peccáta nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabéscimus; quómodo ergo vívere potérimus? Dic ad eos : Vivo ego, dicit Dóminus Deus : nolo mortem ímpii, sed ut convertátur ímpius a via sua, et vivat. Convertímini, convertímini a viis vestris péssimis : et quare moriémini domus Israël? Tu ítaque fili hóminis dic ad fílios pópuli tui : impíetas ímpii non nocébit ei in quacúmque die convérsus fúerit ab impietáte sua.

Graduale. Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. ℣. Ps. 38. Concáluit cor meum intra me, et in meditatióne mea exardéscet ignis.

Allelúia, allelúia. ℣. Eccl. 48. Surréxit quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia et ℣. sequenti, dicitur

Tractus. Ezech. 34. Ego pascam oves meas. ℣. Quod perierat requíram, et quod abjéctum erat redúcam. ℣. Quod confráctum fúerat alligábo, et quod infírmum fúerat consolidábo. ℣. Et quod pingue et forte custódiam : ℣. Et pascam illas in judício.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúia, allelúia. ℣. Luc. 4. Evangelizáre paupéribus misit me, sanáre contrítos corde. Allelúia. ℣. 1. Cor. 9. Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 9. 10.

IN illo témpore : Circuíbat Jesus omnes civitátes et castélla, docens in synagógis eórum et praedicans Evangélium regni, et curans omnem languórem, et omnem infirmitátem. Videns autem turbas, misértus est eis : quia erant vexáti et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Tunc dicit discípulis suis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Et convocátis duódecim discípulis suis, dedit illis potestátem spirítuum immundórum, ut ejícerent eos et curárent omnem languórem et omnem infirmitátem.

Digitized by Google

Offertorium. Coloss. 1. Gáudeo in passiónibus, et adímpleo ea quae desunt passiónum Christi in carne mea, pro córpore ejus quod est Ecclésia, cujus factus sum ego miníster.

Secreta.

SUper hanc illibátam hóstiam, omnípotens sempitérne Deus, descéndat invisíbilis plenitúdo Spíritus Sancti; et praesta, ut intercedénte beáto Joánne María, casto córpore et mundo corde ad tantum semper mystérium accedámus. Per Dóminum.

Communio. Luc. 6. Multitúdo languéntium, et qui vexabántur a spirítibus immúndis veniébant ad Jesum, quia virtus de illo exíbat et sanábat omnes.

Postcommunio.

ANgelórum dape refécti, te, Dómine, deprecámur; ut sicut in fortitúdine hujus panis beátus Joánnes María advérsa ómnia invícta constántia tolerávit; ita nos ejus méritis et imitatióne de virtúte in virtútem eúntes ad te felíciter perducámur. Per Dóminum.

In fine Missae legitur Evangelium Vigiliae.

Die 11. Augusti.

S. Philumenae

Virg. et Mart.

Missa. **Loquébar.** de Comm. Virg. et Mart.

Et fit comm. Oct. S. Laurentii, ac Ss. Tiburtii et Susannae Virg., Mm.

Die 16. Augusti.

S. Rochi

Confessoris.

Ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Et fit comm. Octavarum ac S. Frambaldi Abbatis.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, terréna pro te calcántium merces magnánimis; da nobis exémplo et intercessióne beáti Frambáldi cujus solémnia celebrámus; temporália ómnia despícere et ad aetérna tota mentis intentióne festináre. Per Dóminum.

Secreta.

QUaesumus, virtútum coeléstium Deus, ut sacrifícia pro festivitáte beáti Frambáldi obláta rerum nos temporálium dóceant habére contémptum et bona fáciant ambíre sempitérna. Per Dóminum.

Postcommunio.

DEus, pro cujus amóre, beátus Frambáldus mundi glóriam fúgiens, perfectiónis evangélicae viam ingréssus est; ejus nobis intercessióne tríbue, ut spretis mundi illécebris, Christum sequi valeámus, cujus córpore sumus satiáti : Qui tecum vivit et regnat.

Die 18. Augusti.

S. Hyacinthi

Confessoris.

Omnia ut in Missali die 16. hujus, cum comm. Octav. Assumpt., et S. Apapiti Martyris.

Die 23. Augusti.

S. Sidonii Apollinaris

Episc., Conf.

Introitus. 2. Reg. 7.

EGO tuli te, ut esses dux super pópulum meum, et fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti, fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum qui sunt in terra. Ps. 127. Beáti omnes qui timent Dóminum : qui ámbulant in viis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui beátum Sidónium Confessórem tuum atque Pontíficem pópulo tuo praeésse, et verbo atque exémplo prodésse voluísti: eódem intercedénte; pastóres Ecclésiae tuae cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis aetérnae. Per Dóminum.

Et fit commem. Vigiliae.

Digitized by Google

Léctio Epístolae beáti Pauli Apóstoli ad Hebraeos. Hebr. 15. b

FRatres : Mementóte praepositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri, et hódie : ipse et in saecula. Doctrínis váriis, et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis : quae non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est, fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiae autem, et communiónis nolíte oblivísci : tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte praepósitis vestris, et subjacéte eis. Ipsi enim pervígilant quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

Graduale. Eccli. 45. Dedit illi Deus in praecéptis suis potestátem docére Jacob testimónia, et in lege sua lucem dare Israël. ℣. Eccli. 37. Vir perítus multos erudívit, et ánimae suae suávis est; et fructus sensus illíus fidéles sunt.

Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 51. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam; et in ipsa laudábo eum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et profóctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait : Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium dómini tui.

Offertorium. Eccli. 45. Excélsum fecit eum Deus, et státuit ei testaméntum aetérnum, et dedit illi sacerdótium gentis, et beatificávit illum in glória.

Secreta.

SUscipe, Dómine, preces et múnera: quae ut tuo digna sint conspéctu, sancti Pontíficis Sidónii précibus, quaesumus, adjuvémur. Per Dóminum.

Communio. Ps. 29. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me; nec delectásti inimícos meos super me.

Postcommunio.

PRaesta, quaesumus, omnípotens Deus : ut salutáris hóstia in tuo altári percépta; précibus beáti pastóris nostri Sidónii, in fide quam ille nos edócuit, immóbiles effíciat. Per Dóminum.

In fine Missae legitur Evangelium Vigiliae.

Die 26. Augusti.

S. Philippi Benitii
Confessoris.

Omnia ut in Missali die 23. hujus.

Et fit commem. S. Zephyrini Papae, Martyris.

Digitized by Google

Die 28. Augusti.

S. Juliani Martyris.

Introitus. Psalm. 85.

DEus, iníqui insurrexérunt super me, synagóga poténtium quaesiérunt ánimam meam, et non proposuérunt te in conspéctu suo. Ps. ibid. Inclína, Dómine, aurem tuam, et exáudi me : quóniam inops et pauper sum ego. ℣. Glória Patri.

Oratio.

PRopitiatiónem tuam Dómine, súpplices deprecámur : Mártyris tui Juliáni triúmphum nóbilem celebrántes; ut ipsum apud te habeámus intercessórem, quem per te venerámur victórem. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Hermetis Mart. ut in Missali.

Léctio libri Ecclesiastici. Eccli. 2.

FIli, accédens ad servitútem Dei, sta in justítia et timóre; et praepara ánimam tuam ad tentatiónem. Déprime cor tuum, et sústine : inclína aurem tuam, et súscipe verba intelléctus : et ne festínes in témpore obductiónis. Sústine sustentatiónes Dei : conjúngere Deo, et sústine; ut crescat in novíssimo vita tua. Omne quod tibi applícitum fúerit, áccipe; et in dolóre sústine, et in humilitáte tua patiéntiam habe : quóniam in igne probátur aurum et argéntum, hómines vero receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, et recuperábit te : et dírige viam tuam, et spera in illum. Serva timórem illíus, et in illo veterásce.

Graduale. Ps. 70. Firmaméntum meum et refúgium meum es tu, Deus meus; tu es patiéntia mea, Dómine. ℣. Quantas ostendísti mihi tribulatiónes, et convérsus vivificásti me!

Allelúia, allelúia. ℣. 2. Tim. 4. Dóminus mihi ástitit et confortávit me, et salvum fáciet in regnum suum coeléste. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 14. 26.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et qui non bájulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discípulus. Quis enim ex vobis volens turrim aedificáre, non prius sedens cómputat sumptus, qui necessárii sunt, si hábeat ad perficiéndum; ne, posteáquam posúerit fundaméntum, et non potúerit perfícere, omnes qui vident, incípiant illúdere ei, dicéntes : quia hic homo coepit aedificáre, et non pótuit consummáre? Aut quis rex itúrus committere bellum advérsus álium regem, non sedens prius cógitat, si possit cum decem míllibus occúrrere ei, qui cum vigínti míllibus venit ad se? Alióquin adhuc illo longe agénte, legatiónem mittens, rogat ea quae pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renúntiat ómnibus quae póssidet, non potest meus esse discípulus. Bonum est sal. Si autem sal evanúerit, in quo condiétur? Neque in terram, neque in sterquilínium útile est : sed foras mittétur. Qui habet aures audiéndi, áudiat.

Offertorium. Ps. 53. Voluntárie sacrificábo tibi; et confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est. Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me; et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Secreta.

DIvína, quae tibi offérimus, Dómine, sacrifícia, hunc in nobis caritátis ardórem accéndant : quo beátus Juliánus Martyr accénsus usque ad mortem pro justítia certávit. Per Dóminum.

Communio. Ps. 58. Cantábo, Dómine, fortitúdinem tuam, quia factus es susceptor meus, et refúgium meum in die tribulatiónis meae.

Postcommunio.

HUjus virtúte Sacraménti hanc nobis concéde grátiam, miséricors Deus : qua beátus Juliánus Martyr in confessióne nóminis tui ad mortem usque perseverávit; ut in fide et caritáte immóbiles, uni tibi constánter adhaereámus. Per Dóminum.

Digitized by Google

Die 1. Septembris.

S. Augustini

Episc., Conf. et Eccles. Doct.

Omnia ut in Missali, die 28. hujus.

Et fit commem. S. Ægidii Abbat. ut in Missa **Os justi.** de Comm. Abbatum. Deinde Ss. Duodecim Fratrum Martyrum, ut in Missali.

Die 4. Septembris.

S. Aviti I.

Episc., Conf.

Missa. **Dabo vobis.** ut in Festo S. Venerandi, die 22 Decembris, pag. **12.**

Die 12. Septembris.

Beati Joannis Gabrielis Taurini

Episc., Martyris.

Missa. **Státuit ei.** de Communi unius Martyris Pontificis j. loco, praeter Orationes sequentes.

Oratio.

BEáti Mártyris tui Joánnis Gabriélis Tauríni, nos praeclára fídei exémpla in tuo servítio ita confírment : ut fidéles usque ad mortem inveníri mereámur. Per Dóminum.

Et fit comm. Octavae.

Secreta.

BEáti Mártyris tui Joánnis Gabriélis Tauríni intercessióne, quaesumus, Dómine, Ecclésiae tuae commendétur oblátio; cujus et praedicatiónibus et exémplis illustrátur. Per Dóminum.

Postcommunio.

PER sacrifícium, Dómine, quod in honórem beáti Mártyris Joánnis Gabriélis Tauríni Majestáti tuae obtúlimus : praecónes Evangélicos multíplica et confírma; ut vera fides ubíque lucéscat, et magnificétur in géntibus nomen tuum. Per Dóminum.

Die 18. Septembris.

Pro commemoratione

S. Ferreoli

Martyris.

Orationes ut in Missa. **In virtúte tua.** de Comm. unius Mart. non Pont.

Die 23. Septembris.

S. Theclae

Virg. et Mart.

Missa. **Loquébar.** de Comm. Virg. et Mart. cum Orationibus propriis ut in Missali.

Die 25. Septembris.

S. Rustici

Episc., Conf.

Missa. **Dabo vobis.** ut in Festo S. Venerandi die 22. Decembris, pag. **12.**

Die 26. Septembris.

S. Lini

Papae, Martyris.

Omnia ut in Missali die 23. Septembr. Et fit comm. Ss. Cypriani et Justinae Virg., Mm.

Die 1. Octobris.

S. Remigii

Episc., Conf.

Missa. **Státuit.** de Comm. Conf. Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui per beáti Pontíficis nostri Remígii documénta, gentem Francórum ab idolórum vanitáte ad veritátem tui cultus veníre tribuísti : da, quaesumus; ut qui nómine Christiáno gloriámur, fidem nostram dignis opéribus ostendámus. Per Dóminum.

Die 12. Octobris.

S. Geraldi,

Confessoris.

Missa. **Justus ut palma.** de Comm. Conf. non Pont. ij. loco.

Digitized by Google

Die 19. Octobris.

S. Amabilis

Confessoris.

Introitus. II. Reg. 12. Eccli. 39.

VOcávit nomen ejus Amábilis Dómino, eo quod dilígeret eum Dóminus : ídeo non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia. Ps. 46. Omnes gentes pláudite mánibus, jubiláte Deo in voce exsultatiónis. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEus cujus antíqua mirácula per pretiósi sacerdótis tui Amábilis invocatiónem in praesénti quoque saeculo coruscáre sentímus : praesta, quaesumus; ut ejus magnália praedicántes, ássequi valeámus suffrágia gloriósa, et quem protectórem habémus in terris, apud tuam misericórdiam intercessórem habére mereámur in coelis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiae. Eccl. 50.

IN diébus suis curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. Qui praeváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis : et ingréssum domus amplificávit. Quasi stella matutína in médio nébulae et quasi sol refúlgens inter nébulas glóriae, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília quae sunt in tránsitu aquae, et quasi thus rédolens in diébus aestátis. Quasi ignis effúlgens et thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum et ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens, in accipiéndo ipsum stolam glóriae, et vestíri eum in consummatiónem virtútis. In ascénsu altáris sancti, glóriam dedit sanctitátis amíctum. In accipiéndo autem partes de manu sacerdótum, et ipse stans juxta aram. Et circa illum coróna fratrum.

Graduale. Eccli. 46, 14. Memória ejus in benedictióne est, et ossa ejus púllulant de loco suo, et diléctus est a Dómino Deo suo et in gente sua. In diébus suis aedificávit domum et exaltávit templum sanctum Dómino parátum in glóriam sempitérnam.

Allelúia, allelúia. ℣. Dan. 3, 88. Liberávit nos de médio ardéntis flammae, et de médio ignis éruit nos. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 10.

IN illo témpore : Revérsi sunt septuagínta duo cum gáudio, dicéntes : Dómine, étiam daemónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. Et ait illis : Vidébam sátanam sicut fulgur de coelo caléntem. Ecce dedi vobis potestátem calcándi supra serpéntes, et scorpiónes, et super omnem virtútem inimíci : et nihil vobis nocébit. Verúmtamen in hoc nolíte gaudére quia spíritus vobis subjiciúntur : gaudéte autem, quod nómina vestra scripta sunt in coelis. In ipsa hora exsultávit Spíritu sancto, et dixit : Confíteor tibi, Pater, Dómine coeli et terrae, quod abscondísti haec a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis.

Offertorium. Eccli. 45, 20. Elégit eum Dóminus ab omni vivénte offérre sacrifícium Deo, incénsum et bonum odórem pro pópulo suo.

Secreta.

SAncti Confessóris tui Amábilis nobis pia non desit orátio : quae et múnera nostra concíliet, et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Communio. Ps. 70, 6. In te, Dómine, spes mea, in te cantátio mea semper; tamquam prodígium factus sum multis et tu adjútor fortis.

Postcommunio.

AMóris tui, Dómine, sacraménto vegetáti, quaesumus, ut in beáti Amábilis Confessóris solemnitáte exsultántes, id mereámur amáre quod amávit, et ópere exercére quod praestitit. Per Dóminum.

Die 21. Octobris.

S. Petri de Alcantara

Confessoris.

Ut in Missali die 19. hujus.

Digitized by Google

Et fit comm. S. Hilarionis Abbatis, ac Ss. Ursulae et Sociarum Virginum et Martyrum.

Die 22. Octobris.

S. Nepotiani

Episc., Conf.

Missa. **Dabo vobis.** ut in Festo S. Venerandi, die 22. Decembris, pag. 12.

Die 24. Octobris.

S. Raphaëlis

Archangeli.

Ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 26. Octobris.

In Festo

Ss. Reliquiarum,

seu Ss. quorum Reliquiae in Ecclesiis Dioecesis Claromontensis asservantur.

Introitus. Ps. 33.

Ultae tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberábit eos Dóminus : Dóminus custódit ómnia ossa eórum : unum ex his non conterétur. Ps. ibid. Benedícam Dóminum in omni témpore : semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

AUge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris : et fac nos immortális glóriae partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Evaristi Papae, Mart.

Léctio libri Sapiéntiae. Eccli. 44.

HI viri misericórdiae sunt, quorum pietátes non defuérunt : cum sémine eórum pérmanent bona, haeréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum, et fílii eórum propter illos usque in aetérnum manent : semen eórum, et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. **Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.**

Graduale. Exodi 15. **Gloriósus Deus in sanctis suis, mirábilis in majestáte, fáciens prodígia. ℣. Déxtera tua Dómine, glorificáta est in virtúte : déxtera manus tua confrégit inimícos.**

Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 44. **Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt : et nómina eórum vivent in generatióne et generatiónem. Allelúia.**

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.** Luc. 6. c

IN illo témpore : Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judaea, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quaerébat eum tángere : quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse elevátis óculis in discípulos suos, dicébat : Beáti páupere : quia vestrum est regnum Dei. Beáti qui nunc esurítis : quia saturabímini. Beáti qui nunc fletis : quia ridébitis. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte : ecce enim merces vestra multa est in coelo.

Offertorium. Ps. 67. **Mirábilis Deus in sanctis suis : Deus Israël ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suae : benedíctus Deus, allelúia.**

Secreta.

IMplorámus, Dómine, cleméntiam tuam : ut sanctórum tuórum, quorum Relíquias venerámur, suffragántibus méritis, hóstia, quam offérimus, nostrórum sit expiátio delictórum. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ps. 32. **Gaudéte justi in Dómino : rectos decet collaudátio.**

Digitized by Google

Postcommunio.

MUltíplica super nos, quaesumus Dómine, per haec sancta quae súmpsimus, misericórdiam tuam: ut sicut in tuórum solemnitáte sanctórum, quorum relíquias cólimus, pia devotióne laetámur; ita eórum perpétua societáte, te largiénte, fruámur. Per Dóminum nostrum.

Die 27. Octobris.

S. Namatii

Episc., Conf.

Missa. **Dabo vobis.** ut in Festo S. Venerandi, die 22. Decembris, pag. **12.**

Et fit comm. Vigiliae.

In fine Missae legitur Evang. Vigiliae.

Die 29. Octobris.

S. Genesii

Martyris.

Missa. **In virtúte.** de Comm. unius Martyris non Pont.

Die 4. Novembris.

S. Caroli

Episc., Conf.

Ut in Missali, sed non fit comm. Ss. Vitalis et Agricolae.

Die 7. Novembris.

Pro commemoratione

S. Amandini

Confessoris.

Orationes ut in Missa. **Justus ut palma.** de Comm. Conf. non Pontif.

Die 13. Novembris.

S. Quintiani

Episc., Conf.

Missa. **Dabo vobis.** ut in Festo S. Desiderati, pag. **19,** praeter sequentia.

Oratio.

DEus qui précibus sancti Confessóris tui Quintiáni civitátem incúrsu hostíli vallátam liberásti: praesta quaesumus; nos a láqueo diabólicae fraudis exútos in tua glória cum ipso felíciter praesentári. Per Dóminum.

Die 16. Novembris.

S. Gregorii

Episc., Conf.

Missa. **Sacerdótes tui.** de Comm. Conf. Pont.

Die 24. Novembris.

Pro commemoratione

S. Portiani

Abbatis.

Orationes ut in Missa. **Os justi.** de Comm. Abbatum.

Digitized by Google

Praefationes cum cantu solemni.

PRAEFATIO IN ADVENTU.

Sequens Praefatio cum suo cantu dicitur in Dominicis Adventus, et Festis Duplicibus et Semiduplicibus in eo occurrentibus usque ad Vigiliam Nativitatis Domini inclusive, nisi in Festis propria assignetur.



PER ómni- a saecu- la saecu-



ló- rum. ℟. Amen. ℣. Dó-mi-



nus vo- bís- cum. ℟. Et cum spí-



ri- tu tu- o. ℣. Sur- sum cor-



da. ℟. Ha-bé-mus ad Dó-mi-

num. ℣. Grá-ti- as a-gá-mus



Dó-mi- no De- o nostro.



℟. Di-gnum et justum est. Ve-



re dignum et justum est, ae-



quum et sa- lu- tá- re, nos



ti- bi semper et u- bíque

Digitized by Google



Digitized by Google



PRAEFATIO DE SS. SACRAMENTO.

Sequens Praefatio cum suo cantu dicitur in Festo Corporis Christi, et per Oct.; etiam in Festis infra eamdem Oct. occurr., nisi propriam habuerint; et in Missis votivis de SS. Sacramento.



Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google



PRAEFATIO S. AUSTREMONII.

Sequens Praefatio cum suo cantu dicitur in Festo S. Austremonii et per Octavam, etiam in Festis infra eam occurrentibus, nisi propriam habuerint.



Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google



PRAEFATIO DE SANCTIS.

Sequens Praefatio cum suo cantu dicitur in Festo et per Octavam Omnium Sanctorum etiam in Festis, nisi propriam habuerint, in Festo Omnium Sanctorum Dioecesis Claromontensis; praetereain Festis Patroni et Titularis uniuscujusque Ecclesiae, nisi propriam habuerint.



Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google



Praefationes cum cantu feriali.

IN ADVENTU.

Sequens Praefatio cum suo cantu dicitur in diebus ferialibus Adventus a prima Dominica Adventus usque ad Vigiliam Nativitatis Domini inclusive.



Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

PRAEFATIO PRO DEFUNCTIS.

Sequens Praefatio cum suo cantu dicitur in omnibus Missis Defunctorum.



PER ómni- a sae-cu- la sae-



cu- ló- rum. ℟. A-men.

℣. Dó-mi- nus vo- bís-cum. ℟. Et



cum spí- ri- tu tu- o.



℣. Sur-sum corda. ℟. Ha-bé-mus



ad Dó-mi- num. ℣. Grá-



ti- as a- gá-mus Dó-mi- no



De- o nostro. ℟. Dignum et



ju-stum est. Ve- re dignum



et ju-stum est, aequum, et sa-



lu- tá- re, nos ti- bi semper



et u- bí-que grá- ti- as á-



ge- re, Dó-mi- ne sancte,



Pa- ter omní- pot- ens, ae- tér-



ne De- us, per Chri- stum

Digitized by Google



Digitized by Google



Praefationes sine cantu.

PRAEFATIO IN ADVENTU.

Sequens Praefatio dicitur a prima Dominica Adventus usque ad Vigiliam Nativitatis Domini inclusive, nisi in Festis propria assignetur.

PER ómnia saecula saeculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, aetérne Deus, per Christum Dóminum nostrum; quem pérdito hóminum géneri Salvatórem miséricors et fidélis promisísti : cujus véritas instrúeret ínscios, sánctitas justificáret ímpios, virtus adjuváret infírmos. Dum ergo prope est ut véniat quem missúrus es, et dies affúlget liberatiónis nostrae; in hac promissiónum tuárum fide piis gáudiis exsultámus. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia caeléstis exércitus, hymnum glóriae tuae cánimus, sine fine dicéntes.

Digitized by Google

PRAEFATIO DE SS. SACRAMENTO.

Sequens Praefatio dicitur in Festo Corporis Christi, et per Octavam; etiam in Festis infra eamdem Oct. occurrent., nisi propriam habuerint; et in Missis votivis de SS. Sacramento.

PER ómnia saecula saeculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, aetérne Deus, per Christum Dóminum nostrum; qui remótis carnálium victimárum inánibus umbris, Corpus et Sánguinem suum nobis in sacrifícium commendávit : ut in omni loco offerátur nómini tuo, quae tibi sola complácuit, oblátio munda. In hoc ígitur inscrutábilis sapiéntiae, et imménsae caritátis mystério, idípsum quod semel in cruce perfécit, non cessat mirabíliter operári, ipse ófferens, et ipse oblátio. Et nos unam secum hóstiam efféctos, ad sacrum invítat convívium, in quo ipse cibus noster súmitur, recólitur memória Passiónis ejus, mens implétur grátia, et futúrae glóriae nobis pignus datur. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia caeléstis exércitus, hymnum glóriae tuae cánimus, sine fine dicéntes.

PRAEFATIO S. AUSTREMONII.

Sequens Praefatio dicitur in Festo S. Austremonii et per Octavam, etiam in Festis infra eam occurrentibus, nisi propriam habuerint, et in Missis votivis S. Austremonii.

PER ómnia saecula saeculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutáre, te quidem, Dómine, in ómnibus Sanctis tuis mirábilem praedicáre; sed in hac praesértim beáti Austremónii festivitáte, máximas tibi grátias ágere. Ipse enim vere nobis est Apóstolus, cujus ministério nos a ténebris ad lucem, et a morte ad vitam misericórditer transtulísti; hunc dedísti nobis patrem et magístrum, qui et per Evangélium nos in Christo génuit, et viam justítiae, verbo et exémplo primus monstrávit; hanc tu nobis illo praedicánte grátiam contulísti, ut qui hóspites erámus et ádvenae nunc cives Sanctórum et doméstici Dei nominémur et simus. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia caeléstis exércitus, hymnum glóriae tuae cánimus, sine fine dicéntes.

PRAEFATIO DE SANCTIS.

Sequens Praefatio dicitur in Festo et per Octavam Omnium Sanctorum etiam in Festis, nisi propriam habuerint; in Festo Omnium Sanctorum Dioecesis Claromontensis; praeterea in Festis Patroni et Titularis uniuscujusque Ecclesiae, nisi propriam habuerint.

PER ómnia saecula saeculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutáre, nos tibi semper, et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, aetérne Deus. Qui glorificáris in concílio Sanctórum, et eórum coronándo mérita corónas dona tua : qui nobis in eórum praebes, et conver-

Digitized by Google

satióne exémplum, et communióne consórtium, et intercessióne subsídium : ut tantam habéntes impósitam nubem téstium, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen, et cum eis percipiámus immarcessíbilem glóriae corónam; per Jesum Christum Dóminum nostrum, cujus sánguine ministrátur nobis intróitus in aetérnum regnum. Per quem majestátem tuam treméntes adórant Angeli, et omnes spirítuum caeléstium chori, sócia exsultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admítti júbeas deprecámur, súpplici confessióne dicéntes.

PRAEFATIO PRO DEFUNCTIS.

Sequens Praefatio dicitur in omnibus Missis Defunctorum.

PER ómnia saecula saeculórum.
℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, aetérne Deus, per Christum Dóminum nostrum : in quo nobis spem beátae resurrectiónis concessísti; ut dum natúram contrístat certa moriéndi condítio, fidem consolétur futúrae immortalitátis promíssio. Tuis enim fidélibus, Dómine, vita mutátur, non tóllitur; et dissolúta terréstris hujus habitatiónis domo, aetérna in caelis habitátio comparátur. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia caeléstis exércitus, hymnum glóriae tuae cánimus, sine fine dicéntes.



Digitized by Google

Index alphabeticus.

ABRAHAE Abb. 15 Jun. 26
Amabilis Conf. 19 Oct. 35
Amandini Conf. (Commem.) 7 Nov. . . 37
Antoliani et Socior. Mm. 29 Mart. . . . 21
Aprunculi Episc., Conf. 14 Maj. . . . 24
Arthemii Episc., Conf. 24 Jan. . . . 15
Augustini Episc., Conf. et Eccl. Doct. 1 Sept. 33
Austremonii Episc., Mart. Dom. infra Oct. omnium Sanctorum 9
Aviti I. Episc., Conf. 4 Sept. 33
Aviti II. Episc., Conf. 23 Mart. . . . 21

BONITI Episc., Conf. 15 Jan. 14

CARILEPHI Conf. 21 Jul. 29
Caroli Episc., Conf. 4. Nov. 37
Cassii et Socior. Mm. 15 Maj. 24
Cleti et Marcellini Pontt. Mm. 27 Apr. . . 22
Clotildis Reginae, Vid. 17 Jun. . . . 27
Commem. Omnium Ss. Apost. 29 Jun. . . 28
— — Omnium Ss. Martyrum. 26. Dec. . 13
— — Omnium Ss. Pontif. Dom. I. non impedita post Oct. Ss. Petri et Pauli App. . 7
Conversio S. Pauli Ap. 28. Jan. . . . 16
Cordis Jesu. Feria VI. post Oct. Ssmi Corporis Christi. 7
Cyrilli Episc., Hierosol. Conf. et Eccl. Doct. 20 Mart. 21
Cyrilli et Methodii Epp., Confl. 11 Jul. . . 29

DEDICATIO Omnium Ecclesiar. Dioec. Claromonten. Dom. I. post Oct. Omnium Ss. . 10
— — Octava. Dom. II. post Oct. Omnium Ss. 10
Desiderati Episc., Conf. 16. Febr. . . . 19
Didaci Conf. 5 Dec. 11

ELIGII Episc., Conf. 1. Dec. . . . 11
Euphrasii Episc., Conf. 16. Ap. . . . 22

FAMILIAE S. Jesu, Mariae, Joseph. Dom. III. post Epiph. 5
Ferreoli Mart. (Commem.) 18. Sept. . . 34
Fidoli Abb. 16 Maj. 24
Flaminae Virg. et Mart. (Commem.) 2 Maj. . 22
Flori Episc., Conf. 1 Jun. 24
Frumbaldi Abb. (Commem.) 16 Aug. . . 31

GABRIELIS Archang. 18 Mart. . . . 21
Galli Episc., Conf. 3 Jul. 28
Genesii Episc., Conf. 3 Jun. 37
Genesii Mart. 29 Oct. 25
Genovefae Virg. (Commem.) 3 Jan. . . 13
Georgiae Virg. 15 Febr. 18
Geraldi Conf. 12 Oct. 34
Gilberti Abb. 7 Jun. 26
Gregorii Episc., Conf. 16 Nov. . . . 37
Gulielmi Episc., Conf. (Commem.) 10 Jan. . 14

HERMENEGILDI Mart. 15 Apr. . . 22
Hyacinthi Conf. 18 Aug. 31

ILLIDII Episc., Conf. 7 Jul. 28
Irenaei Episc., Mart. 4 Jul. 28

JOANNAE Valesiae nec Virg. nec Martyris. 5 Mart. 21
Joannis Bapt. de la Salle Conf. 21. Maj. . 24
Joannis Francisci Regis Conf. 16 Jun. . . 26
Joannis Gabrielis Taurini Dufresse Episc., Mart. 12 Sept. 34
Joannis de Matha Conf. 14 Febr. . . . 18
Joannis Mariae Vianney Conf. 9 Aug. . . 30
Juliani Mart. 28 Aug. 33

LANCEAE et Clavorum D. N. J. C. Feria VI. post Dom. I. Quadrag. 5
Leobardi Conf. 20 Febr. 21
Lini Papae, Mart. 26 Sept. 34

MANIFESTATIONIS Immaculatae V. M. a Sacro Numismate 27 Nov. 10
Mariae B. V. Almae Domus Translat. 10 Dec. 12
— Apparitio Immaculatae. 11 Febr. . 18
— Auxilium Christianorum. 24 Maj. . 24
— de Bono Consilio. 26 April. . . 22
— Cordis Purissimi Dom. post Octavam Assumpt. 7
— Desponsatio 23 Jan. 15
— Exspectatio Partus. 18 Dec. . . 12
— de Gratia 9 Jun. 26
— Maternitas. Dom. II. Oct. . . . 8
— Patrocinium. Dom. IV. Oct. . . 9
— de Portu. Dom. III. Maj. . . . 6
— Puritas. Dom. III. Oct. . . . 9
Marii Conf. 8 Jun. 26
Martialis Episc., Conf. 9 Jul. 29
Martii Abb. 13 Apr. 22
Medulphi Conf. (Commem.) 1 Jun. . . 25
Menelei Abb. (Commem.) 22 Jul. . . . 29
Monicae Vid. 11 Maj. 24

NAMATII Episc. Conf. 27 Oct. . . . 37
Necterii Conf. 9 Dec. 11
Nepotiani Episc., Conf. 22 Oct. . . . 36

ODILONIS Abb. 3 Febr. 16
Omnium Ss. Episcop. aliorumq. Ss. Eccl. Claromont. Dom. I. Sept. 7
Orationis D. N. J. C. Feria III. post Domin. Septuag. 5

PASSIONIS D. N. J. C. Commem. Feria III. post Dom. Sexag. 5
Pauli primi Eremitae, Conf. 12 Febr. . . 18
Petri de Alcantara Conf. 21 Oct. . . . 35
Philippi Benitii Conf. 26 Aug. . . . 32
Philumenae Virg. et Mart. 11 Aug. . . 31
Portiani Abb. (Commem.) 24 Nov. . . . 37
Praejecti Episc. et Socior. Mm. 25 Jan. . . 16
Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. 5
Proculae Virg. et Mart. (Commem.) 9 Jul. . 29

Digitized by Google

QUINQUE Vulnerum D. N. J. C. Feria VI. post Dom. III. Quadrag. 5
Quintiani Episc. Conf. 13 Nov. . . . 37

RAPHAELIS Archang. 24 Oct. . . . 36
Raymundi de Penafort Conf. 19 Febr. . . 21
Reliquiarum Ss. 26 Oct. 36
Remigii Episc., Conf. 1 Oct. 34
Roberti Abb. 17 Apr. 22
Rochi Conf. 16. Aug. 31
Rustici Episc., Conf. 25 Sept. 34

SEPTEM Fundatorum Conff. 17 Febr. . . 21
Sereni Mart. 25 Febr. 21
Sidonii Apollinaris Episc., Conf. 23 Aug. . 31
Sigonis Episc., Conf. 18 Febr. . . . 21
Sindonis Ss. D. N. J. C. Feria VI. post Dom. II. Quadrag. 5
Spineae Coronae D. N. J. C. Feria VI. post Cineres. 5
Stanislai Kostkae Conf. 29 Nov. . . . 11
Stephani Grandimonten. Conf. 8 Febr. . . 17
Suscept. S. Coronae Domini 4 Maj. . . 23

THECLAE Virg. et Mart. 23 Sept. . . 34
Tigridii Conf. 16 Mart. 21
Timothei Episc., Mart. 13 Febr. . . . 18

UBALDI Episc., Conf. 22 Maj. . . . 24
Urbani II. Papae, Conf. 30 Jul. . . . 29
Urbani V. Papae Conf. 19 Dec. . . . 12

VALARICI Abb. 1 Apr. 21
Venerandi Episc., Conf. 22 Dec. . . . 12
Vitalis et Agricolae Mm. 28 Nov. . . . 10
Volusiani Episc. Mart. (Commem.) 11 Febr. . 18

IMPRIMATUR. — Tornaci, 25 Septembris 1906.
V. DUREZ, Vic. Gen.

Typis Societatis S. Joannis Evangelistae — DESCLÉE, LEFEBVRE et Soc. — Romae-Tornaci.

Digitized by Google

Dominica infra Octavam Omnium Sanctorum.

In Festo

Omnium Sanctorum Societatis Jesu.

Introitus. *Philipp. 2.*

IN nómine Jesu omne genu flectátur, coeléstium, terréstrium et infernórum : et omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris. *Ps. 8.* Dómine, Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! ℣. Glória Patri.

Oratio.

DA nobis, quaesumus Dómine, per intercessiónem beáti patris Ignátii sanctorúmque ómnium qui sub sanctíssimi Nóminis Jesu vexíllo ipso duce militárunt : ita tibi perfécto corde servíre; ut post hujus vitae cursum gloriósi éxitus illórum consórtes esse mereámur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio Dominicae.

Léctio **Epistolae** beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *2. Cor. 6.*

FRatres : Adjuvántes autem exhortámur, ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Némini dantes ullam offensiónem, ut non vituperétur ministérium nostrum : sed in ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu Sancto, in caritáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei, per arma justítiae a dextris et a sinístris, per glóriam et ignobilitátem, per infámiam et bonam famam : ut seductóres, et veráces : sicut qui ignóti, et cógniti : quasi moriéntes, et ecce vívimus : ut castigáti, et non mortificáti : quasi tristes, semper autem gaudéntes : sicut egéntes, multos autem locupletántes : tamquam nihil habéntes, et ómnia possidéntes. Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus : Quóniam inhabitábo in illis et inambulábo inter eos : et ero illórum Deus, et ipsi erunt mihi pópulus.

Graduale. *Hebr. 13.* Mementóte praepositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. ℣. *Ps. 132.* Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum!

Allelúia, allelúia. ℣. *Luc. 22.* Vos estis, qui permansístis mecum in tentatiónibus meis : et ego dispóno vobis regnum, ut sedeátis super thronos judicántes duódecim tribus Israël. Allelúia.

✠ Sequéntia **sancti Evangélii** secúndum Matthaeum. *Matth. 5.*

IN illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et apériens os suum, docébat eos, dicens : Beáti páuperes spíritu : quóniam ipsórum est regnum coelórum. Beáti mites : quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent : quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt, et sítiunt justítiam : quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes : quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici : quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti, qui persecutiónem patiúntur propter justítiam : quóniam ipsórum est regnum coelórum. Beáti estis, cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes propter me : gaudéte, et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in coelis. Credo.

Digitized by Google

Offertorium. Fílii eórum propter illos usque in aetérnum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem.

Secreta.

MIlítibus tuis, Dómine, adésto propítius, Sanctórum tuórum interveniénte suffrágio : et quos coeléstibus mystériis alis ad victóriam, tui nóminis virtúte confírma : Qui vivis et regnas.

Communio. *1. Cor. 1.* Fidélis Deus, per quem vocáti estis in societátem fílii ejus Jesu Christi Dómini nostri.

Postcommunio.

FAC nos, Dómine Jesu, immortalitátis alimónia refóctos, in corde tuo júgiter vívere : ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes; perpétua vita cum Sanctis tuis fruámur in coelis : Qui vivis et regnas.

Commem. Dominicae, cujus Evang. legitur in fine.

SOCIETATIS JESU.

IMpensa totius Societatis Jesu vota depromens, Rmus Pater Ludovicus Martin, eidem Societati Præpositus Generalis, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII. humillimis precibus rogavit, ut Festum Omnium Sanctorum sub ritu duplici secundæ classis, prouti compluribus Religiosis Ordinibus concessum fuit, amodo a Patribus Alumnisque ipsius Societatis in posterum recoli valeat : atque schema respectivi Officii cum Missa proprii diligenter exharatum, supremæ Apostolicæ Sedis sanctioni demississime subjecit.

Exhibitum vero hujusmodi Officium et Missam quum, ad juris tramitem, Emus et Rmus Dñus Cardinalis Andreas Steinhuber, Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, proposuerit ; Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus præpositi, re mature perpensa, auditoque R. P. D. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt : *Pro gratia, et ad Emum Ponentem cum Promotore Fidei.* Die 21. Aprilis 1903.

Quare propositi Officii et Missæ ab ipso Emo Ponente cum Promotore Fidei revisione accuratissime peracta, hisque omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII. per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Præfectum relatis; Sanctitas Sua sententiam Sacri ipsius Consilii ratam habens, suprascriptum Officium cum Missa proprium de Festo Omnium Sanctorum Societatis Jesu, enuntiata Dominica Novembris ritu duplici secundæ classis ab universa eadem Societate in posterum quotannis recolendo, benigne approbare dignata est : servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 22., iisdem mense et anno.

(L. ✠ S.)

S. CARD. CRETONI, *Præf. S. R. C.*
✠ D. Panici, *Archiep. Laodicen. Secret.*

Concordat cum suo Originali. In fidem etc.

Ex Secretaria Sacror. Rituum Congregationis,
die 3 Julii 1903.

✠ D. Panici, *Archiep. Laodicen. S. R. C. Secretarius.*

IMPRIMATUR.
Tornaci, die 9 Octobris 1903.
Vict. DUREZ, Vic. Gen.

Typis Soc. S. Joannis Evang. — DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. — Romæ-Tornaci-Parisiis.

Digitized by Google

DIE XVII. MAII.

Beati Andreae Abellonii

Confessoris Ordinis Praedicatorum. Duplex.

Officium. Os justi. ut in Communi unius Conf. non Pontif. pag. 17*

Oratio.

DEUS, qui beáto Andréae Confessóri tuo Evangélium pacis ópere ac sermóne praedicáre tribuísti : ejus quaesumus intercessióne, fac nos legem tuam corde perfécto suscípere, et sanctis móribus adimplére. Per Dóminum.

Secreta.

CONCEDE sanctíssime Pater, ut immaculátam Hóstiam tibi digne libémus ; quam beátus Andréas puris mánibus immolábat. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

CORPORIS et sánguinis tui Sacraméntum, quaesumus Dómine, ab omni nos labe purífícet : et intercedénte beáto Andréa Confessóre tuo, sanctitátem júgiter in nobis operétur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Concordat cum originali. IMPRIMATUR.
Tornaci, die 13 Maii 1903.
Vict. DUREZ, Vic. Gen.

Digitized by Google

Typis Societatis S. Joannis Evangelistae, Desclée, Lefebvre et Soc. — Romae-Tornaci.

Digitized by Google

MISSÆ PROPRIÆ
IN USUM
CIVITATIS ET DIŒCESIS AUXIMANÆ.

Die 4. Decembris.
S. Barbaræ Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Communi Virginis et Martyris.

Die 24. Januarii.
S. Exuperantii Episc. Conf.

Introitus. Ps. 88.

INvéni David servum meum: óleo sancto meo unxi eum, manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Ps. ibid. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo.

Oratio.

Deus, qui beátum Exuperántium Confessórem tuum atque Pontíficem grátiæ tuæ donis cumulátum ad cœléstem glóriam perduxísti, concéde nobis, quæsumus; ut ejus patrocínio muníti ætérna præmia cónsequi mereámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli. 2. Cap. 1.

Fratres: Grátia vobis, et pax adimpleátur in cognitióne Dei, et Christi Jesu Dómini nostri: quómodo ómnia nobis divínæ virtútis suæ, quæ ad vitam, et pietátem donáta sunt per cognitiónem ejus, qui vocávit nos própria glória, et virtúte, per quem máxima, et pretiósa nobis promíssa donávit: ut per hæc efficiámini divínæ consórtes natúræ: fugiéntes ejus, quæ in mundo est, concupiscéntiæ corruptiónem. Vos autem curam omnem subinferéntes, ministráte in fide vestra virtútem, in virtúte autem sciéntiam, in sciéntia autem abstinéntiam, in abstinéntia autem patiéntiam, in patiéntia autem pietátem, in pietáte autem amórem fraternitátis, in amóre autem fraternitátis caritátem. Hæc enim si vobíscum adsint, et súperent, non vácuos, nec sine fructu vos constítuent in Dómini nostri Jesu Christi cognitióne.

Graduale. Ps. 118. Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me: ego autem exercébor in mandátis tuis.

℣. Viam mandatórum tuórum cucúrri, cum dilatásti cor meum.

Allelúja, allelúja.

Ps. 111. Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus, generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus, et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Digitized by Google

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 15.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: In hoc clarificátus est Pater meus, ut fructum plúrimum afferátis, et efficiámini mei discípuli. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gaúdium meum in vobis sit, et gaúdium vestrum impleátur. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Majórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid fáciat dóminus ejus. Vos autem dixi amícos, quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegístis, sed ego elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis; et fructus vester máneat: ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis.

Offertorium. Ps. 109. Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

Secreta.

Propitiatiónis hóstiam Tibi, Dómine, offérimus, supplíciter deprecántes; ut beáto Exuperántio Confessóre tuo atque Pontífice intercedénte, ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Communio. Joann. 15. Manéte in dilectióne mea, sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos.

Postcommunio.

Salutáribus mystériis refóctos, fac nos, quæsumus Dómine, beáti Exuperántii, Confessóris tui atque Pontíficis, cujus virtútes mirámur, exémplo profícere, et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dóminum nostrum.

Die 6. Februarii.

B. Antonii ab Amandula Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Da, quæsumus, miséricors Deus; ut intercedénte beáto António Confessóre tuo, crucis mortificatiónem júgiter in córpore nostro ferámus, ac hostíli nullátenus incursióne turbémur. Per Dóminum.

Die 9. Februarii.

S. Hyacinthæ de Mariscottis Virg.

Missa. Dilexísti. de Communi Virginum præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátam Hyacíntham Vírginem tuam jugis mortificatiónis, et caritátis víctimam effecísti: ejus nobis exémplo et intercessióne concéde; ut peccáta nostra deflére, et te semper dilígere valeámus. Per Dóminum.

Die 19. Februarii.

B. Petri a Treja Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Petrum Confessórem tuum cœléstibus donis cumulásti: præsta, quæsumus; ut ejus patrocínio gaudeámus in terris, et glóriæ consórtio perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

Digitized by Google

Die 22. Martii.

S. Benvenuti Episc. Auxim. Conf. Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui miraculórum fulgóre beáti Benvenúti Confessóris tui atque Pontíficis gloriósa mérita declarásti: concéde propítius; ut ejus précibus, et méritis a perículis mentis, et córporis liberémur, et ad vitam perveniámus ætérnam. Per Dóminum nostrum.

Die 8. Aprilis.

B. Clementis ab Auximo Conf. Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Aurem tuam, quæsumus Dómine, précibus nostris benígnus inclína: et intercessióne beáti Cleméntis Confessóris tui præsta; ut víscera misericórdiæ et benignitátis induéntes, alter altérius ónera portáre valeámus. Per Dóminum.

Die 12. Aprilis.

S. Emidii Episc. Mart. Temp. Pasch. Missa. Protexísti; extra hoc tempus Missa. Státuit. de Comm. cum Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Emídium Mártyrem tuum atque Pontíficem idolórum victória et miraculórum glória decorásti: concéde propítius; ut, eo interveniénte, malórum spirítuum fraudes víncere et coruscáre virtútibus mereámur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Hóstias tibi, Dómine, beáti Emídii Mártyris tui atque Pontíficis dicátas méritis benígnus assúme, et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Refécti participatióne múneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster: ut cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Emídio Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 15. Aprilis.

S. Maronis Presbyt. Mart.

Introitus. Ps. 60.

IN petra exaltásti me, deduxísti me, quia factus es spes mea, turris fortitúdinis a fácie inimíci. (T. P. Allelúja, allelúja.) Ps. 43. Deus, aúribus nostris audívimus, patres nostri annuntiavérunt nobis. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Propitiáre, Dómine, pópulo tuo: et quos beáti Marónis Mártyris tui prædicatióne, et miráculis, christiánæ fídei mystériis imbuísti, semper ejus patrocínio ab omni adversitáte custódi. Per Dóminum.

In Quadrag. fit Comm. Feriæ.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 4.

Fratres: Spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infírmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus et laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur, et benedícimus: persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obse-

Digitized by Google

crámus: tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo; sed ut fílios meos caríssimos móneo. Nam si decem míllia pædagogórum habeátis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui.

Graduale. Ps. 36. Justus, cum cecíderit, non collidétur, quia Dóminus suppónit manum suam.

℣. Ps. 70. In te cantátio mea semper: tamquam prodígium factus sum multis, et tu adjútor fortis.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 17. et Rom. 15. Proptérea confitébor tibi in géntibus, Dómine, et nómini tuo psalmum dicam. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória, et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Temp. Pasch. omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. In te cantátio mea semper: tamquam prodígium factus sum multis, et tu adjútor fortis. Allelúja.

℣. Proptérea confitébor tibi in géntibus, Dómine, et nómini tuo psalmum dicam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 16.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit; qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur: in nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et, si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit; super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Offertorium. Isai. 52. Quam pulchri super montes pedes annuntiántis et prædicántis pacem, annuntiántis bonum, et prædicántis salútem!

Secreta.

Quæsumus, Dómine, ut salutáris hóstiæ, quam in beáti Maróonis Mártyris tui solemnitáte deférimus, oblatióne placátus, et véniam nobis tríbuas, et postuláta concédas. Per Dóminum.

Communio. Matth. 11. Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos: jugum enim meum suáve est, et onus meum leve, dicit Dóminus.

Postcommunio.

Divíno múnere satiáti, quæsumus, Dómine, ut medicinális operátio Sacraménti, beáti Maróonis Mártyris tui intercedéntibus méritis, et corpóribus nostris prosit, et méntibus. Per Dóminum.

Domin. I. non impedita Mensis Maji.

B. Mariæ V.

Titulo **Matris Pietatis.**

Missa. Salve. a Pasch. ad Pentec. Evang. Loquénte Jesu. ex Missa a Pentec. usque ad Adv.

Digitized by Google

Die 11. Maji.

Ss. Florentii, Sisinii, Diocletii et **Maximi** Mm. Auxim.

Temp. Pasch. Missa. Sancti tui, extra hoc tempus Missa. Sapiéntiam Sanctórum. de Communi cum Orationibus sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui per gloriósi bella certáminis immortalitátis prǽmia beátis Martýribus tuis Floréntio, Sisínio, Dioclétio et Máximo contulísti: da córdibus nostris dignam pro eórum commemoratióne lætítiam; ut quorum gaudémus triúmphis, provocémur exémplis. Per Dóminum.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus, quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Floréntio, Sisínio, Dioclétio et Máximo; ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum nostrum.

Die 15. Maji.

Ss. Victoris et **Coronæ** Mm. Patr. princip. Civit. Auxim.

Temp. Pasch. Missa. Sancti tui, extra hoc tempus Missa. Intret. de Comm. cum Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Victóris et Corónæ solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Oblátis, quæsumus Dómine, placáre munéribus, et intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Victóre et Coróna a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine, et intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Victóre et Coróna cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dñm.

Die 28. Maji.

S. Isidori Agricolæ Conf.

Missa. Justus ut palma. de Comm. Conf. non Pont. præter sequ.

Oratio.

Da nobis, quæsumus miséricors Deus: beáto Isidóro agrícola Confessóre tuo intercedénte, supérbe non sápere; sed ejus méritis et exémplis, plácita tibi semper humilitáte deservíre. Per Dóminum nostrum.

Evang. Ego sum vitis vera. de Comm. unius Mart. Temp. Pasch.

Die 1. Junii.

Purissimi Cordis B. Mariæ V.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis Dom. III. post Pentecosten.

Die 16. Junii.

Inventionis S. Vitaliani Episc. Auxim. Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Da, quæsumus omnípotens Deus: ut beáti Vitaliáni Confessóris tui atque Pontíficis veneránda invéntio, et devotiónem nobis aúgeat, et salútem. Per Dóminum.

Digitized by Google

Die 17. Junii.

S. Joannis Francisci Regis Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui ad plúrimos pro salúte animárum perferéndos labóres, beátum Joánnem Francíscum Confessórem tuum mirábili caritáte, et invícta patiéntia decorásti: concéde propítius; ut ejus exémplis instrúcti, et intercessiónibus adjúti, ætérnæ vitæ prémia consequámur. Per Dóminum.

Dom. I. post diem 2. Julii.

Ssmi Redemptoris.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis Domin. III. huj. mensis vel die 23. Octobris.

Die 10. Julii.

S. Paterniani Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, solemnitátem hujus diéi intuére: et Ecclésiam tuam beáti Paterniáni Confessóris tui atque Pontíficis contínua fac celebritáte gaudére, et ómnium in te credéntium vota perfícias. Per Dóminum.

Secreta.

Deus, qui beátum Paterniánum Confessórem tuum atque Pontíficem multis fecísti claréscere virtútibus, ejus précibus nos donis cœléstibus insignire dignéris. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Précibus et méritis beáti Paterniáni Confessóris tui atque Pontíficis, Dómine, suffúlti, mereámur cum ipso in ætérna felicitáte lætári. Per Dóminum.

Die 16. Julii.

S. Vitaliani Episc. Auxim. Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. 1. loco.

Die 24. Julii.

S. Christinæ Virg. et Mart.

Missa. Me exspectavérunt. de Comm. Virg. et Mart. præter Orationem sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius; ut qui beátæ Christínæ Vírginis et Mártyris tuæ solémnia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Die 27. Julii.

B. Petri a Molleano Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, caritátis amátor, et auctor pacis, qui beátum Petrum Confessórem tuum admirábili stúdio fovéndæ concórdiæ decorásti: præsta, quæsumus; ut ejus intercedéntibus méritis, perpétuæ pacis gaúdiis perfruámur. Per Dñm.

Die 30. Julii.

B. Hugonis Confessoris.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui in beáto Hugóne Confessóre tuo mirum divínæ contemplatiónis stúdium, cum pari

Digitized by Google

erga próximos caritáte sociásti: tríbue, quæsumus; ut in utróque eum imitántes in terris, cum eo præmia ætérna mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Die 7. Augusti.

S. Donati Episcopi, Martyris.

Introitus. Dan. 3.

Acerdótes Dei benedícite Dóminum: sancti, et húmiles corde laudáte Deum. Ps. ibid. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte, et superexaltáte eum in sæcula. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, tuórum glória sacerdótum: præsta quæsumus; ut sancti Mártyris tui, et Epíscopi Donáti, cujus festa gérimus, sentiámus auxílium. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 5.

Fratres: Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit, ut Póntifex fíeret: sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo.

℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem excélsi.

Allelúja, allelúja.

℣. Joann. 10. Ego sum Pastor bonus: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 10. b.

In illo témpore: Dixit Jesus pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognósco meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam aúdient, et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Credo.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta.

Præsta, quæsumus Dómine; ut sancti Mártyris tui et Epíscopi Donáti intercessióne quem ad laudem nóminis tui dicátis munéribus honorámus, piæ nobis fructus devotiónis accréscat. Per Dóminum nostrum.

Digitized by Google

Communio. Joann. 10. Ego sum Pastor bonus, et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ.

Postcommunio.

Omnípotens, et miséricors Deus, qui nos sacramentórum tuórum et partícipes éfficis, et minístros: præsta, quæsumus; ut intercedénte beáto Donáto Mártyre tuo atque Pontífice, ejúsdem proficiámus et fídei consórtio, et digno servítio. Per Dóminum.

Die 24. Augusti.

S. Rochi Confessoris.

Missa. **Justus.** præter Orat. sequ.

Oratio.

Pópulum tuum, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi: et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum nostrum.

Domin. I. Septembris.

B. Mariæ V.

Titulo **Matris Misericordiæ.**

Missa. Salve sancta parens. ut in Missis votivis B. Mariæ V. a Pentecoste usque ad Adventum præter Orationem sequ.

Oratio.

Adésto, Dómine, pópulo tuo: ut beatíssimam Vírginem Maríam Matrem Misericórdiæ devóte récolens, ad impetrándam misericórdiam tuam ejus semper patrocíniis adjuvétur. Per Dóminum.

Die 11. Septembris.

S. Sperandiæ Virginis.

Missa. **Dilexísti.** de Comm. Virg. 1. loco, præter Orat. sequ.

Oratio.

Dómine Jesu, qui beátam Sperándiam Vírginem a terrénis solútam afféctibus ad Passiónis tuæ sectánda vestígia mirabíliter traduxísti: da; ut ejus intercessióne et exémplo per arctam salútis viam incedéntes, ad Te, qui via et vita es, pervenire felíciter mereámur. Qui vivis et regnas.

Die 22. Septembris.

Translationis **Ss. Victoris, Coronæ** et **Philippi** Mm.

Missa. **Sapiéntiam.** de Communi.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Victóris, Corónæ et Philíppi translatiónem cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.



Digitized by Google

Die 23. Septembris.

S. Theclæ

Virg. et Feminarum Protomart., Cathedr. Ecclesiæ Auximanæ Titularis.

Introitus.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes, sub honóre beátæ Theclæ Vírginis et Mártyris: de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei. Ps. 95. Cantáte Dómino cánticum novum: cantáte Dómino omnis terra. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, pro cujus nóminis glória magnum certámen passiónum beáta Thecla Virgo et Martyr tua, feminárum prima, invícta fide sustínuit: da nobis ejúsdem fídei imitatióne próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 51.

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor, et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium: et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me: a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta: de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa. Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de mánibus géntium, Dómine Deus noster.

Graduale. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem.
℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.

Allelúja, allelúja.
℣. Adducéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes. Sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum. Prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso dor-

Digitized by Google

mitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non suffíciat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus; et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem neque horam. Credo.

Offertorium. Ps. 44. Afferéntur regi Vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia, et exsultatióne: adducéntur in templum regi Dómino.

Secreta.

Hæc hóstia, Dómine, placatiónis et laudis, quæsumus; ut interveniénte beáta Thecla Vírgine et Mártyre, nos propitiatióne tua dignos semper effíciat. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ps. 118. Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me: ego autem in mandátis tuis exercébor, in tuis justificatiónibus, ut non confúndar.

Postcommunio.

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: ut intercedénte beáta Thecla Vírgine ac Mártyre, tuæ in nobis pietátis dona multíplices, et témpora nostra in tua pace dispónas. Per Dóminum.

Die 25. Septembris.

S. Pacifici a S. Severino Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Largítor ómnium bonórum Deus, qui beátum Pacíficum Confessórem tuum exímiæ patiéntiæ virtúte, et solitúdinis amóre decorásti: ejus nobis intercessióne concéde; ut per éadem vestígia gradiéntes, éadem assequámur et prǽmia. Per Dóminum.

Secreta.

Ut Sacrifícium, quod beáti Pacífici interveniénte suffrágio, majestáti tuæ offérimus, Dómine, acceptábile tibi, nobísque sit salutáre; fac nos ea cordis humilitáte, eóque spíritus ardóre sacrum mystérium perágere, quo ipse quotídie perégit. Per Dóminum.

Postcommunio.

Pro cœlésti convívio, quo nos excípere dignátus es, Dómine, grátias agéntes, te humíliter deprecámur; ut qui manducávimus tuam carnem, et bíbimus tuum sánguinem, intercedénte beáto Pacífico, vitam habeámus ætérnam. Qui vivis et regnas.

Die 27. Septembris.

S. Bonfilii Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus humílium celsitúdo, qui beátum Bonfílium Episcopále munus humilitáti postpónere do-

Digitized by Google

cuísti: concéde nobis fámulis tuis; ut ejus exémplo terréna despiciéntes, promíssa humílibus prǽmia consequámur. Per Dóminum.

Die 8. Octobris.

S. Palatiatis Virg. et Mart.

Missa. Me exspectavérunt. de Comm. Virg. et Mart. 2. loco, præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui in beáta Palatiáte cum virginitátis flore martýrii palmam conjunxísti: concéde; ut ejus patrocínio et exémplo tibi puris méntibus fortíque ánimo inhæréntes ab ómnium hóstium liberémur insídiis. Per Dóminum.

Die 16. Octobris.

S. Dominici Loricati Conf.

Missa. Justus ut palma. de Comm. Conf. non Pont. 2. loco.

Die 7. Novembris.

S. Leopardi Primi Auximatium Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco.

Die 26. Novembris.

S. Silvestri Abbatis.

Introitus.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre sancti Silvéstri Abbátis: de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et collaúdant fílium Dei.

Ps. 47. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis: in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Clementíssime Deus, qui sanctum Silvéstrum Abbátem, sæculi hujus vanitátem in apérto túmulo pie meditántem, ad erémum vocáre, et præcláris vitæ méritis decoráre dignátus es: te súpplices exorámus; ut ejus exémplo terréna despiciéntes, tui consórtio perfruámur ætérno. Per Dóminum.

Et fit Comm. S. Petri Alexandrini Episc. Mart. ut in Missali.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 47. 24.

Dedit Dóminus confessiónem sancto suo, et excélso in verbo glóriæ. De omni corde suo laudávit Dóminum, et diléxit Deum, qui fecit illum: et dedit illi contra inimícos poténtiam. Et stare fecit cantóres contra altáre, et in sono eórum dulces fecit modos. Et dedit in celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini, et amplificárent mane Dei sanctitátem. Dóminus purgávit peccáta ipsíus; et exaltávit in ætérnum cornu ejus. Sapiéntia laudábit ánimam suam, et in Deo honorábitur, et in médio pópuli sui gloriábitur: et in ecclésiis Altíssimi apériet os suum, et in conspéctu virtútis illíus gloriábitur. Et in médio pópuli sui exaltábitur, et in plenitúdine sancta admirábitur: et in multitúdine electórum habébit laudem, et inter benedíctos benedicétur.

Graduale. Ps. 20. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Digitized by Google

℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Cap. 19. d.

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Offertorium. Eccli. 15. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum.

Secreta.

Quæsumus, Dómine: ut, dum hæc múnera divínæ majestáti tuæ reverénter offérimus; in pia mentis præparatióne, ac cordis puritáte beáti Silvéstri Abbátis imitatóres effécti, corpus et sánguinem Fílii tui sancte percípere mereámur. Qui tecum vivit.

Communio. Sap. 16. Angelórum esca nutrivísti pópulum tuum, et parátum panem de cœlo præstitísti ei omne delectaméntum in se habéntem, et omnis sapóris suavitátem.

Postcommunio.

Divína dape refóctis tríbue, quæsumus, Dómine, sancti Silvéstri Abbátis vestígiis ita inhærére: ut copiósam mercédem in regno glóriæ tuæ cum sanctis habeámus. Per Dóminum nostrum.

Die 27. Novembris.

S. Leonardi a Portu Mauritio Confessoris.

Introitus. Isaiæ 58.

DOminus implébit splendóribus ánimam tuam, et ossa tua liberábit, et eris quasi hortus irríguus, et sicut fons aquárum, cujus non defíciunt aquæ.

Ps. 80. Exsultáte Deo adjutóri nostro: jubiláte Deo Jacob.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui in obstinátis peccatórum córdibus ad pœniténtiam flecténdis beátum Leonárdum Confessórem tuum ópere et sermóne poténtem effecísti: da quæsumus; ut per ejus preces et mérita e córdibus nostris contritiónis lácrimas elícere valeámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Eph. 1.

Fratres: Benedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum: secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ,

Digitized by Google

in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ, quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia, et prudéntia. Ut notum fáceret nobis sacraméntum voluntátis suæ, secúndum beneplácitum ejus, quod propósuit in eo, in dispensatiónem plenitúdinis témporum, instauráre ómnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt in ipso. In quo étiam et nos sorte vocáti sumus prædestináti secúndum propósitum ejus, qui operátur ómnia secúndum consílium voluntátis suæ: ut simus in laudem glóriæ ejus nos, qui ante sperávimus in Christo. In quo et vos, cum audissétis verbum veritátis, (Evangélium salútis vestræ) in quo et credéntes signáti estis in Spíritu promissiónis sancto, qui est pignus hæreditátis nostræ, in redemptiónem acquisitiónis in laudem glóriæ ipsíus.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja.

℣. Isaiæ 52. Quam pulchri super montes pedes annuntiántis et prædicántis pacem: añuntiántis bonum, prædicántis salútem. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Ib. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

℣. Osce 14. Justus germinábit sicut lílium, et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10.

IN illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta: et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte, quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium. 2. Cor. 3. Non sumus sufficiéntes cogitáre áliquid a nobis,

Digitized by Google

quasi ex nobis: sed sufficiéntia nostra ex Deo est, qui et idóneos nos fecit minístros novi testaménti.

Secreta.

Immaculátam hóstiam tibi, Dómine, offérimus deprecántes; ut sancti Leonárdi Confessóris interveniénte suffrágio, semper in nobis dilécti Fílii tui Passiónis memória persevéret et fructus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Communio. 2. Cor. 3. Pro Christo legatióne fúngimur tamquam Deo exhortánte per nos. Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo.

Postcommunio.

Cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quæsumus Dómine, intercedénte sancto Confessóre tuo Leonárdo: ut a culpis expiáti, in electórum número esse mereámur. Per Dóminum nostrum.

Die 28. Novembris.

S. Jacobi Piceni Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Comm. Conf. non Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui ad animárum salútem, et peccatóres e vitiórum cœno ad viam virtútis revocándos beátum Jacóbum Confessórem tuum Evangélii præcónem exímium effecísti: concéde propítius; ut ejus intercessióne a peccátis ómnibus expiáti vitam consequámur ætérnam. Per Dóminum nostrum.

Cum Proprium Missarum in usum Cleri Civitatis et Diœcesis Auximanæ a Friderico Pustet Typ. Pont. typis excusum, diligenti collatione peracta, cum authenticis exemplaribus omnino concordare repertum sit, ut in lucem edi ac vulgari possit. potestatem facimus. In quorum fidem etc.

Datum Auximi ex Ædibus Episcopalibus Kal. Julii MCMI.

(L. ✠ S.)

✠ **Joannes Baptista**
Episcopus Auximan. et Cingulan.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 20. Septembris 1901.

Dr. **Fr. X. Leitner**, Vic. in Spir. Gen.

Digitized by Google

Index alphabeticus.

Antonii ab Amandula Conf. 6. Febr. fol. 2*
Barbaræ Virg. et Mart. 4. Dec. 1*
Benvenuti Episc. Auxim. Conf. 22. Martii. 3*
Bonfilii Episc. Conf. 27. Sept. 10*
Christinæ Virg. et Mart. 24. Julii. 6*
Clementis ab Auximo Conf. 8. April. 3*
Dominici Loricati Conf. 16. Octobr. 11*
Donati Episc. Mart. 7. Aug. 7*
Emidii Episc. Mart. 12. April. 3*
Exuperantii Episc. Conf. 24. Jan. 1*
Florentii, Sisinii, Diocletii et Maximi Mm. Auxim. 11. Maji. 5*
Hyacinthæ de Mariscottis Virg. 9. Febr. 2*
Hugonis Conf. 30. Julii. 6*
Inventionis S. Vitaliani Ep. Auxim. Conf. 16. Junii. 5*
Isidori Agricolæ Conf. 28. Maji. 5*
Jacobi Piceni Conf. 28. Nov. 14*
Joannis Francisci Regis Conf. 17. Junii. 6*
Leonardi a Portu Mauritio Conf. 27. Nov. 12*
Leopardi Primi Auximatium Episc. Conf. 7. Nov. 11*
Mariæ B. V. titulo Matris Misericordiæ. Domin. fol. I. Septembris. 8*
— — titulo Matris Pietatis. Dom. I. non impedita Mensis Maji. 4*
— — Purissimi Cordis. 1. Junii. 5*
Maronis Presbyt. Mart. 15. April. 3*
Pacifici a S. Severino Conf. 25. Sept. 10*
Palatiatis Virg. et Mart. 8. Octobr. 11*
Paterniani Episc. Conf. 10. Julii. 6*
Petri a Molleano Conf. 27. Julii. 6*
Petri a Treja Conf. 19. Febr. 2*
Redemptoris Ss. Dom. I. post diem 2. Julii. 6*
Rochi Conf. 24. Aug. 8*
Silvestri Abbatis. 26. Nov. 11*
Sperandiæ Virg. 11. Sept. 8*
Theclæ Virg. et Feminar. Protomart. 23. Sept. 9*
Victoris, Coronæ et Philippi Mm. Transl. 22. Sept. 8*
Victoris et Coronæ Mm. Patr. princip. Civit. Auxim. 15. Maji. 5*
Vitaliani Episc. Auxim. Conf. 16. Julii. 6*

Digitized by Google

Ratisbonæ. Ex Officina Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typographi.

Digitized by Google

Die 31. Maji.

In Festo

Beati Gabrielis a Virgine Perdolente

Confessoris.

Introitus. Ps. 91.

Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini: in átriis domus Dei nostri.

Ps. ibid. Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Gabriélem Confessórem tuum dulcíssimæ Matris tuæ dolóres assídue recólere docuísti, ac per illam sanctitátis et miraculórum glória sublimásti: da nobis ejus intercessióne et exémplo, ita ejúsdem Genitrícis tuæ consociári flétibus; ut matérna ipsíus protectióne salvémur: Qui vivis et regnas.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 4. b.

Fratres: Spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infírmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur, et benedícimus: persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut fílios meos caríssimos móneo: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Digitized by Google

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Ibid. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

℣. Osee 14. Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12. d.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesaúrum non deficiéntem in cœlis: quo fur non apprópiat, neque tínea corrúmpit. Ubi enim thesaúrus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium. Ps. 20. In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

Salutárem hóstiam in memóriam beáti Gabriélis Confessóris tui, tibi, Dómine, offeréntes, fac nos sacrifícium mortis tuæ rite recólere: ac méritis Perdoléntis Vírginis, omniúmque Sanctórum cruci fidéliter adstántium, ejúsdem sacrifícii fructum copióse percípere: Qui vivis et regnas.

Communio. Matth. 19. Amen dico vobis: quod vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio.

Quas tibi, Dómine, in solemnitáte beáti Gabriélis Confessóris tui pro collátis donis grátias ágimus, súscipe propítius per manus gloriósæ semper Vírginis Maríæ: ex qua carnem illam assumpsísti, cujus in hoc salutári convívio merúimus gustáre dulcédinem: Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Concordat cum Originali. In fidem etc.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis,
die 21. Decembris 1908.

Philippus Can. di Fava, Substitutus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 28. Decembris 1908.

M. Huber, Vic. Gen.

Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

Digitized by Google

MISSÆ FESTORUM
DIŒCESIS FULDENSIS PROPRIORUM.

Die 4. Decembris.
S. Barbaræ Virg. et Mart.
Missa. Loquébar. de Communi Virg. et Mart.

Die 5. Decembris.
Sancti Solæ Confessoris.
Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter sequ.
Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, in cujus honórem Sanctórum Festa celebrántur; áñue deprecatiónibus nostris: ut in hac celebritáte sancti Solæ Confessóris tui, ipso intercedénte, mereámur de tuæ pietátis abundántia gratulári. Per Dñm.

Et fit commem. feriæ Adventus ante Simp.
Credo. in Eccles. Cathed.

Eadem die.
Commem. **S. Sabbæ.**
Oratio.

Intercéssio nos, quæsumus Dómine, beáti Sabbæ Abbátis comméndet, ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Secreta.

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Sabbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

Postcommunio.

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Sabbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dñm.

Die 13. Decembris.
Commem. **S. Odiliæ** Virg.
Oratio.

Deus, ómnium Géntium illumináto r, qui mira ópera in virtúte beátæ Odíliæ Vírginis tuæ demonstrásti: quæsumus imménsam cleméntiam tuam; ut sicut ipsíus natívæ cæcitátis ténebras effugásti, ita nobis ejus précibus et méritis temporále lumen, et ætérnitátis grátiam largiáris. Per Dñm.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in beátæ Odíliæ Vírginis tuæ solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et intercedénte beáta Odília Vírgine tua, sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum.

Die 17. Decembris.
S. Sturmii I. Abbatis Fuldensis, Confessoris, II. Patroni Diœc.
Nota pro Eccles. Cathed.
Dominica, in qua anticipatur Festum S. Sturmii, in Eccles. Cath. ob populi concursum cantatur de hoc Sancto Missa votiva solemnis

Digitized by Google

post Theophoriam cum Glória et Credo, cum Præf. de Trinitate vel infra Octavam de B. Maria V. de hac, et Evang. S. Joannis in fine. Color. A. Reliquiæ S. Sturmii exponuntur.

Introitus. Ps. 36.

OS justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Ps. ib. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Quæsumus, omnípotens et miséricors Deus, intercéssio beáti Stúrmii, quam fíliis suis ex hac vita migratúrus promísit, nos tibi comméndet; ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et fit commem. feriæ Adventus.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 45.

Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum, et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplínæ.

Graduale. Ps. 20. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória, et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja.

℣. Osec 14. Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 19. d.

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Credo.

Digitized by Google

Offertorium. Ps. 20. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta.

Sacrifíciis præséntibus, quæsumus Dómine, inténde placátus: et intercedénte beáto Stúrmio Abbáte devotióni nostræ proficiant et salúti. Per Dóminum.

Coñunio. Luc. 12. Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Pro accéptis salútis nostræ pignóribus grátias referéntes implorámus cleméntiam tuam Dómine Deus noster: ut cœléstem benedictiónem, quam nobis ex beáti Stúrmii Abbátis patrocínio contulísti, perseverántem ex ejus imitatióne tríbuas consummári. Per Dóminum nostrum.

Die 19. Decembris.

S. Wunibaldi Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Coñ. Conf. non Pont. præter sequ. Orat. et Evang.

Oratio.

Deus, qui ánimam beáti Wunibáldi Confessóris tui in cœléstem pátriam transtulísti: concéde quæsumus; ut cujus ánnuam celebritátem devótis venerámur obséquiis, ejus suffrágiis pietátis tuæ grátiam consequámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit commem. feriæ.

Evangel. Ecce nos relíquimus. ut supra. fol. 2.

Die 20. Januarii.

Ss. Fabiani et **Sebastiani** Mart.

Missa ut in Missali ad hanc diem (in Eccl. Cathed. Credo).

Die 28. Januarii.

S. Caroli Magni Imperat. Conf.

Introitus. Ps. 36.

OS justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Ps. ibid. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens et miséricors Deus, qui a glória tua nullam conditiónem exclúdis, te supplíciter exorámus: ut sicut beáto Cárolo Confessóri tuo post terréni culmen impérii cœléstis regni sólium contulísti; ita méritis ejus et précibus nobis quoque fámulis tuis ætérnæ felicitátis prémia largiáris. Per Dóminum nostrum.

Et fit coñem. S. Agnetis secundo ut in Missali.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 10. b.

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi: et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc véndítum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum, descendítque cum

Digitized by Google

illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum: et dedit illi claritátem ætérnam, Dóminus Deus noster.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja.

℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

Post Septuages., omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 19. b.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge serve bone, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et adstántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis: Quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut sicut beátus Cárolus Conféssor tuus spretis mundi oblectaméntis, soli Regi Christo placére stúduit; ita ejus orátio nos tibi reddat accéptos. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Comunio. Matth. 24. Beátus servus, quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Digitized by Google

Postcommunio.

Deus, qui beátum Confessórem tuum Cárolum mirificásti in terris et gloriósum in cœlis fecísti: eúmdem quæsumus Ecclésiæ tuæ constítue defensórem. Per Dóminum nostrum.

Die 3. Februarii.

S. Blasii Episc. et Mart.

Missa ut in Missali ad hanc diem notata.

Die 4. Februarii.

S. Rabani Episc. et Conf.

Missa. In médio. de Communi Doctorum præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beáto Rabáno Confessóri tuo atque Pontífici exímiam erga Passiónem Unigéniti tui devotiónem et insígnem in paúperes misericórdiam tribuísti: concéde supplícibus tuis; ex ejúsdem imitatióne Passiónem Domínicam devóte venerári et grátiam tuam cónsequi sempitérnam. Per Dóminum nostrum.

Epistola. Justus cor suum tradet. ut in eadem Missa 2. loco.

Et dicitur Credo.

Die 7. Februarii.

S. Richardi Regis et Conf.

Missa. Os justi. de Cōmuni Conf. non Pont. præter Orationem sequ.

Oratio.

Deus, cujus grátia beátus Richárdus Rex temporálem dignitátem in ætérnam sublimitátem mutávit; da nobis, quæsumus, ex ejus imitatióne próspera mundi despícere; et cœléstium bonórum semper participatióne gaudére. Per Dóminum nostrum.

Die 12. Februarii.

S. Titi Episc. et Conf.

Missa ut in Missali ad 6. hujus mensis vel ante festa Januarii.

Die 13. Februarii.

S. Gregorii II. Papæ et Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. præter sequ. Orat. et Evang.

Oratio.

Deus, qui beátum Gregórium Confessórem tuum atque Pontíficem, fídei defensórem et Apostólicæ sapiéntiæ ac firmitátis exémplum in Ecclésia tua constituísti: largíre nobis, quæsumus; ut ómnia advérsa pro nóminis tui glória húmili corde sustinéntes ætérnitátis glóriam consequámur. Per Dóminum nostrum.

Evangel. Vigiláte. ex Missa. Sacerdótes. de eodem Communi.

Die 14. Februarii.

S. Valentini Episc. et Mart.

Ob concursum populi in Eccles. Cathed. cantatur Missa votiva solemnis de hoc Sancto, ut ad festum S. Sturmii notatum, si occurrit cum Dominica, dummodo non sit Dominica I. Quadrages. vel feria IV. Cinerum. Color. R.

Introitus.

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dignitas in ætérnum. Ps. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus. V. Glória Patri.

Oratio.

Deus, cujus caritátis ardóre beátus Valentínus Martyr et Póntifex minas Martýrii magnas, con-

Digitized by Google

témpto persecutóre devícit: concéde, ut omnes, qui martýrii ejus mérita venerántur; protectiónis tuæ auxílio a morbo cadúco, et a morte perpétua liberéntur. Per Dóminum.

Deinde fit commem. in Missa privata S. Valentini Presb. Mart. ut in Missali et quidem in Quadrages. post commem. feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 39.

Justus cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, Spíritu intelligéntiæ replébit illum: et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino. Et ipse díriget consílium ejus, et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur. Ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in sæculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit; sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem. Allelúja. ℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem; quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

Post Septuages., omissis Allelúja, post Graduale, et Versu sequenti dicitur

Tractus. Ps. 20. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6.

In illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse elevátis óculis in discípulos suos dicébat: Beáti paúperes, quia vestrum est regnum Dei. Beáti qui nunc esurítis, quia saturabímini. Beáti qui nunc fletis, quia ridébitis. Beáti éritis cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter fílium hóminis. Gaudéte in illa die et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cœlo. Credo.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Parce nobis Dómine, et flagélla iræ tuæ, quæ peccáta nostra meréntur, précibus et méritis beatíssimi Pontíficis et Mártyris tui Valentíni, a nobis misericórditer avérte. Per Dóminum.

Digitized by Google

Communio. Ps. 88. Semel jurávi in sancto meo: semen ejus in ætérnum manébit, et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in ætérnum, et testis in cœlo fidélis.

Postcommunio.

Præsta quæsumus omnípotens Deus: ut qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Valentíno Pontífice et Mártyre tuo; per hæc contra ómnia advérsa muniámur, et a morbo cadúco, et subitánea morte liberémur. Per Dñm.

Tempore paschali.

Pro Missis votivis.

Missa. Protexísti. Oratio, Secreta et Postcommunio ut supra.

Omisso Graduali dicitur

Allelúja, allelúja. ℣. Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

℣. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

Die 23. Februarii.

S. Willigisi Episc. et Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. præter sequ.

Oratio.

Deus, qui es Sanctórum tuórum spes et consolátio: præsta quæsumus, ut beáti Willigísi Confessóris tui atque Pontíficis húmili prece et sincéra devotióne mereámur pérfrui ætérnæ claritátis visióne. Per Dóminum.

Anno non bissextili fit commem. Vigil. cum lectione Evangel. in fine. Temp. Quadrag. fit coñem. Feriæ et Vigil. et legitur in fine Evang. Feriæ.

Die 25.
anno bissext. 26. Februarii.

S. Walburgis Virg.

Missa. Vultum tuum. de Communi Virg. præter sequ. Orat. et Evang.

Oratio.

Deus, virginitátis amátor, qui per beátam Walbúrgem Vírginem tuam salutífera operáris mirácula: concéde nobis, ita ejus castitátem imitári; ut prémia mundis corde promíssa cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Evangel. ex Missa. Dilexísti. de eodem Communi.

In Quadrag. fit commem. Feriæ et legitur Evangelium Feriæ in fine.

Die 3. Martii.

S. Cunigundis Virginis.

Missa. Dilexísti. de Coñuni Virg. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátæ Cunigúndi Vírgini tuæ terréna despícere et ad cœléstis impérii culmen anheláre tribuísti: concéde quæsumus; ut ejus imitatióne calcátis mundi illécebris ad gaúdia ætérna secúri pervenire valeámus. Per Dñm.

Die 15. Martii.

S. Zachariæ Papæ et Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. præter Orationem sequ.

Oratio.

Deus, qui beáto Zacharíæ mitíssimo Fílii tui Vicário admirándam mansuetúdinem tribuísti: concéde; ut cujus gloriósa mérita venerámur in via, destinátum mítibus prémium consequámur in pátria. Per eúmdem Dóminum.

Die 18. Martii.

S. Gabrielis Archangeli.

Missa. Benedícite. ut inter festa pro aliqu. locis eadem die 1. loco.

Digitized by Google

Die 1. Aprilis.

In Ecclesia Cathedrali.

Commem. **S. Venantii** Episc. Mart.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua beáti Venántii Mártyris tui atque Pontíficis solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut quem venerámur in terris, Patrónum experiámur in cœlis. Per Dóminum.

Secreta et Postcomunio ex Missa. Sacerdótes Dei. de Communi.

Die 23. Aprilis.

S. Georgii Martyris.

Missa ut in Missali ad hanc diem.

Die 26. Aprilis.

In Ecclesia Cathedrali.

Commem. **S. Richarii** Conf. Abbat.

Oratio.

Deus, qui in hospitalitátis præmium sanctum Richárium Confessórem tuum a mundi illécebris avúlsum insígni sanctitáte decorásti: concéde; ut ejus suffrágio post hujus vitæ peregrinatiónem firmam in domo tua consequámur mansiónem. Per Dóminum.

Secreta et Postcomunio ex Missa. Os justi. de Communi Abbatum.

Die 27. Aprilis.

S. Adalberti Episc. et Mart.

Tempore paschali. Missa. Protexísti. Extra temp. paschale. Missa. Sacerdótes Dei. de Communi unius Mart. Pont. præter Orationem sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Adalbértum Mártyrem tuum atque Pontíficem, mérito passiónis Sanctis tuis sociáre dignátus es: tríbue quæsumus; ut per ejus exémpla ad pátriam perveniámus ætérnam. Per Dóminum.

Die 5. Maji.

Comem. **S. Gothardi** Episc. et Conf.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua beáti Gothárdi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte lætíficas: præsta quæsumus; ut qui tui nóminis devótus éxstitit prædicátor et rector, pro nobis perpétuus exsístat intercéssor. Per Dóminum.

Secreta et Postcomunio ex Missa. Sacerdótes tui. de Com. Conf. Pont.

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Missa ut in Appendice Missalis ad hanc diem 1. loco.

Die 25. Maji.

S. Urbani I. Papæ et Mart.

Temp. paschali. Missa. Protexísti. cum Orationibus sequ.

Oratio.

Da, quæsumus omnípotens Deus: ut, qui beáti Urbáni Mártyris tui atque Pontíficis solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Secreta.

Hæc hóstia, Dómine quæsumus, emúndet nostra delícta: et ad sacrifícium celebrándum subditórum tibi córpora, mentésque sanctíficet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Refécti participatióne múneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Urbáno Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Digitized by Google

Extra tempus paschale Missa sequens cum Orationibus ut supra.

Introitus. Ps. 131.

Acerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui.

Ps. ibid. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus.

℣. Glória Patri.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2. Cor. 1.

Fratres: Benedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi: pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis: qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra: ut possímus et ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatiónem qua exhortámur et ipsi a Deo. Quóniam sicut abúndant passiónes Christi in nobis: ita et per Christum abúndat consolátio nostra. Sive autem tribulámur, pro vestra exhortatióne et salúte: sive consolámur, pro vestra consolatióne: sive exhortámur, pro vestra exhortatióne et salúte: quæ operátur tolerántiam earúmdem passiónum, quas et nos pátimur: ut spes nostra firma sit pro vobis: sciéntes, quóniam sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatiónis: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

℣. Nihil proficiet inimícus in eo: et fílius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja.

℣. Meménto Dómine David, et omnis mansuetúdinis ejus. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge serve bone, et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gaúdium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gaúdium dómini tui.

In Eccl. Cathed. Credo.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Digitized by Google

Die 27. Maji.

S. Bedæ Presb. et Conf.

Missa. In médio. de Communi Doctorum præter sequ.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Bedæ Confessóris tui atque Doctóris eruditióne claríficas: concéde propítius fámulis tuis; ejus semper illustrári sapiéntia et méritis adjuvári. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Joannis Papæ Mart. ut in Missali.

Feria VI.
post Octav. Ss. Corporis Christi.

In Festo **Ss. Cordis Jesu.**

Missa. Miserébitur. ut in Missali ante festa Junii vel post Octavam Ss. Corp. D. N. J. Chr.

Nota pro Ecclesia Cathedrali.

I. Dominica infra Octavam Ss. Corporis Christi Missa solemnis ad Processionem dicenda est ad modum votivæ solemnis ut in ipso festo absque alia commem. cum Evangel. S. Joannis in fine.

II. Dominica, in qua anticipatur festivitas S. Bonifacii, etiam in Dominica Ss. Trinitatis, cantantur duæ Missæ; prima post Tertiam hora septima in Crypta ritu in Directorio pro tota Diœc. ordinato; secunda post Nonam in Altari maj. hora nona per modum votivæ solemnis de S. Bonifacio sine ulla alia commem. et dicitur Glória, Credo, Præf. de Trinitate, vel infra Octav. Ascensionis de Ascensione cum **Communicantes** propr. Ite Missa est. et Evang. S. Joannis in fine.

Die 5. Junii.

In Festo

SANCTI BONIFACII

Martyris Pontificis,
Patroni primarii Diœcesis.

Introitus.

Exsultábo in Jerúsalem, et gaudébo in pópulo meo: et non audiétur in eo ultra vox fletus, et vox clamóris. Elécti mei non laborábunt frustra, neque generábunt in conturbatióne: quia semen benedictórum Dómini est, et nepótes eórum cum eis.

Ps. 43. Deus aúribus nostris audívimus: patres nostri narravérunt nobis opus, quod operátus es in diébus eórum. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui multitúdinem populórum beáti Bonifácii Mártyris tui atque Pontíficis zelo ad agnitiónem tui nóminis vocáre dignátus es: concéde propítius; ut cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Léctio libri Ecclesiástici. Eccli. 44.

Laudémus viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus in magnificéntia sua a sæculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua prædíti; nuntiántes in prophétis dignitátem prophetárum, et imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum. Hómines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes: pacificántes in dómibus suis.

Digitized by Google

Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt et in diébus suis habéntur in laúdibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum, et sunt, quorum non est memória: periérunt quasi qui non fúerint: et nati sunt, quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis. Sed illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum, pérmanent bona, hæréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum, et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Graduale. 1. Petri 4. Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes.

℣. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis, quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiéscet.

Allelúja, allelúja.

℣. Declinábo super eum quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem glóriam. Allelúja.

Post Septuages., omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus, et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Temp. paschali. Allelúja, allelúja.

℣. Lætámini cum Jerúsalem, et exsultáte in eo omnes, qui dilígitis Dóminum.

℣. Vidébitis, et gaudébit cor vestrum, cognoscétur manus Dómini servis ejus.

Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 5.

IN illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et apériens os suum, docébat eos, dicens: Beáti paúperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti mites: quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent: quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt et sítiunt justítiam: quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes: quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti estis cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: gaudéte, et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlis.

Offertorium. Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum, providébam Deum in conspéctu meo semper, quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Secreta.

Super has hóstias, Dómine quæsumus, benedíctio copiósa descéndat, quæ et sanctificatiónem nostram misericórditer operétur,

Digitized by Google

et de sancti Bonifácii Mártyris tui atque Pontíficis fáciat solemnitáte gaudére. Per Dóminum.

Communio. Qui vícerit, dabo ei sedére mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo, et in throno ejus.

Postcommunio.

Sanctificáti, Dómine, salutári mystério, quæsumus: ut nobis sancti Bonifácii Mártyris tui atque Pontíficis pia non desit orátio; cujus nos donásti patrocínio gubernári. Per Dóminum.

Die 7. Junii.

Commemoratio

Consecrationis S. Bonifacii.

Introitus. Ps. 131.

Acerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui.

Ps. ibid. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui multitúdinem populórum beáti Bonifácii Mártyris tui atque Pontíficis zelo ad agnitiónem tui nóminis vocáre dignátus es: concéde propítius; ut cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 5.

Fratres: Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum: ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron.

Graduale. Ps. 131. Sacerdótes ejus índuam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

℣. Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 109. Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 109. Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

℣. Eccli. 45. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 16.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit, qui vero non credíderit condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient: linguis loquéntur novis: serpéntes tollent: et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Credo.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Digitized by Google

Secreta.

Super has hóstias, Dómine quǽsumus, benedíctio copiósa descéndat, quæ et sanctificatiónem nostram misericórditer operétur, et de sancti Bonifácii Mártyris tui atque Pontíficis fáciat solemnitáte gaudére. Per Dóminum.

Coñunio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Sanctificáti, Dómine, salutári mystério, quǽsumus: ut nobis sancti Bonifácii Mártyris tui atque Pontíficis pia non desit orátio; cujus nos donásti patrocínio gubernári. Per Dóminum.

Die 12. Junii.

Commemoratio

Translationis Corporis S. Bonifacii.

Missa ut in die festi. fol. 10. cum commem. Ss. Basilidis etc. ut in Missali ad hanc diem. Credo.

Die 16. Junii.

S. Bardonis Episc. et Conf.

Missa. In médio. de Coñuni Doct.

Die 18. Junii.

S. Fœliculæ Virg. et Mart.

Missa. Me exspectavérunt. de Coñ. Virg. Mart. 2. loco, præter sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui sanctam Fœlículam Vírginem tuam glorióso martýrio felícem effecísti: concéde supplícibus tuis; ut ejus solémnia celebrántes in terris, ætérnam felicitátem consequámur in cœlis. Per Dóminum.

Et dicitur Credo. in Eccl. Cathed.

Die 3. vel 4. Julii

quando occurr. Dominica cum 2. Jul.

Ss. Processi et **Martiniani** Mart.

Introitus. Ps. 78.

INtret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est.

Ps. ibid. Deus, venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos sanctórum Mártyrum Procéssi et Martiniáni gloriósis confessiónibus circúmdas et prótegis: da nobis et eórum imitatióne profícere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum.

Et fit coñ. Oct. Ss. Apost. Petri et Pauli.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 3.

Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori: et æstimáta est afflíctio éxitus illórum: et quod a nobis est iter, extermínium: illi autem sunt in pace. Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti, in multis bene disponéntur: quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Digitized by Google

Graduale. Exod. 15. Gloriósus Deus in Sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.

℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja.

℣. Eccli. 44. Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt: et nómina eórum vivent in generatiónem et generatiónem. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 16.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

In Eccles. Cathed. Credo.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in Sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, Allelúja.

Secreta.

Súscipe, Dómine, preces et múnera: quæ ut tuo sint digna conspéctu, Sanctórum tuórum précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Communio. Sap. 3. Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: tamquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocaústa accépit eos.

Postcommunio.

Córporis sacri, et pretiósi sánguinis repléti libámine, quæsumus Dómine Deus noster: ut, quod pia devotióne gérimus, certa redemptióne capiámus. Per eúmdem Dóminum.

Die 7. Julii.

S. Willibaldi Episc. et Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. præter sequ. Orat. et Evang.

Oratio.

Deus, qui gloriósum Pontíficem tuum Willibáldum, Anglórum regni hærédem, hodiérna die ad ætérnam Angelórum hæreditátem transtulísti: concéde propítius; ut ejus méritis et intercessióne cohærédes ipsíus in tua glória esse mereámur. Per Dóminum.

Evangel. Ecce nos relíquimus. ut supra. fol. 2.

Die 8. Julii.

Ss. Chiliani et Sociorum Mart.

Missa. Sapiéntiam. de Communi præter Orationem sequ.

Oratio.

Magníficet te, Dómine, Sanctórum Chiliáni Sociorúmque ejus beáta solémnitas: qua et illis glóriam sempitérnam; et opem nobis ineffábili providéntia contulísti. Per Dóminum.

Dominica II. Julii.

In Festo **Ss. Redemptoris.**

Missa. Gaudens gaudébo. ut in Missali inter festa pro aliqu. locis die 23. Octobris aut Dom. III. Julii.

Digitized by Google

Die 15. Julii.

In Festo

Divisionis Ss. Apostolorum.

Introitus. Ps. 138.

Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui Deus: nimis confirmátus est Principátus eórum.

Ps. ibid. Dómine, probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui in tuórum divisióne Apostolórum géntium multitúdinem in unitáte fídei ad agnitiónem tui sancti nóminis convocásti: aures tuæ pietátis Ecclésiæ précibus inclína, et concéde: ut, quorum prædicatióne te cognóvimus, horum obténtu in confessióne veritátis tuæ fidéliter firmitérque maneámus. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.

Act. 5.

IN diébus autem illis: Per manus Apostolórum fiébant signa, et prodígia multa in plebe. Et erant unanímiter omnes in pórticu Salomónis. Ceterórum autem nemo audébat se conjúngere illis: sed magnificábat eos pópulus. Magis autem augebátur credéntium in Dómino multitúdo virórum, ac mulíerum, ita ut in platéas ejícerent infírmos, et pónerent in léctulis ac grabátis, ut, veniénte Petro, saltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum, et liberaréntur ab infirmitátibus suis. Concurrébat autem et multitúdo vicinárum civitátum Jerúsalem, afferéntes ægros, et vexátos a spirítibus immúndis, qui curabántur omnes.

Graduale. Ps. 44. Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja.

℣. Luc. 22. Rogávi pro te Petre, ut non defíciat fides tua: et tu aliquándo convérsus, confírma fratres tuos. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10.

IN illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta: et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte, quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 18. In omnem terram exívit sonus eórum; et in fines orbis terræ verba eórum.

Digitized by Google

Secreta.

Hóstias, Dómine, quas nómini tuo sacrándas offérimus, Apostólica prosequátur orátio: per quam nos expiári tríbuas, et deféndi. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio. Matth. 19. Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes: judicántes duódecim tribus Israël.

Postcommunio.

Quos cœlésti, Dómine, aliménto satiásti: Apostólicis intercessiónibus ab omni adversitáte custódi. Per Dóminum.

Dominica III. Julii.

In Festo **Purissimi Cordis B. M. V.**

Missa. Omnis glória. ut in Missali inter festa pro aliqu. locis ante festa Junii aut inter festa Julii.

Die 25. Julii.

S. Christophori Mart.

Commem. ut in Missali. Quo loco hoc festum celebratur sub ritu altiori legitur Missa. In virtúte tua. de Cõmuni unius Mart. non Pont.

Die 29. Julii.

Ss. Simplicii, Faustini et **Beatricis** Martyrum.

Introitus. Ps. 78.

Intret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est.

Ps. ibid. Deus, venérunt gentes in hæreditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Præsta, quæsumus Dómine: ut, sicut pópulus christiánus Mártyrum tuórum Simplícii, Faustíni et Beatrícis temporáli solemnitáte congaúdet, ita perfruátur ætérna; et quod votis célebrat, comprehéndat efféctu. Per Dóminum.

Et fit extra Fuldam commem. S. Felicis Papæ et Mart. in Missa privata.

Oratio.

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat; beáti Felícis Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 3.

Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori: et æstimáta est afflíctio éxitus illórum: et quod a nobis est iter, extermínium: illi autem sunt in pace. Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti, in multis bene disponéntur: quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocaústi hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Graduale. Exod. 15. Gloriósus Deus in Sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.

℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Digitized by Google

Allelúja, allelúja.

℣. Eccli. 44. Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in generatiónem, et generatiónem. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 10.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, et fíliam advérsus matrem suam et nurum advérsus socrum suam: et inimíci hómines, doméstici ejus. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: et qui amat fílium aut fíliam super me, non est me dignus. Et qui non áccipit crucem suam, et sequátur me, non est me dignus. Qui invénit ánimam suam, perdet illam: et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Qui récipit vos, me récipit: et qui me récipit, récipit eum qui me misit. Qui récipit prophétam in nómine prophétæ, mercédem prophétæ accípiet: et qui récipit justum in nómine justi, mercédem justi accípiet. Et quicúmque potum déderit uni ex mínimis istis cálicem aquæ frígidæ tantum in nómine discípuli: amen dico vobis, non perdet mercédem suam.

Credo.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus. Allelúja.

Secreta.

HóstIas tibi, Dómine, pro sanctórum Mártyrum tuórum Simplícii, Faustíni et Beatrícis commemoratióne deférimus, supplíciter deprecántes: ut indulgéntiam nobis páriter cónferant, et salútem. Per Dóminum.

Pro S. Felice. Secreta.

HóstIas tibi, Dómine, beáti Felícis Mártyris tui atque Pontíficis dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum nostrum.

Communio. Sap. 3. Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: tamquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocaústa accépit eos.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Simplícii, Faustíni et Beatrícis cœléstibus mystériis celebráta solémnitas, indulgéntiam nobis tuæ propitiatiónis acquírat. Per Dñm.

Pro S. Felice. Postcomunio.

Refécti participatióne múneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Felíce Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 30. Julii.

S. Floræ Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Communi Virg. et Mart. præter sequ.

Oratio.

Deus, ex cujus cleméntia sancta Flora virginitátis florem palmæ martýrii glorióse adjúnxit: concéde propítius; ut ad ejus imitatiónem ita currámus in stádio virtútum, ut te donánte bravíum reportémus. Per Dóminum.

In Ecclesia Cathedrali. Credo.

Digitized by Google

Die 5. Augusti.

In Urbe Fuldæ.

Octava **Ss. Simplicii** et **Socior.** patroni loci.

Missa ut in festo 29. Julii.

In Diœcesi.

B. V. Mariæ ad Nives.

Missa ut in Missali.

Die 6. Augusti.

Transfiguratio D. N. J. Chr.

Titul. Eccles. Cathed.

Missa ut in Missali ad hanc diem, omittitur coñem. simplicis. Credo. et Præf. de Nativitate per Octav.

Die 9. Augusti.

Ss. Firmi et **Romani** Mart.

Introitus. Eccli. 44.

Sapiéntiam sanctórum narrent pópuli: et laudes eórum núntiet ecclésia: nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi.

Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Mártyrem tuum Firmum cœlésti per Angelum cibo recreásti, quique beátum Románum conspéctu dignátus es Angélico: præsta supplícibus tuis; ut quorum venerándam celebrámus festivitátem, eórum inter Angelos gaudeámus consórtio. Per Dóminum nostrum.

Et fit commem. Vigiliæ S. Laurentii et legitur ejus Evang. in fine.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 5. c.

Justi autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum, et cogitátio illórum apud Altíssimum. Ideo accípient regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini: quóniam déxtera sua teget eos, et bráchio sancto suo deféndet illos. Accípiet armatúram zelus illíus, et armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce justítiam, et accípiet pro gálea judícium certum. Sumet scutum inexpugnábile, æquitátem.

Graduale. Ps. 123. Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium.

℣. Láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus: adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum et terram.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 67. Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 10. c.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásseres asse véneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo, qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

In Ecclesia Cathedrali. Credo.

Offertorium. Ps. 149. Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cu-

Digitized by Google

bílibus suis: exaltatiónes Dei in faúcibus eórum, allelúja.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dñm.

Communio. Luc. 12. Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui vos persequúntur.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Firmo et Románo: ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 11. Augusti.

In Ecclesia Cathedrali.

Coñem. **S. Gauderici** Episc. Conf.

Oratio.

Deus, qui beátum Gauderícum in liberándis captívis, leprosísque mundándis admirábilem effecísti: concéde; ut a peccáti lepra mundáti et ab ejus servitúte solúti, in cœlésti pátria lætémur libertáte perpétua.

Secreta et Postcoñunio ex Missa. Sacerdótes tui. de Coñ. Conf. Pont.

Die 13. Augusti.

In tota Diœcesi.

Octava **Transfigurationis D.N.J.C.** tituli Eccles. Cathed.

Missa ut in festo die 6. hujus.

Et fit coñ. Ss. Hippolyti et Cassiani Mart. ut in Missali eadem die.

Die 14. Augusti.

In Urbe Fuldæ.

B. V. Mariæ ad Nives.

Missa ut 5. huj. in Missali.

Et fit commem. S. Eusebii Conf. ut in Missali ad hanc diem. De Vigilia in Urbe nihil, nisi altera Missa in Eccl. Cath.

In Diœcesi. **S. Wigberti** Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Abbat. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beáto Wigbérto exímium in informánda christiána juventúte zelum tribuísti: concéde; ut quæ te dante divínæ legis haúsimus mandáta, ad própriam et próximi salútem fidéliter exsequámur. Per Dóminum.

Et fit commem. Vigiliæ ac S. Eusebii Conf. ut in Missali ad hanc diem. Evangel. Vigil. in fine.

Die 16. Augusti.

S. Rochi Confessoris.

Introitus. Ps. 36.

OS justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Ps. ib. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beáto Rocho per Angelum tuum tábulam eídem afferéntem promisísti, ut, qui ipsum invocáverit, a nullo pestis cruciátu læderétur: præsta quæsumus; ut, qui ejus natalítia cólimus, ipsíus précibus et méritis a mortífera peste córporis et ánimæ liberémur. Per Dñm.

Et fit commem. 2 Octavarum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 31.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesaúris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in

Digitized by Google

vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 19. d.

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Parce nobis Dómine, et flagélla iræ tuæ, quæ peccáta nostra meréntur, précibus et méritis beatíssimi Confessóris tui Rochi a nobis misericórditer avérte. Per Dñm.

Coñunio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Præsta quæsumus omnípotens Deus: ut, qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Rocho Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa mundi muniámur; et ab omni morbo et peste ac subitánea morte salvémur. Per Dóminum nostrum.

Tempore mortalitatis vel pestilentiæ in Missa votiva de hoc Sancto dici potest Evangel. Vigiláte. ex Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont.

Die 18. Augusti.

S. Carolomanni Confess.

Missa. Justus ut palma. de Communi Conf. non Pont. præter sequ. Orat. et Evangel.

Oratio.

Deus, qui beátum Carolománnum Confessórem tui Nóminis honóri regnum terrénum humíliter postpónere docuísti: concéde; ut ea, quæ mundi sunt, despiciéntes, promíssa humílibus cœléstia regna consequámur. Per Dóminum.

Et fit commem. Octavæ et S. Agapiti ut in Missali.

Evangel. Ecce nos relíquimus. ut supra die 16. Augusti.

Die 26. Augusti.

Ss. Eobani, Adelarii Episcop., et **Socior. S. Bonifacii** Mart.

Missa. Intret in conspéctu tuo. de Communi plur. Mart. præter sequ.

Digitized by Google

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Eobáni, Adelárii et Sociórum sancti Bonifácii solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum nostrum.

Tunc fit commem. S. Zephyrini ut in Missali.

Credo. in Ecclesia Cathedrali.

Die 2. Septembris.

In Ecclesia Cathedrali

Coñemoratio **S. Antonini** Mart.

Oratio.

Deus, qui sancti Antoníni castíssimi Mártyris ministério multos ad Ecclésiæ unitátem vocáre dignátus es: præsta supplícibus tuis; ut in unitáte fídei et pacis tibi pure deserviámus. Per Dñm.

Secreta et Postcoñunio ex Missa.

In virtúte. de Coñ. Mart. non Pont.

Die 3. Septembris.

In Urbe Fuldæ. **S. Wigberti** Conf.

Missa ut 14. Aug. in Proprio notata, supra pag. 19.

In Ecclesia Cathedrali

Coñem. **S. Antonini Pueri** Mart.

Oratio.

Deus, qui nullam a glória Martýrii conditiónem exclúdis: tríbue quæsumus; ut beáti Antoníni Púeri et Mártyris tui solémnia celebrántes perpétua ejúsdem societáte lætémur. Per Dóminum.

Secreta et Postcoñunio ex Missa.

Lætábitur. de Coñ. Mart. non Pont.

Die 24. Septembris.

S. Eonii Mart.

In Ecclesia Cathedrali commem. ex Missa. Lætábitur. de Communi unius Mart. non Pont.

Oratio.

Deus, qui beátum Eónium Mártyrem tuum virtúte constántiæ in passióne roborásti: ex ejus nobis imitatióne concéde; pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dñm.

Die 28. Septembris.

S. Liobæ Virginis Abbatissæ.

Missa. Dilexísti. de Coñuni Virg.

Credo. in Ecclesia Cathedrali et monte S. Petri.

Die 14. Octobris.

S. Burchardi Episc. et Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. præter Orationem sequ.

Oratio.

Exaúdi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Burchárdi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári; ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum nostrum.

Die 15. Octobris.

Commemoratio

Ss. Theclæ aliarumque Virginum.

Oratio.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut ad meliórem vitam Sanctárum tuárum exémpla nos próvocent; quátenus quarum solémnia cólimus étiam actus imitémur. Per Dóminum.

Secreta.

Súscipe, quæsumus, Dómine, múnera, quæ tibi in solemnitáte beátæ Theclæ aliarúmque Vírginum de tua largitáte deférimus: ut hæc sacrosáncta mystéria glóriæ tuæ operánte virtúte, et præ-

Digitized by Google

séntis vitæ nos conversatióne sanctíficent, et ad gaúdia sempitérna perdúcant. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sentiámus, quæsumus, Dómine, tui perceptióne sacraménti subsídium mentis et córporis: ut intercedéntibus beáta Thecla aliísque Virgínibus in utróque salváti; cœléstis remédii plenitúdine gloriémur. Per Dóminum.

Die 17. Octobris.

S. Lulli Episc. et Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. præter Orationem sequ.

Oratio.

Beáti Lulli Confessóris tui atque Pontíficis Dómine, suffrágiis confidéntes, quæsumus cleméntiam tuam: ut, cujus solémnia celebrámus; ejus précibus ac méritis ab Ecclésiæ hóstium insídiis liberémur. Per Dóminum.

Die 20. Octobris.

S. Wendelini Conf. et Abbat.

Missa. Os justi. de Communi Abbatum præter Orationem sequ.

Oratio.

Concéde, quæsumus Dómine: ut, qui beáti Wendelíni Confessóris tui solémnia celebrámus; ejus patrocíniis adjúti, et exémplis roboráti, viam mandatórum currámus. Per Dóminum.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ, Cordulæ et **Soc.** Mart.

Introitus. Ps. 118.

Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis.

Ps. ibid. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Dómine Deus noster: sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum, Ursulæ et Sociárum ejus, palmas incessábili devotióne venerári; ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Comm. S. Hilarionis die 21. Oct.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 7. e.

Fratres: De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit: tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudéntes: et qui emunt, tamquam non possidéntes: et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: præterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est, quæ sunt mundi, quómodo

Digitized by Google

pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo, cógitat quæ Dómini sunt; ut sit sancta córpore et spíritu: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem.

℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.

Allelúja, allelúja.

℣. Ibid. Adducéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium. Ps. 44. Afferéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia, et exsultatióne: adducéntur in templum regi Dómino.

Secreta.

Inténde, quæsumus Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum, Ursulæ et Sociárum ejus, festivitáte propósita: ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ps. 118. Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me: ego autem in mandátis tuis exercébor, in tuis justificatiónibus, ut non confúndar.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Virgínibus et Martýribus tuis: ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 22. Octobris.

S. Severi Episc. et Conf.

Introitus. Eccli. 45.

STátuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dignitas in ætérnum. Ps. 131. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui hodiérnam diem honorábilem nobis in beáti Sevéri Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte fecísti: da, quæsumus; ut ipse pro nobis pius exsístat inter-

Digitized by Google

céssor, qui tui nóminis devótus éxstitit prædicátor. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 5.

Fratres: Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109. Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et profóctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge serve bone, et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gaúdium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gaúdium dómini tui.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Sancti tui, quæsumus Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Sevéro Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Dominica IV. Octobris.

In Festo **Ss. Reliquiarum.**

Introitus. Ps. 33.

Multæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberábit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia

Digitized by Google

ossa eórum: unum ex his non conterétur. Ps. ibid. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Propitiáre, quæsumus Dómine, nobis fámulis tuis: per Sanctórum tuórum, quorum hic habéntur Relíquiæ, et patrocínia venerámur, mérita gloriósa; ut eórum pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit commem. Dominicæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 3.

Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori: et æstimáta est afflíctio éxitus illórum: et quod a nobis est iter, extermínium: illi autem sunt in pace. Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti, in multis bene disponéntur: quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocaústi hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Graduale. Exodi 15. Gloriósus Deus in sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.

℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja.

℣. Eccli. 44. Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in generatióne, et generatiónem. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 5.

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et apériens os suum, docébat eos, dicens: Beáti paúperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti mites: quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent: quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt et sítiunt justítiam: quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes: quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti estis cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos mentiéntes, propter me: gaudéte, et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlis.

Credo.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.

Secreta.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in sanctórum tuórum commemoratióne deférimus: ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, eórum qui tibi placuérunt, méritis adjuvémur. Per Dóminum.

Communio. Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace.

Digitized by Google

Postcommunio.

Quæsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut, quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Die 31. Octobris.

S. Wolfgangi Episc. et Conf.

Missa. Sacerdótes. de Comm. Conf. Pont. 2. loco, præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui nobis ætérnæ salútis beátum Wolfgángum Epíscopum minístrum tribuísti: præsta quæsumus; ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis. Per Dñm.

Et fit commem. Vigiliæ Omnium Sanctorum, ac legitur ejus Evangelium in fine.

Dominica I.
post Festum Omnium Sanctorum.

Anniversarium

Dedicat. Ecclesiæ Cathedralis

nec non plurimarum Ecclesiarum Diœcesis ad hanc Dominicam translatum.

Missa. Terríbilis. In Anniversario Dedicationis Ecclesiæ. ut in Missali post Commune Sanctorum. Dominicæ occurrentis fit commemor. et ejus Evangelium legitur in fine per totam Diœcesim.

Per Octavam fit commemoratio, si Missa non est de Octava, Fuldæ et in illis Ecclesiis Diœcesis, quæ suæ Dedicationis anniversarium concelebrant, in aliis non.

Die 7. Novembris.

Comem. **S. Wilibrordi** Episc. Conf.

Orationes ex Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont.

Die 9. Novembris.

In Dedicatione Basilicæ Salvatoris Romæ fit commem. Octavæ cum Oratione, Secreta et Postcomunione ut in ipsa die Dedicationis Ecclesiæ, quas invenies post Missam in Anniversario Dedicationis Ecclesiæ.

Dominica II.
post Festum Omnium Sanctorum.

Solemnis gratiarum actio

pro

perceptis anni frugibus.

In Missa solemni Orationi primæ adjungitur sub una clausula Oratio Deus, cujus misericórdiæ. quæ cum Secreta et Postcommunione habetur post Missam votivam de Ss. Trinitate. Post Missam cantatur. Te Deum laudámus. ℣. Benedicámus Patrem. cum ℟. et Oratione de Ss. Trinitate.

In Ecclesia Cathedrali cantatur Missa votiva solemnis de Ss. Trinitate, ut in Missali pro hoc casu notatur, addita modo allegata Oratione sub una conclusione cum Glória, Credo. Præfatio de Trinitate et Evangel. S. Joannis in fine sine ulla alia commem. Color A.

Die 16. Novembris.

S. Leopoldi Confessoris.

Introitus. Ps. 36.

OS justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Ps. ib. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui sanctum Leopóldum a sæculi curis ad cœléstem glóriam transvexísti: concéde, quæsumus; ita nos per hæc temporália pertransíre, ut ætérnæ vitæ consórtia mereámur. Per Dóminum.

Digitized by Google

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 31.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesaúris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja.

℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 19. b.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis: Quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Comunio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Refécti cibo potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Digitized by Google

Index Missarum hujus Proprii.

	fol.
Actio solem. gratiarum pro perceptis frugibus.	16
Adalberti Episc. Mart. 27. April.	8
Adelarii, Eobani Episc. et Soc. S. Bonifacii Martyrum. 26. Aug.	20
Anniversarium Ded. Eccl. Cathedralis.	26
Antonini Mart. Commem. 2. Sept.	21
Antonini Pueri Mart. Commem. 3. Sept.	21
Apostolorum Divisionis. 15. Jul.	15
Barbara Virg. Mart. 4. Dec.	1
Bardonis Episc. Conf. 16. Junii.	13
Beatricis et Soc. Mart. 29. Jul.	16
Bedæ Presb. Conf. 27. Maji.	10
Blasii Episc. Mart. 3. Febr.	5
Bonifacii Pont. Mart. I. Patr. Diœc. 5. Junii.	10
— Commem. Consecrationis. 7. Junii.	12
— Commem. Translat. Corporis. 12. Junii.	13
Burchardi Episc. Conf. 14. Oct.	21
Caroli Magni Imperat. Conf. 28. Jan.	3
Carolomanni Conf. 18. Aug.	20
Chiliani et Soc. Mart. 8. Jul.	14
Christophori Mart. 25. Jul.	16
Consecrat. S. Bonifacii. Commem. 7. Jun.	12
Cordis Jesu. Feria VI. post Oct. Corp. Chr.	10
Cordis B. Mariæ Virg. Dom. III. Julii.	16
Cordulæ et Soc. Mart. 21. Oct.	22
Cunigundis Virg. 3. Mart.	7
Dedic. Basilicæ Salv. Rom. 9. Nov.	26
Dedic. Ecclesiæ Cathedralis etc.	26
Divisionis Apostolorum. 15. Jul.	15
Eobani, Adelarii Episc. et Soc. S. Bonifacii Martyrum. 26. Aug.	20
Eonii Mart. 24. Sept.	21
Fabiani et Sebastiani Mart. 20. Jan.	3
Faustini et Soc. Mart. 29. Jul.	16
Firmi et Romani Mart. 9. Aug.	18
Floræ Virg. Mart. 30. Jul.	17
Fœliculæ Virg. Mart. 18. Jun.	13
Gabrielis Archangeli. 18. Mart.	7
Gauderici Episc. Conf. Commem. 11. Aug.	19
Georgii Mart. 23. April.	8
Gothardi Episc. Conf. Commem. 5. Maji.	8
Gratiarum actio pro perceptis anni frugibus.	26
Gregorii II. Papæ Conf. 13. Febr.	5
Joannis Nepomuceni Mart. 16. Maji.	8
Leopoldi Conf. 16. Nov.	26
Liobæ Virg. Abbatissæ. 28. Sept.	21
Lulli Episc. Conf. 17. Oct.	22
Mariæ Virg. Cordis puriss. Dom. III. Julii.	16
— — ad Nives. 5. Aug. (In Diœcesi.)	18
— — ad Nives. 14. Aug. (In Urbe Fuldæ.)	19
Martiniani et Processi Mart. 3. vel 4. Julii.	13
Nota pro Ecclesia Cathedrali.	10
Odiliæ Virg. Commem. 13. Dec.	1
Processi et Martiniani Mart. 3. vel 4. Jul.	13
Rabani Episc. Conf. 4. Febr.	5
Redemptoris Ss. Dom. II. Julii.	14
Reliquiarum Ss. Dom. IV. Oct.	24
Richardi Reg. Conf. 7. Febr.	5
Richarii Abb. Conf. Commem. 25. Apr.	8
Rochi Conf. 16. Aug.	19
Romani et Firmi Mart. 9. Aug.	18
Sabbæ Commem. 5. Dec.	1
Severi Episc. Conf. 22. Oct.	23
Simplicii et Soc. Mart. 29. Jul.	16
Simplicii et Soc. patroni loci. 5. Aug. (In Urbe Fuldæ.)	18
Solæ Conf. 5. Dec.	1
Sturmii Abb. Fuld., Conf., II. Patr. Diœc. 17. Dec.	1
Theclæ aliarumque Virginum. Comem. 15. Oct.	21
Titi Episc. Conf. 12. Febr.	5
Translationis Corp. S. Bonifacii. Com̃. 12. Jun.	13
Transfigurationis D. N. J. C. tit. Eccl. Cathed. 6. Aug.	18
— — — 13. Aug. Octava. (In tota Diœc.)	19
Urbani I. Papæ Mart. 25. Maji.	8
Ursulæ et Soc. Mart. 21. Oct.	22
Valentini Episc. Mart. 14. Febr.	5
Venantii Episc. Mart. Commem. 1. April.	8
Walburgis Virg. 25. vel 26. Febr.	7
Wendelini Abb. Conf. 20. Oct.	22
Wigberti Conf. 14. Aug. (In Diœcesi.)	19
Wigberti Conf. 3. Sept. (In Urbe Fuldæ.)	21
Willibaldi Episc. Conf. 7. Jul.	14
Wilibrordi Episc. Conf. Commem. 7. Nov.	26
Willigisi Episc. Conf. 23. Febr.	7
Wolfgangi Episc. Conf. 31. Oct.	26
Wunibaldi Conf. 19. Dec.	3
Zachariæ Papæ Conf. 15. Mart.	7

Imprimatur.

Fuldæ, die 7. Julii 1886.

L. S.

C. Kalb, Vicarius generalis.

Ratisbonæ 1886. Ex Officina Friderici Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

Digitized by Google

DIE XVIII. JUNII.

BEATAE HEVAE RECLUSAE, Virginis.

Introitus. *Psalm. 44.*

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo laetítiae prae consórtibus tuis. *Ps. ibid.* Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátae Hevae, Vírgini, ad augéndum in Ecclésia tua sanctíssimae Eucharístiae cultum incúmbere tribuísti : praesta, quaesumus ; ut qua ipsa in hoc divínum mystérium caritáte flagrávit, eádem et corda nostra accéndi mereántur. Per Dóminum.

Léctio **Epistolae** beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *2. Cor. 10. d. et 11.*

Fratres : Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui se ipsum comméndat, ille probátus est : sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiae meae, sed et supportáte me : aemulor enim vos Dei aemulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Graduale. *Ps. 44.* Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúia, allelúia. ℣. Adducéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus afferéntur tibi in laetítia. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia, *et Versu sequenti, dicitur*

Tractus. *Ps. 44.* Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: fíliae regum in honóre tuo. ℣. Adducéntur Regi vírgines post eam : próximae ejus afferéntur tibi. ℣. Afferéntur in laetítia et exsultatióne : adducéntur in templum Regis.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúia, allelúia. ℣. *Ps. 44.* Adducéntur Regi vírgines post eam : próximae ejus afferéntur tibi in laetítia. Allelúia. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúia.

✠ Sequéntia **sancti Evangélii** secúndum Matthaeum. *Matth. 25.*

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum coelórum decem virgínibus : quae accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso, et sponsae. Quinque autem ex eis erant fátuae, et quinque prudéntes: sed quinque fátuae, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum : prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est. Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illae, et ornavérunt lámpades suas. Fátuae autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro : quia lámpades nostrae exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes : Ne forte non suffíciat nobis, et vobis, ite pótius ad vendéntes,

Digitized by Google

et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus : et quae parátae erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquae vírgines, dicéntes : Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait : Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium. *Ps. 44.* Fíliae regum in honóre tuo, ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

Secreta.

ACcépta tibi sit Dómine sacrátae plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum : quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Communio. *Matth. 25.* Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus : média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam Christo Dómino.

Postcommunio.

SAtiásti Dómine famíliam tuam munéribus sacris : ejus, quaesumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Concordat cum originali. — IMPRIMATUR.
Tornaci, die 28 Aprilis 1903.
VICT. DUREZ, Vic. Gen.

Typis Societatis S. Joannis Evangelistae. — DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. — Romae-Tornaci.

Digitized by Google

6

48

MISSAE PROPRIAE

DIOECESIS

GRATIANOPOLITANAE

A S. R. C. APPROBATAE

DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. PAULI AEMILII HENRY

GRATIANOPOLITANI EPISCOPI

EDITAE

TURONIBUS

TYPIS A. MAME ET FILIORUM

S. SEDIS APOSTOLICAE ET S. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHORUM

M. DCCCC. IV

56

Digitized by Google

Le Propre est vendu au profit du Grand Séminaire

Digitized by Google

GRATIANOPOLITANA.

Rmus Dñus Paulus Aemilius Henry Episcopus Gratianopolitanus, de legitima sacrae Liturgiae ordinatione summopere sollicitus, Kalendarium perpetuum ac Proprium Officiorum atque Missarum in usum Cleri sibi commissae Dioeceseos, adhibito studio ac diligentia cl. viri in re hagiographica et liturgica periti, reformandum curavit; ut quae volventibus annis emendanda forent vel addenda, ex probatioribus historiae ac liturgiae fontibus deprompta, novissimis Rubricarum placitis ac Decretorum praescriptionibus apprime responderent. Eiusmodi vero Kalendarium ac Proprium diligentissime concinnatum, allatis insimul testimoniis atque argumentis ad rem conferentibus, ipse Rmus Dñus cum Rmo suae Cathedralis Ecclesiae Capitulo, supremae Apostolicae Sedis approbationi humillime subiiciens, potissimum efflagitavit confirmationem cultus ab immemorabili tempore praestiti septemdecim Caelitibus, Clero ac populo eiusdem Dioeceseos acceptissimis, necnon concessionem Officiorum ac Missarum in eorumdem Sanctorum festis ab universo Clero Ecclesiae Gratianopolitanae recolendis. Postquam igitur de enuntiata cultus confirmatione Officiorumque concessione rite pronuntiatum fuit, Sacra Rituum Congregatio, revisione de more peracta tum Kalendarii perpetui tum Officiorum ac Missarum in honorem tam septemdecim quam reliquorum Sanctorum Caelitum, suprascriptum idem Kalendarium ac Proprium necnon elogia Dioecesano Martyrologio addenda, sub modo tamen ac forma a se disposita atque ordinata, probari posse declaravit. Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X. per Emum Cardinalem S. R. C. Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua memoratum Kalendarium perpetuum ac Proprium Officiorum et Missarum pro Dioecesi Gratianopolitana, itemque elogia eiusdem Martyrologio inserenda, suprema Auctoritate Sua benigne approbare dignata est in usum tum Cleri saecularis totius enuntiatae Dioeceseos, tum regularium Familiarum Dioecesano ibidem Kalendario utentium. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 13 aprilis 1904.

S. Card. CRETONI Praef.

L. † **S.**

† D. PANICI Archiep. Laodicen. Secret.

Digitized by Google

LICENTIA ET APPROBATIO ORDINARII

Missas proprias in usum dioecesis Gratianopolitanae, prout sunt approbatae a Ss. D. N. Pio PP. X. die 13 aprilis 1904, a Typographis A. Mame et Filiis typis mandari curavimus.

Cum autem haec Missarum propriarum editio, diligenti facta collatione per dilectum Nobis in Christo Alexandrum Grospellier presbyterum, huiusce Proprii concinnatorem, a Nobis deputatum, cum originalibus a S. R. C. approbatis ad amussim concordare reperta sit, excusam per praesentes litteras approbamus evulgandique licentiam impertimur.

Gratianopoli, die 3 novembris 1904, in festo S. Domnini.

† **Paulus Aemilius** Episc. Gratianopolit.

L. † S.

De mandato :

A. Can. Ducrot Secret. gen.

Digitized by Google

MISSAE PROPRIAE

DIOECESIS

GRATIANOPOLITANAE

DIE I. DECEMBRIS

SANCTI ELIGII

NOVIOMENSIS EPISC. CONF.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2° loco.

Et fit commem. Feriae si celebretur in Adventu.

DIE IV. DECEMBRIS

COMMEMORATIO

SANCTAE BARBARAE

VIRG. MART.

Fit post commem. Feriae.

Oratio.

INTERCÉSSIO, quaesumus Dómine, beátae Bárbarae vírginis et mártyris tuae ab omni nos adversitáte prótegat: ut per ejus intervéntum gloriosíssimum sacrosáncti córporis et sánguinis Dómini nostri Jesu Christi sacraméntum ante diem éxitus nostri, per veram paeniténtiam et puram confessiónem percípere mereámur. Qui tecum.

Secreta.

HÓSTIAM tibi Dómine nostrae devotiónis offérimus: quam précibus beátae Bárbarae vírginis et mártyris tuae acceptábilem majestáti tuae esse depóscimus. Per Dóminum.

Postcommunio.

UT nobis, Dómine, córporis et sánguinis Fílii tui sit fructuósa percéptio: beátae Bárbarae vírginis et mártyris tuae nos tibi júgiter comméndet orátio. Per eúmdem Dóminum.

DIE V. DECEMBRIS

SANCTI APRI

PRESB. CONF.

Introitus. Ps. 36.

JUSTUS non conturbábitur, quia Dóminus firmat manum ejus: tota die miserétur et cómmodat, et semen ejus in benedictióne erit: in aetérnum

Digitized by Google

conservábitur. Ps. ibid. Noli aemulári in malignántibus : neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

MISERICÓRDIAM tuam, quaesumus Dómine, nobis interveniénte beáto confessóre tuo Apro cleménter impénde : et nobis peccatóribus ipsíus propitiáre suffrágiis. Per Dóminum.

Et fit commem. Fer. ac S. Sabbae Abbatis.

Léctio libri Sapiéntiae. Sap. 10. b.

JUSTUM dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fráude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Haec vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum : descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos qui eum deprimébant : et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem aetérnam, Dóminus Deus noster.

Graduale. Ps. 111. Beátus vir qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur.

Allelúia, allelúia. ℣. Sap. 10. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12. e.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis : ut, cum vénerit et pulsáverit, confestim apériant ei. Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes : amen dico vobis, quod praecínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc áutem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur veníret, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti : quia qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

Offertorium. Ps. 20. In virtúte tua, Dómine, laetábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter : desidérium ánimae ejus tribuísti ei.

Secreta.

PROPITIÁRE Dómine supplicatiónibus nostris ; et interveniénte beáto Apro confessóre tuo, his sacraméntis caeléstibus serviéntes ab omni culpa líberos esse concéde : ut purificánte nos grátia tua, iísdem quibus famulámur mystériis emundémur. Per Dóminum.

Communio. Matth. 25. Amen dico vobis : quod uni ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis : veníte benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum ab inítio saeculi.

Postcommunio.

PRAESTENT nobis, quaesumus Dómine, tua sancta praesídium : et interveniéntibus beáti Apri méritis,

Digitized by Google

ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

DIE X. DECEMBRIS

COMMEMORATIO

SANCTI SINDULFI

VIENNEN. EPISC. CONF.

Fit post commem. Fer. ac S. Melchiadis Papæ Mart.

Oratio.

SANCTI Sindúlfi confessóris tui atque pontíficis nos, quaesumus Dómine, intervéntio gloriósa comméndet: ut quod nostris áctibus non merémur, ejus précibus consequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Secreta.

SANCTI tui, quaesumus Dómine, nos ubíque laetíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Postcommunio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus: ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Sindúlfo confessóre tuo atque pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

DIE XVII. DECEMBRIS

SANCTI ADONIS

VIENNEN. EPISC. CONF.

Introitus. Jos. 1.

SICUT fui cum Móyse, ita ero tecum, dicit Dóminus: confórta pópulum meum, neque tímeas: ecce Dóminus Deus tuus ante te est, et non te derelínquet. Ps. 19. Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis: prótegat te nomen Dei Jacob. ℣. Glória Patri.

Oratio.

CONCÉDE nobis, quaesumus Dómine, alácribus ánimis beáti Adónis confessóris tui atque pontíficis sollémnia celebráre: cujus divérsis decoráta virtútibus, tibi vita complácuit. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Et fit commem. Feriae.

Léctio libri Sapiéntiae. Eccli. 39.

JUSTUS cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiae replébit illum: et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiae suae, et in oratióne confitébitur Dómino: et ipse díriget consílium ejus et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur. Ipse palam fáciet disciplínam doctrínae suae, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in saeculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et láudem ejus enuntiábit ecclésia.

Graduale. Ps. 19. Memor sit Dóminus omnis sacrifícii tui, et holocáustum tuum pingue fiat. ℣. Mittat tibi auxílium de sancto, et de Sion tueátur te.

Allelúia, allelúia. ℣. Iste sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit angelórum. Allelúia.

Digitized by Google

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 13. d.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vidéte, vigiláte, et oráte : nescítis enim quando tempus sit. Sicut homo, qui péregre proféctus relíquit domum suam, et dedit servis suis potestátem cujúsque óperis, et janitóri praecépit, ut vígilet. Vigiláte ergo (nescítis enim quando dóminus domus véniat : sero, an média nocte, an galli cantu, an mane) : ne, cum vénerit repénte, invéniat vos dormiéntes. Quod áutem vobis dico, ómnibus dico : Vigiláte.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso : et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Súscipe Dómine sacrifícium placatiónis et láudis : quod nos, interveniénte sancto Adóne pontífice, et perdúcat ad véniam, et in perpétua gratiárum constítuat actióne. Per.

Communio. Matth. 25. Euge serve bone et fidélis, quia super páuca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium dómini tui.

Postcommunio.

Suméntes pignus caeléstis arcáni, et in terris pósiti jam supérno pane satiáti : supplicámus Dómine, deprecánte sancto Adóne pontífice ; ut quod in nobis mýstice géritur, veráciter impleátur. Per Dóminum.

DIE XXVI. DECEMBRIS

COMMEMORATIO

OMNIUM Ss. MARTYRUM

Fit post commem. Oct. Nativit.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum commemoratióne laetíficas : concéde propítius ; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Oblátis, quaesumus Dómine, placáre munéribus : et intercedéntibus sanctis Martýribus tuis, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Postcommunio.

Haec nos commúnio, Dómine, purget a crímine : et intercedéntibus sanctis Martýribus tuis, caeléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

DIE III. JANUARII

OCTAVA SANCTI JOANNIS

APOST. ET EVANG.

Post commem. Oct. Ss. Innocentium fit commem. S. Florentii Viennensis Episc. Mart.

Oratio.

Largíre nobis, quaesumus Dómine, beáti Floréntii sacerdótis tui précibus, stipéndia salútis aetérnae : ut ejúsdem pie sollémnia celebrántes, láudes tuae cleméntiae referámus.

Deinde S. Genovefae Virg.

Oratio.

Beátae Genovéfae natalícia veneránda Ecclésia tua, Dómine, devóta suscípiat : et fiat glorificatiónis ejus amóre devótior, et tantae fídei proficiat exémplo. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Florentio. Secreta.

Offerendórum tibi múnerum, Deus, áuctor et dator : praesta, ut sacrifícium quod sancto Floréntio in confessióne cóntulit claritátem,

Digitized by Google

nobis fiat in devotióne praesídium.

Pro S. Genovefa.

OFFÉRIMUS Dómine preces et múnera in honóre sanctae Genovéfae gaudéntes: praesta quaesumus, ut conveniénter hoc ágere, et remédium sempitérnum valeámus acquírere. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Pro S. Florentio. Postcommunio.

QUOS caelésti Dómine refectióne satiásti: beáti, quaesumus, Floréntii sacerdótis tui méritis, a cunctis defénde propitiátus advérsis.

Pro S. Genovefa.

ADJUVENT nos, quaesumus Dómine, et haec mystéria sancta quae súmpsimus, et beátae Genovéfae intercéssio veneránda. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

DIE XVII. JANUARII

SANCTI ANTONII

ABBATIS

Introitus. Ps. 4.

CITÓTE quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: Dóminus exaudívit eum; dedit laetítiam in corde ejus. Ps. ibid. Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiae meae: in tribulatióne dilatásti mihi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui saepius concessísti obténtu beáti Antónii confessóris tui mórbidum ignem exstíngui, et membris aegris refrigéria praestári: fac nos propítius ipsíus méritis a gehénnae incéndiis liberátos, íntegros mente et córpore tibi felíciter in glória praesentári. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiae. Eccli. 46. et 50.

ECCE conféssor magnus, qui in fide sua probátus est, et cógnitus est in verbis suis fidélis. Quasi stella matutína in médio nébulae, et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriae, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília quae sunt in tránsitu aquae, et quasi tus rédolens in diébus aestátis. Quasi ignis effúlgens, et tus ardens in igne. Quasi vas áuri sólidum, ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens, in accipiéndo ipsum stolam glóriae, et vestíri eum in consummatiónem virtútis.

Graduale. Ps. 88. Thronus ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in aetérnum, et testis in caelo fidélis. ℣. Et ponam in mari manum ejus, et in flumínibus déxteram ejus.

Allelúia, allelúia. ℣. Vox de caelo ad Antónium facta est: Quóniam viríliter dimicásti, ecce ego tecum sum, et fáciam te in toto orbe nominári. Allelúia.

Post Septuag., omissis Allelúia, et . seq., dicitur:

Tractus. Ps. 5. Laeténtur omnes qui sperant in te Dómine: in aetérnum exsultábunt, et habitábis in eis. ℣. Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum: quóniam tu benedíces justo. ℣. Dómine, ut scuto bonae voluntátis tuae coronásti nos.

Digitized by Google

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 19.

In illo témpore: Ait Jesus adoléscenti: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da paupéribus, et habébis thesáurum in caelo: et veni, séquere me. Tunc respóndens Petrus, dixit ei: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus áutem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suae, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam aetérnam possidébit.

Offertorium. Inclito António Spíritus sanctus dixit: Quóniam viríliter dimicásti, ecce ego tecum sum, et fáciam te in toto orbe nominári.

Secreta.

Sacrifícium nostrum, quaesumus Dómine, benígnus inténde: quo sicut beáti Antónii précibus cruciátus sanáre dignátus es temporáles, ita érui impetrémus misericórditer ab aetérnis. Per Dóminum.

Communio. Orábat Dei fámulus Antónius inter multifárias daemonum tentatiónes, dicens: Nullus me separábit a caritáte Christi.

Postcommunio.

Prosit nobis ad salútem, Dómine, sacri múneris veneránda percéptio: per quam beáti Antónii abbátis fulti suffrágio, exémplo ipsíus ómnia tela nequíssimi ígnea exstinguéntes, sanctórum mereámur adjúngi consórtio. Per Dóminum.

DIE XIX. JANUARII

SANCTI FERGEOLI

GRATIANOPOLITANI EPISC. MART.

Introitus. Ps. 8.



Glória et honóre coronásti eum Dómine, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Ps. ibid. Dómine Dóminus noster: quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens et misericors Deus, qui multíplici miraculórum beáti Fergéoli mártyris tui atque pontificis coruscatióne, tuis ad te veniéndi copiósum munus grátiae contulísti: praesta, quaesumus; ut ejus apud te précibus adjuvémur, in cujus memóriam tibi hodiérna festa persólvimus. Per Dóminum.

Et fit commem. Ss. Marii et soc. Mart.

Oratio.

Exáudi Dómine pópulum tuum, cum sanctórum tuórum patrocínio supplicántem: ut et temporális vitae nos tríbuas pace gaudére, et aetérnae reperíre subsídium. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiae. Eccli. 2.

Metuéntes Dóminum, sustinéte misericórdiam ejus: et non deflectátis ab illo, ne cadátis. Qui timétis Dóminum, crédite illi: et non evacuábitur merces vestra. Qui timétis Dóminum, speráte in illum: et in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum, dilígite illum: et illuminabúntur corda vestra. Respícite fílii natiónes hóminum: et scitóte quia nullus sperávit in Dómino, et confúsus est.

Digitized by Google

Quis enim permánsit in mandátis ejus, et derelíctus est? aut quis invocávit eum, et despéxit illum? Quóniam pius et misericors est Deus, et remíttet in die tribulatiónis peccáta: et protéctor est ómnibus exquirántibus se in veritáte.

Graduale. Ps. 20. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 45. Coróna áurea super caput ejus: expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. Allelúia.

Post Septuag., omissis Allelúia, et ℣. seq., dicitur:

Tractus. Ps. 20. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 10. c.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in áure audítis, praedicáte super tecta. Et nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam áutem non possunt occídere: sed pótius timéte eum qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásseres asse véneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri áutem capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est.

Offertorium. Joan. 10. Ego sum pastor bonus: pastor bonus ponit ánimam suam pro óvibus suis.

Secreta.

Múnera tibi Dómine pro sancti antístitis et mártyris tui Fergéoli gloriósa passióne deférimus: qui dum finítur in terris, factus est caelésti sede perpétuus. Per Dñm.

Pro Ss. Mario et soc. Secreta.

Preces Dómine tuórum réspice, oblationésque fidélium: ut et tibi grata sint pro tuórum festivitáte sanctórum, et nobis cónferant tuae propitiatiónis auxílium. Per Dñm.

Communio. Matth. 16. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio.

Pópulum tuum Dómine perpétua munitióne defénde: nec difficúlter quod pie et juste póstulat consequátur, cui sancti antístitis et mártyris tui mérita suffragántur. Per Dóminum.

Pro Ss. Mario et soc.
Postcommunio.

Sanctórum tuórum Dómine intercessióne placátus: praesta, quaesumus; ut quae temporáli celebrámus actióne, perpétua salvatióne capiámus. Per Dóminum.

DOM. III. POST EPIPHANIAM

SANCTAE FAMILIAE JESU, MARIAE, JOSEPH

Ut in Supplem. pro aliquibus locis.

Et fit commem. Dom. III. post Epiph.

Digitized by Google

DIE XXII. JANUARII

SANCTI VINCENTII

DIACONI MART.

ECCL. CATHEDR. ET DIOECESIS PATRONI

SECUNDARII

Introitus. Ps. 8.

GLÓRIA et honóre coronásti eum Dómine, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Ps. ibid. Dómine Dóminus noster : quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! ℣. Glória Patri.

Oratio.

ADÉSTO Dómine supplicatiónibus nostris : ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Vincéntii mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum.

In Missis privatis fit commem. S. Anastasii Mart.

Oratio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus : ut intercedénte beáto Anastásio mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Léctio Isaíae Prophétae. Isa. 43.

HAEC dicit Dóminus, creans te Jacob, et formans te Israël : Noli timére, quia redémi te, et vocávi te nómine tuo : meus es tu. Cum transíeris per aquas, tecum ero, et flúmina non opérient te; cum ambuláveris in igne, non comburéris, et flamma non ardébit in te : quia ego Dóminus Deus tuus, sanctus Israël, salvátor tuus, dedi propitiatiónem tuam Aegýptum, Aethiópiam et Saba pro te. Ex quo honorábilis factus es in óculis meis, et gloriósus, ego diléxi te, et dabo hómines pro te, et pópulos pro ánima tua. Noli timére, quia ego tecum sum : dicit Dóminus omnípotens.

Graduale. Ps. 20. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 63. Laetábitur justus in Dómino, et sperábit in eo : et laudabúntur omnes recti corde. Allelúia.

Post Septuag., omissis Allelúia, et ℣. seq., dicitur :

Tractus. Ps. 20. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei : et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 12. d.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet : si áutem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam : et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Offertorium. Ps. 8. Glória et honóre coronásti eum : et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

HODIÉRNUM Dómine sacrifícium laetántes offérimus : quo beáti Vincéntii caeléstem victóriam recen-

Digitized by Google

séntes, et tua magnália praedicámus, et nos acquisísse gaudémus suffrágia gloriósa. Per Dóminum.

Pro S. Anastasio. Secreta.

ACCÉPTA sit in conspéctu tuo Dómine nostra devótio : et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus sollemnitáte defértur. Per.

Communio. Matth. 16. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio.

EXSULTÁMUS páriter et de percépto pane justítiae, et de mártyris tui Dómine festivitáte Vincéntii : quia interventiónibus tibi placéntium, confídimus nobis ad perpétuam vitam profutúra quae súmpsimus. Per.

Pro S. Anastasio. Postcommunio.

REFÉCTI participatióne múneris sacri, quaesumus Dómine Deus noster : ut cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Anastásio mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

DIE XXIII. JANUARII

SANCTI BARNARDI

VIENNEN. EPISC. CONF.

Introitus. Jos. 1.

SICUT fui cum Móyse, ita ero tecum, dicit Dóminus : confórta pópulum meum, neque tímeas : ecce Dóminus Deus tuus ante te est, et non te derelínquet. Ps. 19. Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis : prótegat te nomen Dei Jacob. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui nobis praecláram hujus diéi laetítiam in beáti Barnárdi confessóris tui atque pontíficis festivitáte tribuísti : vota fidélis pópuli serénus inténde ; ut cujus hódie festa percólimus, ejus semper méritis sublevémur. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Emerentianae Virg. Mart.

Oratio.

INDULGÉNTIAM nobis, quaesumus Dómine, beáta Emerentiána virgo et martyr implóret : quae tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuae professióne virtútis. Per Dóminum.

Léctio Epístolae beáti Páuli Apóstoli ad Hebraeos. Hebr. 5.

FRATRES : Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis quae sunt ad Deum, ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis : qui condolére possit iis qui ignórant et errant : quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte : et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit ut póntifex fíeret : sed qui locútus est ad eum : Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit : Tu es sacérdos in aetérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

Graduale. Ps. 10. Jurávit Dóminus, et non paenitébit eum : Tu es sacérdos in aetérnum, secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede a dextris meis.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 88. Dispósui testaméntum eléctis meis : jurávi David servo meo. Allelúia.

62

Digitized by Google

Post Septuag., omissis Allelúia, et ℣. seq., dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiae in domo ejus : et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 24. d.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud áutem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti : quia qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Hóstias nostras, quaesumus Dómine, sanctus póntifex Barnárdus nómini tuo reddat accéptas, qui eas tibi digne offeréndo complácuit. Per Dóminum.

Pro S. Emerentiana. Secreta.

Hóstias tibi Dómine beátae Emerentiánae vírginis et mártyris tuae dicátas méritis, benígnus assúme : et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum nostrum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem : amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Córporis sacri et pretiósi sánguinis repléti libámine, quaesumus, Dómine Deus noster : ut grátiae tuae munus, quod nobis imméritis contulísti, intercedénte beáto Barnárdo pontífice, propítius muniéndo custódias. Per Dóminum.

Pro S. Emerentiana.

Postcommunio.

Divíni múneris largitáte satiáti, quaesumus Dómine Deus noster : ut intercedénte beáta Emerentiána vírgine et mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per.

DIE XXVIII. JANUARII

SANCTI AMEDEI

LAUSANNENSIS EPISC. CONF.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2° loco, praeter Orat. seq.

Oratio.

Excita Dómine, intercedénte beáto Amedéo confessóre tuo atque pontífice, tuórum corda fidélium : ut sacris inténta doctrínis, et intélligant quod sequántur, et sequéndo fidéliter apprehéndant. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Agnetis Virg. et Mart. secundo, ut in Missali.

DOM IV. POST EPIPHANIAM

DESPONSATIONIS B. M. V.

Ut in Supplemento pro aliquibus locis, die 23 januarii.

Digitized by Google

Et fit commem. S. Joseph ut ibidem, ac Dominicae.

DIE III. FEBRUARII

SANCTI CLARI

VIENNEN. ABBATIS

Introitus. Ps. 36.

USTUS non conturbábitur, quia Dóminus firmat manum ejus : tota die miserétur et cómmodat, et semen ejus in benedictióne erit : in aetérnum conservábitur. Ps. ibid. Noli aemulári in malignántibus : neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

BEÁTI Clari abbátis mérita nos, Dómine, pretiósa tueántur : in quibus tuae majestátis ópera praedicántes, et praesens capiámus adjutórium et futúrum. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Blasii Episc. Mart.

Oratio.

DEUS, qui fidélibus tuis per oratiónem beáti Blásii mártyris tui atque pontíficis ab infirmitáte et adversitáte liberári tribuísti : concéde propítius ; ut qui ejus commemoratiónem ágimus in terris, eódem deprecánte glóriam consequámur in caelis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiae. Prov. 3.

BEÁTUS homo qui invénit sapiéntiam, et qui áffluit prudéntia. Mélior est acquisítio ejus negotiatióne argénti, et áuri primi et purissimi fructus ejus. Pretiósior est cunctis ópibus : et ómnia quae desiderántur, huic non valent comparári. Longitúdo diérum in déxtera ejus, et in sinístra illíus divítiae et glória. Viae ejus viae pulchrae, et omnes sémitae illíus pacíficae. Lignum vitae est his qui apprehénderint eam : et qui tenúerit eam, beátus. Dóminus sapiéntia fundávit terram, stabilívit caelos prudéntia. Sapiéntia illíus erupérunt abýssi, et nubes rore concréscunt.

Graduale. Ps. 20. Dómine praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum saeculi.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 91. Justus ut palma florébit : sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúia.

Post Septuag., omissis Allelúia, et ℣. seq., dicitur :

Tractus. Ps. 111. Beátus vir qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiae in domo ejus : et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 11. d.

IN illo témpore : Respóndens Jesus, dixit : Confíteor tibi Pater, Dómine caeli et terrae, quia abscondísti haec a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater : quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Digitized by Google

Offertorium. Ps. 20. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dómine, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta.

SANCTO Claro interveniénte, Dómine, tibi sérvitus nostra compláceat, et obséquia múnerum fiant praesídia devotórum. Per Dóminum.

Pro S. Blasio. Secreta.

PLEBIS tuae Dómine múnera benígnus inténde : quae majestáti tuae pro sancti Blásii mártyris tui atque pontíficis sollemnitátibus sunt dicáta. Per Dóminum.

Communio. Matth. 19. Amen dico vobis, quod vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam aetérnam possidébitis.

Postcommunio.

CAELÉSTI múnere satiáti, quaesumus Dómine Deus noster : ut haec nos dona, beáti Clari abbátis deprecatióne sanctíficent. Per Dñm.

Pro S. Blasio. Postcommunio.

PERCÉPTA nobis, Dómine, praebeant sacraménta subsídium : et praesta, ut beáti Blásii mártyris tui atque pontíficis méritis et intercessióne, nulla nobis nóceat advérsitas, et nulla dominétur iníquitas. Per.

DIE XII. FEBRUARII

SANCTI AVITI

VIENNENSIS EPISCOPI CONFESSORIS

Introitus. Jos. 1.

SICUT fui cum Móyse, ita ero tecum, dicit Dóminus : confórta pópulum meum, neque tímeas : ecce Dóminus Deus tuus ante te est, et non te derelínquet. Ps. 19. Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis : prótegat te nomen Dei Jacob. ℣. Glória Patri.

Oratio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus : ut excelléntiam Verbi tui, quam beátus Avítus conféssor et póntifex gloriósus asséruit, et conveniénter intellígere valeámus, et veráciter profitéri. Per eúmdem Dóminum.

Fit commem. Feriae in Quadragesima.

Léctio libri Sapiéntiae. Eccli. 39.

JUSTUS cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiae replébit illum : et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiae suae, et in oratióne confitébitur Dómino : et ipse díriget consílium ejus et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur. Ipse palam fáciet disciplínam doctrínae suae, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in saeculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et láudem ejus enuntiábit ecclésia.

Graduale. Ps. 19. Memor sit Dóminus omnis sacrifícii tui, et holocáustum tuum pingue fiat. ℣. Mittat tibi auxílium de sancto, et de Sion tueátur te.

Allelúia, allelúia. ℣. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus

Digitized by Google

est, et omnis terra doctrína ejus repléta est. Allelúia.

Post Septuag., omissis Allelúia, et ℣. seq., dicitur :

Tractus. Ps. 111. Beátus vir qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiae in domo ejus : et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 24. d.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud áutem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti : quia qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso : et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Hoc munus pópuli tui Dómine, beáti Avíti sacerdótis deprecatióne sit gratum : ut Ecclésia tua ejus semper intercessiónibus adjuvétur, cujus sine cessatióne instrúitur disciplínis. Per Dóminum nostrum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem : amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Adsit Ecclésiae tuae, quaesumus Dómine, beátus Avítus conféssor et póntifex : ut cujus perpétuus doctor exsístit, semper esse non désinat suffragátor. Per Dóminum nostrum.

DIE XIII. FEBRUARII

B. BEATRICIS AB ORNACIEU

VIRGINIS

Missa. Vultum tuum. de Comm. 2° loco, praeter Orat. seq.

Oratio.

Deus, qui beátam Beatrícem vírginem in imitatióne passiónis Dómini nostri Jesu Christi caritátis víctimam effecísti : da nobis, ut ejus intercessióne et exémplo ejúsdem Fílii tui passiónibus communicántes in terris, ad aetérnam glóriam pervenire mereámur in caelis. Per eúmdem Dóminum.

Fit commem. Fer. in Quadrag.

DIE XIV. FEBRUARII

SANCTI RAYMUNDI DE PENNAFORT

CONFESSORIS

Omnia ut in Missali die 23 januarii.

Fit commem. Feriae in Quadrag.

Postea S. Valentini Presb. Martyris.

DIE XVII. FEBRUARII

B. FRANCISCI CLET

PRESB. MART.

Missa. In virtúte. de Communi 1° loco, praeter Orat. seq.

Digitized by Google

Oratio.

DEUS, qui beátum Francíscum post diutúrnos pro salúte animárum labóres, martýrii glória decorásti : concéde propítius; ut ejus intercessióne et exémplo tibi fidéliter serviéntes, aetérna praemia consequámur. Per Dóminum.

Fit commem. Fer. in Quadrag.

Secreta.

ACCÉPTA tibi sit Dómine pro beáti Francísci mártyris passióne salutáris hujus sacrifícii oblátio veneránda, de quo ipse suae virtútis et constántiae sumpsit omne princípium. Per Dóminum.

Postcommunio.

FIAT in nobis, Dómine, immortalitátis alimónia tui commúnio sacraménti : quo beátus Francíscus júgiter saginátus, seípsum in vita exhíbuit inconfusíbilem operárium, et in morte mártyrem admirándum. Per Dóminum.

DIE XXII. FEBRUARII

COMMEMORATIO

SANCTI PASCHASII

VIENNEN. EPISC. CONF.

Fit post commem. S. Pauli Apost., necnon Fer. in Quadrag.

Oratio.

SANCTI Paschásii sacerdótis tui nos, Dómine, sancta precátio tueátur: et quod nostra consciéntia non praesúmit, ejus nobis qui tibi plácuit oratióne donétur. Per Dóminum.

Secreta.

DA nobis Dómine, quaesumus, gratánter haec tibi vota persólvere, quibus sancti Paschásii depositiónem recólimus : et praesta, ut in ejus láude tuam semper glóriam praedicémus. Per Dóminum.

Postcommunio.

SUMPTUM Dómine caeléstis remédii sacraméntum, ad perpétuam nobis provenire laetítiam, beátus Paschásius sacérdos obtíneat. Per Dóminum.

FERIA VI. POST CINERES

Ss. SPINEAE CORONAE

D. N. J. C.

Ut in Supplemento pro aliquibus locis.

Et fit commem. Feriae.

FERIA VI. POST DOM. I. QUADRAG.

Ss. LANCEAE ET CLAVORUM

D. N. J. C.

Ut in Supplemento pro aliquibus locis.

Et fit commem. Feriae.

FERIA VI. POST DOM. II. QUADRAG.

Ss. SINDONIS D. N. J. C.

Ut in Supplemento pro aliquibus locis.

Et fit commem. Feriae.

FERIA VI. POST DOM. III. QUADRAG.

Ss. QUINQUE VULNERUM

D. N. J. C.

Ut in Supplemento pro aliquibus locis.

Et fit commem. Feriae.

DIE XIII. MARTII

SANCTI ELDRADI

NOVALICIEN. ABBATIS

Missa. Os justi. de Comm. Abbat., praeter seq.

Oratio.

DEUS, qui nos beatíssimi Eldrádi abbátis laetíficas commemoratióne sollémni : da nobis, quaesumus, ejus pérfrui aetérno consórtio,

Digitized by Google

cujus festívo gratulámur offício. Per Dóminum.

Et fit commem. Feriae.

Léctio libri Sapiéntiae. Sap. 4. b.

JUSTUS, si morte praeoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis est non diutúrna, neque annórum número computáta: cani áutem sunt sensus hóminis, et aetas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est diléctus, et vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est, ne malítia mutáret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, et inconstántia concupiscéntiae transvértit sensum sine malítia. Consummátus in brevi explévit témpora multa, plácita enim erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum: pópuli áutem vidéntes, et non intelligéntes, nec ponéntes in praecórdiis tália: quóniam grátia Dei et misericórdia est in sanctos ejus, et respéctus in eléctos illíus.

Secreta.

ADÉSTO, quaesumus Dómine, précibus nostris, adésto munéribus: ut quae pro beáti Eldrádi abbátis sollemnitáte devóte offérimus, salutária nobis esse sentiámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Communio. Matth. 19. Amen dico vobis, quod vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam aetérnam possidébitis.

Postcommunio.

PRAESTA, quaesumus Dómine: ut sacraménti tui participatióne vegetáti, sancti quoque Eldrádi abbátis précibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

DIE XXIV. MARTII

SANCTI GABRIELIS

ARCHANGELI

Ut in Supplemento pro aliquibus locis, die 18.

DIE I. APRILIS

SANCTI HUGONIS

BONAEVALLIS ABBATIS

Missa. Os justi. de Comm. Abbat., praeter seq.

Oratio.

MAJESTÁTI tuae nos, quaesumus Dómine, beáti Hugónis abbátis supplicátio veneránda concíliet: ut qui incessabíliter áctibus nostris offéndimus, contínuis ejus précibus expiémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Fit commemoratio Feriae in Quadrag.

Secreta.

PATÉRNIS intercessiónibus magnífici pastóris Hugónis, quaesumus omnípotens Deus, famíliae tuae commendétur oblátio: cujus vitálibus decorátur exémplis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Communio. Matth. 19. Amen dico vobis, quod vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam aetérnam possidébitis.

Postcommunio.

LIBÁNTES, Dómine, mensae tuae beáta mystéria: quaesumus, ut interventióne sancti Hugónis abbátis, et praeséntem nobis misericórdiam cónferant, et aetérnam. Per Dóminum.

65

Digitized by Google

DIE II. APRILIS

S. FRANCISCI DE PAULA

CONFESSORIS

Introitus. Ps. 36.

ÉLIUS est módicum justo, super divítias peccatórum multas : quóniam bráchia peccatórum conteréntur, confírmat áutem justos Dóminus. T. P. Allelúia, allelúia. Ps. ibid. Noli aemulári in malignántibus : neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, humílium celsitúdo, qui beátum Franciscum confessórem, sanctórum tuórum glória sublimásti : tríbue, quaesumus; ut, ejus méritis et imitatióne, promíssa humílibus praemia felíciter consequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

In Quadrag. fit commem. Feriae.

Léctio Epístolæ beáti Páuli Apóstoli ad Philippénses. Philipp. 3. b.

FRATRES : Quae mihi fuérunt lucra, haec arbitrátus sum propter Christum detriménta. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei : propter quem ómnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo, non habens meam justítiam, quae ex lege est, sed illam quae ex fide est Christi Jesu : quae ex Deo est justítia in fide, ad cognoscéndum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus : configurátus morti ejus : si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quae est ex mórtuis : non quod jam accéperim, aut jam perféctus sim : sequor áutem, si quo modo compreháendam, in quo et comprehénsus sum a Christo Jesu.

Graduale. Ps. 17. Factus est Dóminus protéctor meus, et edúxit me in latitúdinem : salvum me fecit. ℣. Retríbuet mihi Dóminus secúndum justítiam meam, et secúndum puritátem mánuum meárum retríbuet mihi.

Tractus. Ps. 111. Beátus vir qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus, generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiae in domo ejus : et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

Temp. Pasch., omissis Graduali et Tractu, dicitur :

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 36. Dóminus amat judícium, et non derelínquet sanctos suos : in aetérnum conservabúntur.

Allelúia. ℣. ibid. Justus non conturbábitur, quia Dóminus firmat manum ejus. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12. d.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quae possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem in caelis : quo fur non apprópiat, neque tínea corrúmpit. Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium. Ps. 36. Salus justórum a Dómino, et protéctor eórum est in témpore tribulatiónis : et adjuvábit eos Dóminus, et liberábit eos, et éruet eos a peccatóribus, et

Digitized by Google

salvábit eos : quia speravérunt in eo. T. P. Allelúia.

Secreta.

HAEC dona devótae plebis, Dómine, quibus tua cumulámus altária, beáti Francísci méritis tibi grata, nobísque salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio. Matth. 25. Amen dico vobis : quod uni ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis : veníte benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum ab inítio saeculi. T. P. Allelúia.

Postcommunio.

SUMPTA, Dómine, sacraménta caeléstia : beáto Francísco confessóre tuo intercedénte, precámur; ut et temporális vitae subsídia nobis cónferant, et aetérnae. Per Dóminum.

DIE XVII. APRILIS

SANCTI PANTAGATHI

VIENNENSIS EPISC. CONF.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont., praeter seq.

Oratio.

PRECES nostras, quaesumus Dómine, propitiátus admítte : et ut digne tuis famulémur altáribus, sancti Pantágathi confessóris tui atque pontíficis nos intercessióne custódi. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Aniceti Papae Mart.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beáti Anicéti mártyris tui atque pontíficis sollemnitáte laetíficas : concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. (Per Dóminum nostrum Jesum Christum.)

Secreta.

SANCTI tui, quaesumus Dómine, nos ubíque laetíficent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Pro S. Aniceto. Secreta.

MÚNERA tibi Dómine dicáta sanctífica : et, intercedénte beáto Anicéto mártyre tuo atque pontífice, per éadem nos placátus inténde. (Per Dóminum nostrum Jesum Christum.)

Postcommunio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus : ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Pantágatho confessóre tuo atque pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Aniceto. Postcommunio.

HAEC nos commúnio, Dómine, purget a crímine : et intercedénte beáto Anicéto mártyre tuo atque pontífice, caeléstis remédii fáciat esse consórtes. (Per Dóminum.)

DIE XX. APRILIS

SANCTI JOANNIS

VALENTINENSIS EPISC. CONF.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2° loco, praeter Orat. seq.

Oratio.

AURES tuae pietátis, quaesumus Dómine, précibus nostris inclína : ut qui peccatórum nostrórum flagéllis percútimur, intercedénte beáto Joánne confessóre tuo atque pontífice, miseratiónis tuae grátia liberémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Digitized by Google

DIE XXVI. APRILIS

COMMEMORATIO

SANCTI CLARENTII

VIENNENSIS EPISC. CONF.

Oratio.

SANCTI Claréntii confessóris tui atque pontíficis nos, Dómine, júgiter prosequátur orátio : ut quod petítio nostra non ímpetrat, ipso pro nobis interveniénte praestétur. (Per Dóminum.)

Secreta.

SANCTI tui, quaesumus Dómine, nos ubíque laetíficent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. (Per Dóminum.

Postcommunio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus : ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Claréntio confessóre tuo atque pontífice, benefícia potióra sumámus. (Per Dóminum.)

Digitized by Google

DOM. II. POST PASCHA

SANCTI HUGONIS

GRATIANOPOLITANI EPISC. CONF.

Introitus. Deut. 28.

LÉGIT te Dóminus sibi in sacerdótem magnum : et apériens thesáurum suum óptimum, abundáre te fáciet ómnibus bonis, allelúia, allelúia. Ps. 19. Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis : prótegat te nomen Dei Jacob. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DA nobis, quaesumus omnípotens Deus, beáti Hugónis confessóris tui atque pontíficis précibus cónsequi véniam delictórum : qui, miráculis attestántibus, tecum vivit *in* regióne vivórum. Per Dóminum *nos*trum.

Et fit commem. Dominicae.

Oratio.

DEUS, qui in Fílii tui humilitáte jacéntem mundum erexísti : fidélibus tuis perpétuam concéde laetítiam; ut quos perpétuae mortis eripuísti cásibus, gáudiis fácias pérfrui sempitérnis. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiae. Eccli. 50.

ECCE sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Templi étiam altitúdo ab ipso fundáta est, duplex aedificátio et excélsi paríetes templi. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, et quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. Qui praeváluit amplificáre civitátem : qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis, et ingréssum domus et átrii amplificávit. Quasi stella matutína in médio nébulae, et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriae, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília quae sunt in tránsitu aquae, et quasi tus rédolens in diébus aestátis. Quasi ignis effúlgens, et tus ardens in igne. Quasi vas áuri sólidum, ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans, et cypréssus in alti-

Digitized by Google

túdinem se extóllens, in accipiéndo ipsum stolam glóriae, et vestíri eum in consummatiónem virtútis. In ascénsu altáris sancti, glóriam dedit sanctitátis amíctum.

Allelúia, allelúia. ℣. I. Reg. 2. Elégit te Dóminus sibi in sacerdótem magnum in pópulo suo.

Allelúia. ℣. Sancti et justi in Dómino gaudéte : vos elégit Deus in hereditátem sibi. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 25.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii áutem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit áutem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui áutem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens : Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone et fidélis, quia super páuca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium dómini tui. Accéssit áutem et qui duo talénta accéperat, et ait : Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone et fidélis, quia super páuca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra gáudium dómini tui.

Offertorium. Ps. 89. Repléti sumus mane misericórdia tua : et exsultávimus, et delectáti sumus, allelúia.

Secreta.

Praesta, quaesumus Dómine, ut intercessióne sancti confessóris et epíscopi tui Hugónis, quem ad láudem nóminis tui dicátis munéribus honorámus, piae devotiónis nobis fructus accréscat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Pro commem. Dominicae.

Secreta.

Benedictiónem nobis, Dómine, cónferat salutárem sacra semper oblátio : ut, quod agit mystério, virtúte perfíciat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Communio. Matth. 25. Euge serve bone et fidélis, quia super páuca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium dómini tui, allelúia.

Postcommunio.

Beáti Hugónis confessóris tui atque pontíficis festivitáte sollémni fidélibus tuis, Dómine, caeléstia múnera suffragéntur : et qui tibi plácuit, nobis implóret auxílium. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Pro commem. Dominicae.

Postcommunio.

Praesta nobis, quaesumus omnípotens Deus : ut vivificatiónis tuae grátiam consequéntes, in tuo semper múnere gloriémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

In fine legitur Evangelium Dominicae.

Digitized by Google

DIE I. MAII

COMMEMORATIO

Ss. SIGISMUNDI REGIS

ET SOCIORUM MARTYRUM

Fit tantum in Missis privatis.

Oratio.

CONCÉDE Dómine pópulo tuo véniam peccatórum et religiónis augméntum : atque ut ei tua dona multíplices, sanctórum mártyrum tuórum Sigismúndi et sociórum ejus patrocínia fac adésse. Per Dñm.

Secreta.

SALUTÁRI sacrifício, Dómine, pópulus tuus semper exsúltet : quo et débitus honor sacris martýribus exhibétur, et sanctificatiónis tuae munus acquíritur. Per Dóminum.

Postcommunio.

JÚGITER nos, Dómine, sanctórum tuórum Sigismúndi ac sociórum ejus vota laetíficent : et patrocínia nobis mártyrum, ipsae semper festivitátes exhíbeant. Per Dóminum.

DIE V. MAII

COMMEMORATIO

SANCTI NICETII

VIENNEN. EPISC. CONF.

Oratio.

BEÁTUS sacérdos tuus Nicétius, quaesumus Dómine, sua nos apud te intercessióne comméndet : ut ejus plácito fulti suffrágio, quam precámur indulgéntiam peccatórum cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

SANCTI Nicétii confessóris tui atque pontíficis, quaesumus Dómine, ánnua sollémnitas pietáti tuae nos reddat accéptos : ut per haec piae placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiae tuae dona concíliet. Per Dóminum.

Postcommunio.

DEUS, fidélium remunerátor animárum : praesta, ut beáti Nicétii confessóris tui atque pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

DIE VIII. MAII

COMMEMORATIO

SANCTI DIONYSII

VIENNEN. EPISC. CONF.

Oratio.

BEÁTI Dionýsii sacerdótis tui, Dómine, ánnua festa recoléntes : quaesumus, ut quae bonórum sunt nobis instruménta praeséntium, fiant aeternórum patrocínia gaudiórum. Per Dóminum.

Secreta.

SANCTI tui, quaesumus Dómine, nos ubíque laetíficent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Postcommunio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus : ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Dionýsio confessóre tuo atque pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

DIE XI. MAII

SANCTI MAMERTI

VIENNEN. EPISC. CONF.

Introitus. Deut. 28.

LÉGIT te Dóminus sibi in sacerdótem magnum : et apériens thesáurum suum óptimum, abundáre te fáciet ómnibus bonis. T. P. Allelúia, allelúia. Ps. 19. Exáudiat te Dóminus in die tribula-

Digitized by Google

tiónis : prótegat te nomen Dei Jacob. ℣. Glória Patri.

Oratio.

CLAMÁNTES ad te, quaesumus Dómine, dignánter exáudi : ut sicut ad preces beáti pontíficis tui Mamérti pópulo in afflictióne pósito pepercísti, ita et nobis ejus intercessióne in omni tribulatióne succúrras. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiae. Eccli. 50.

ECCE sacérdos magnus, qui in vita sua curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. Qui praeváluit amplificáre civitátem : qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis, et ingréssum domus et átrii amplificávit. In ascénsu altáris sancti, glóriam dedit sanctitátis amíctum. In accipiéndo áutem partes de manu sacerdótum, et ipse stans juxta aram. Et consummatióne fungens in ara, amplificáre oblatiónem excélsi regis, porréxit manum suam in libatióne, et libávit de sánguine uvae : effúdit in fundaménto altáris odórem divínum excélso príncipi. Tunc omnis pópulus simul properavérunt, et cecidérunt in fáciem super terram, adoráre Dóminum Deum suum, et dare preces omnipoténti Deo excélso. Et amplificavérunt psalléntes in vócibus suis, et in magna domo áuctus est sonus suavitátis plenus. Et rogávit pópulus Dóminum excélsum in prece, usque dum perféctus est honor Dómini, et munus suum perfecérunt. Tunc descéndens, manus suas éxtulit in omnem congregatiónem filiórum Israël, dare glóriam Deo a lábiis suis, et in nómine ipsíus gloriári. Et iterávit oratiónem suam, volens osténdere virtútem Dei, qui magna fecit in omni terra, et fecit nobíscum secúndum suam misericórdiam. Det nobis jucunditátem cordis, et fíeri pacem in diébus nostris per dies sempitérnos.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 8. Glória et honóre coronásti eum Dómine, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Allelúia. ℣. Mamértus epíscopus migrávit a saeculo : vivit in Christo, gemma sacerdótum. Allelúia.

Post temp. Pasch. dicitur :

Graduale. Ps. 19. Memor sit Dóminus omnis sacrifícii tui, et holocáustum tuum pingue fiat. ℣. Mittat tibi auxílium de sancto, et de Sion tueátur te.

Allelúia, allelúia. ℣. Mamértus epíscopus migrávit a saeculo : vivit in Christo, gemma sacerdótum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 13. d.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vidéte, vigiláte, et oráte : nescítis enim quando tempus sit. Sicut homo, qui péregre proféctus relíquit domum suam, et dedit servis suis potestátem cujúsque óperis, et janitóri praecépit, ut vígilet. Vigiláte ergo (nescítis enim quando dóminus domus véniat : sero, an média nocte, an galli cantu, an mane) : ne, cum vénerit repénte, invéniat vos dormiéntes. Quod áutem vobis dico, ómnibus dico : Vigiláte.

Offertorium. Ps. 89. Repléti sumus mane misericórdia tua : et exsultávimus, et delectáti sumus, allelúia.

Secreta.

INTERCÉSSIO sancti Mamérti sacerdótis tui misericórdiae tuae, Dómine, múnera nostra concíliet : ut quod mérita nostra non supplent,

Digitized by Google

sanctórum tuórum deprecatióne pensétur. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem : amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum. T. P. Allelúia.

Postcommunio.

SIT plebi tuae, Dómine, continuáta defénsio divíni participátio sacraménti : ut intercedénte beáto Mamérto pontífice, salvatiónem mentis et córporis et incessabíliter éxpetat, et affluénter accípiat. Per.

DIE XIII. MAII

SANCTI ARIGII

VAPINCEN. EPISC. CONF.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont., praeter Orat. seq.

Oratio.

DEUS, qui inter sanctos tuos dilécti fámuli tui Arígii episcopi ánimam de ergástulo carnis ad paradísi amoenitátem edúctam, speciáli glória decorásti : largíre propítius; ut ipse apud Dóminum nostrum Jesum Christum pro nobis intercéssor exsístat. Qui tecum.

DIE XIV. MAII

SANCTI PETRI

TARENTASIEN. EPISC. CONF.

Missa. Sacerdótes. de Comm. Conf. Pont. 2° loco, praeter Orat. seq.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Petri confessóris tui atque pontíficis illumináre dignátus es gloriósis méritis et doctrínis : concéde propítius; ut ipsíus perpétuis muniámur suffrágiis, cujus innúmeris mirificae sanctitátis irradiámur exémplis. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Bonifacii Mart.

DIE XXI. MAII

SANCTI THEOBALDI

VIENNEN. EPISC. CONF.

Introitus. Ps. 131.

SACERDÓTES ejus índuam salutári : et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. T. P. Allelúia, allelúia. Ps. ibid. Meménto Dómine David : et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, ómnium sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui praeséntem diem honorábilem nobis in beáti Theobáldi pontíficis tui festivitáte fecísti : da Ecclésiae tuae de tanti antístitis sollémniis sic laetári; ut apud misericórdiam tuam et exémplis ejus adjuvémur et méritis. Per Dóminum.

Léctio Epístolae beáti Páuli Apóstoli ad Hebraeos. Hebr. 5.

FRATRES : Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis quae sunt ad Deum, ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis : qui condolére possit iis qui ignórant et errant : quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte : et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit ut póntifex fíeret : sed qui locútus est ad eum : Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco

Digitized by Google

dicit: Tu es sacérdos in aetérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 88. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea.

Allelúia. ℣. Iste sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit angelórum. Allelúia.

Post temp. Pasch. dicitur:

Graduale. Ps. 109. Jurávit Dóminus, et non paenitébit eum: Tu es sacérdos in aetérnum, secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a dextris meis.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 88. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea. Allelúia. ✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 13. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vidéte, vigiláte, et oráte: nescítis enim quando tempus sit. Sicut homo, qui péregre proféctus relíquit domum suam, et dedit servis suis potestátem cujúsque óperis, et janitóri praecépit, ut vígilet. Vigiláte ergo (nescítis enim quando dóminus domus véniat: sero, an média nocte, an galli cantu, an mane): ne, cum vénerit repénte, invéniat vos dormiéntes. Quod áutem vobis dico, ómnibus dico: Vigiláte.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. T. P. Allelúia.

Secreta.

Votíva, Dómine, múnera deferéntes in festivitáte beáti Theobáldi pontíficis, tuam magnificéntiam venerámur, et per eam nobis implorámus tuae pietátis auxílium. Per.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram. T. P. Allelúia.

Postcommunio.

Et sacraméntis tuis Dómine et gáudiis optátae celebritátis expléti: quaesumus, ut nobis ejus précibus dent medélam, cujus recordatiónibus exhibéntur. Per Dóminum.

DIE XXIII. MAII

SANCTI DESIDERII

VIENNEN. EPISC. MART.

Introitus. Ps. 131.

Sacerdótes ejus índuam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. T. P. Allelúia, allelúia. Ps. ibid. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui vitam beáti antístitis tui et mártyris Desidérii per istíus saeculi aerúmnas transíre fecísti: quaesumus, ut ejus intercessióne plebem tuae cleméntiae famulántem ita in praesénti fóveas, ut ad caeléstia regna perdúcas. Per Dóminum.

Léctio Epístolae beáti Páuli Apóstoli ad Romános. Rom. 8. e.

Fratres: Scimus quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos praescívit, et praedestinávit conformes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos áutem praedestinávit, hos et vocávit: et quos vocávit, hos et justificávit: quos áutem justificávit,

Digitized by Google

illos et glorificávit. Quis ergo nos separábit a caritáte Christi? tribulátio? an angústia? an fames? an núditas? an períclum? an persecútio? an gládius? (sicut scriptum est: Quia propter te mortificámur tota die: aestimáti sumus sicut oves occisiónis.) Sed in his ómnibus superámus propter eum qui diléxit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre a caritáte Dei, quae est in Christo Jesu Dómino nostro.

Allelúia, allelúia. ℣. Hic est vere martyr, qui pro Christo sánguinem suum fudit: et ídeo regnat cum illo.

Allelúia. ℣. Sap. 5. Stabunt justi in magna constántia advérsus eos qui se angustiavérunt. Allelúia.

Post temp. Pasch. dicitur:

Graduale. Ps. 20. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Allelúia, allelúia. ℣. Hic est vere martyr, qui pro Christo sánguinem suum fudit: et ídeo regnat cum illo. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 16. c.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis: quia plorábitis et flébitis vos, mundus áutem gaudébit: vos vero contristabímini, sed tristítia vestra vertétur in gáudium. Múlier cum parit, tristítiam habet, quia venit hora ejus: cum áutem pepérerit púerum, jam non méminit pressúrae propter gáudium: quia natus est homo in mundum. Et vos ígitur nunc quidem tristítiam habétis, íterum áutem vidébo vos, et gaudébit cor vestrum: et gáudium vestrum nemo tollet a vobis.

Offertorium. Ps. 89. Repléti sumus mane misericórdia tua: et exsultávimus, et delectáti sumus, allelúia.

Secreta.

Sacrifícia tibi Dómine veneránda pro beáti mártyris tui Desidérii passióne supplíciter immolámus: ut sicut ejus tibi grata sunt mérita, sic nostrae servitútis accépta reddántur offícia. Per Dóminum.

Communio. Joan. 15. Ego sum vitis vera, et vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. T. P. Allelúia, allelúia.

Postcommunio.

Prosit nobis, quaesumus Dómine, sancti Desidérii mártyris tui atque pontíficis multiplicáta devótio: ut suméntes divína mystéria pro ejus natalíciis celebráta, capiámus aetérnae simul increménta laetítiae. Per Dóminum.

DIE XXIV. MAII

BEATAE MARIAE VIRGINIS TITULO AUXILIUM CHRISTIANORUM

Ut in Supplemento pro aliquibus locis.

FERIA VI. POST OCT. SS. CORPORIS CHRISTI

SACRATISSIMI CORDIS JESU

Missa Egredímini. ut in Supplemento pro aliquibus locis.

Digitized by Google

DIE II. JUNII

Ss. POTHINI EPISC., SANCTI DIAC., BLANDINAE VIRG.

ET SOCIORUM MARTYRUM

Introitus. Ps. 67.

JUSTI epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei, et delecténtur in laetítia. T. P. Allelúia, allelúia. Ps. ibid. Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus : et fúgiant qui odérunt eum, a fácie ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

SANCTÓRUM mártyrum tuórum, Dómine, Pothíni pontíficis, Sancti diáconi, Blandínae vírginis et sociórum supplicatiónibus tríbue nos fovéri : ut quorum venerábilem triúmphum ánnuo frequentámus obséquio, eórum et intercessiónibus commendémur et méritis. Per Dóminum.

Et fit commem. Ss. Marcellini, Petri et Erasmi Mart.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beatórum mártyrum tuórum Marcellíni, Petri atque Erásmi sollemnitáte laetíficas : praesta, quaesumus; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Léctio Epístolae beáti Páuli Apóstoli ad Hebraeos. Hebr. 11. f.

FRATRES : Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum : accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos : álii áutem distenti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem : álii vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula, et cárceres : lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt : circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti : quibus dignus non erat mundus : in solitudínibus errántes, in móntibus et spelúncis, et in cavérnis terrae. Et hi omnes testimónio fídei probáti, invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 88. Confitebúntur caeli mirabília tua, Dómine : étenim

Digitized by Google

veritátem tuam in ecclésia sanctórum. ℣. Misericórdias tuas, Dómine, in aetérnum cantábo : in generatióne et progénie.

Allelúia, allelúia. ℣. Apoc. 7. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Allelúia.

Temp. Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúia, allelúia. ℣. Apoc. 7. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni.

Allelúia. ℣. Ps. 149. Exsultábunt sancti in glória : laetabúntur in cubílibus suis. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 21. b.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum audiéritis proelia et seditiónes, nolíte terréri : opórtet primum haec fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis : Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terraemótus magni erunt per loca, et pestiléntiae, et fames, terrorésque de caelo, et signa magna erunt. Sed ante haec ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur, tradéntes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et praesides, propter nomen meum : contínget áutem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non praemeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini áutem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis : et éritis ódio ómnibus, propter nomen meum : et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Offertorium. Ps. 89. Repléti sumus mane misericórdia tua : et exsultávimus, et delectáti sumus, allelúia.

Secreta.

Offérimus tibi Dómine fidélium tuórum dona sollémnia, sanctórum mártyrum interventiónibus confidéntes : ut quod nos exséquimur minus idónea servitúte, illórum pótius méritis efficiátur accéptum. Per Dóminum.

Pro Ss. Marcellino et soc. Mart.

Secreta.

Haec hóstia, quaesumus Dómine, quam sanctórum mártyrum tuórum natalícia recenséntes offérimus : et víncula nostrae pravitátis absólvat, et tuae nobis misericórdiae dona concíliet. Per Dóminum nostrum Jesum Christum

Communio. Ps. 123. Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium. T. P. Allelúia.

Postcommunio.

Consecúti grátiam múneris sacri, súpplices Dómine te rogámus : ut implorántibus pro nobis sanctis martýribus tuis, divínae virtútis efféctum, quem corporáliter súmpsimus, spiritáliter sentiámus. Per Dóminum.

Pro Ss. Marcellino et soc. Mart.

Postcommunio.

Sacro múnere satiáti, súpplices te Dómine deprecámur : ut quod débitae servitútis celebrámus offício, salvatiónis tuae sentiámus augméntum. Per Dóminum.

Digitized by Google

DIE III. JUNII

SANCTAE CLOTILDIS

REGINAE VIDUAE

Missa. Cognóvi. de Comm. nec Virg. nec Mart., cum Orat. seq.

Oratio.

RÉSPICE, quaesumus Dómine, ad Francórum benígnus impérium: et quibus per devótam sanctae Clotíldis instántiam donum fídei contulísti, iis nunc ejúsdem intercessióne tríbue sincérum christiánae pietátis afféctum. Per Dóminum.

Secreta.

EXÁUDI Dómine per hujus oblatiónis obséquium pópulum tuum cum sanctae Clotíldis patrocínio supplicántem: regnúmque quod tibi subjécit, perpétua protectióne custódi. Per Dóminum.

Postcommunio.

AUXILIÉNTUR nobis, Dómine, sacraménta quae súmpsimus: et quos per beátam Clotíldem ad caeléste regnum vocáre dignátus es, ejúsdem fac regni possessióne felíces. Per Dóminum.

DIE VII. JUNII

SANCTI CERATI

GRATIANOPOLITANI EPISC. CONF.

Introitus. Ps. 131.

SACERDÓTES ejus índuam salutári, et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. T. P. Allelúia, allelúia. Ps. ibid. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

ANNUE, quaesumus Dómine Deus noster: ut mérita tibi plácita sancti confessóris tui et epíscopi Ceráti pro grégibus quos sincéro ministério gubernávit pietátem tuam semper exórent. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Léctio Epístolae beáti Páuli Apóstoli ad Ephésios. Eph. 3. b.

FRATRES: Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia haec: in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes quae sit dispensátio sacraménti abscónditi a saeculis in Deo, qui ómnia creávit: ut innotéscat principátibus et potestátibus in caeléstibus per Ecclésiam multifórmis sapiéntia Dei, secúndum praefinitiónem saeculórum, quam fecit in Christo Jesu Dómino nostro: in quo habémus fidúciam et accéssum in confidéntia per fidem ejus. Propter quod peto ne deficiátis in tribulatiónibus meis pro vobis: quae est glória vestra. Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini mei Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in caelis et in terra nominátur.

Graduale. Ps. 109. Jurávit Dóminus, et non paenitébit eum: Tu es sacérdos in aetérnum, secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a dextris meis.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 88. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea. Allelúia.

Temp. Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 88. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea.

Allelúia. ℣. Ps. 131. Meménto Dómine David, et omnis mansuetúdinis ejus. Allelúia.

Digitized by Google

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 25.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii áutem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et profectus est statim. Abiit áutem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui áutem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens : Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone et fidélis, quia super páuca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium dómini tui. Accéssit áutem et qui duo talénta accéperat, et ait : Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone et fidélis, quia super páuca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium dómini tui.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. T. P. Allelúia.

Secreta.

In tuo conspéctu, Dómine quaesumus, tália nostra sint múnera, quae, intercedénte beáto Ceráto pontífice, et placáre te váleant, et nos tibi placére perfíciant. Per Dóminum.

Communio. Matth. 25. Euge serve bone et fidélis, quia super páuca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium dómini tui. T. P. Allelúia.

Postcommunio.

Laeti, Dómine, súmpsimus sacraménta caeléstia : quae nobis, intercedénte beáto Ceráto confessóre tuo atque pontífice, ubérius confídimus profutúra. Per Dóminum.

DIE XIV. JUNII

COMMEMORATIO

SANCTI AETHERII

VIENNEN. EPISC. CONF.

Oratio.

Intercéssio, Dómine, beáti Aethérii confessóris tui atque pontíficis, et tuam nobis non désinat placáre justítiam, et nostrum tibi devótum júgiter effíciat famulátum. Per Dóminum.

Secreta.

Sancti tui, quaesumus Dómine, nos ubíque laetíficent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Praesta, quaesumus omnípotens Deus : ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Aethério confessóre tuo atque pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

DIE XVI. JUNII

S. JOAN. FRANCISCI RÉGIS

CONFESSORIS

Missa. Os justi. de Comm. 1° loco, cum Orat. seq.

Digitized by Google

Oratio.

DEUS, qui ad plúrimos pro salúte animárum perferéndos labóres, beátum Joánnem Franciscum confessórem tuum mirábili caritáte et invícta patiéntia decorásti : concéde propítius; ut ejus exémplis instrúcti et intercessiónibus adjúti, aetérnae vitae praemia consequámur. Per Dóminum.

DIE XXVII. JUNII

SANCTI ANTHELMI

BELLICEN. EPISC. CONF.

Missa. Státuit. de Comm. Confessoris Pontificis, praeter Orat. seq.

Oratio.

DEUS, qui perénnem glóriam sanctíssimi confessóris tui atque pontíficis Anthélmi ánimae contulísti : tríbue, quaesumus, ejus nos ita apud te patrocíniis sublimári, ut cum eo vitam possideámus aetérnam. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Et fit commem. Oct. S. Joannis.

DIE XXIX. JUNII

COMMEMORATIO

OMNIUM Ss. APOSTOLORUM

Oratio.

DEUS, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti : da nobis eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo proficere. Per Dóminum.

Secreta.

GLÓRIAM, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam venerántes : quaesumus; ut eam, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum.

Postcommunio.

PERCÉPTIS, Dómine, sacraméntis, supplíciter exorámus : ut intercedéntibus beátis Apóstolis tuis, quae pro illórum veneránda gérimus passióne, nobis proficiant ad medélam. Per Dóminum.

DIE I. JULII

COMMEMORATIO

SANCTI MARTINI

VIENNEN. EPISC. CONF.

Fit post commem. Oct. Ss. Apostolorum.

Oratio.

PERPÉTUIS, quaesumus Dómine, sancti Martíni sacerdótis tui nos tuére praesídiis : et quanto fragilióres sumus, tanto magis necessáriis attólle suffrágiis. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

SANCTI Martíni sacerdótis tui festa recoléntes, preces offérimus, hóstias immolámus : praesta Dómine, quaesumus, ut cum praesídio temporáli, vitae nobis praebeant increménta perpétuae. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

PERPÉTUO, Dómine, favóre prosequere, quos réficis divíno mystério : et quos imbuísti caeléstibus institútis, intercedénte beáto Martíno pontífice, salutáribus comitáre soláciis. Per Dóminum.

DIE IV. JULII

SANCTI IRENAEI

LUGDUNENSIS EPISCOPI MARTYRIS

Missa ut in Suppl. pro aliquibus locis.

Et fit commem. Octavae Ss. Apostolorum.

Digitized by Google

DIE VII. JULII

COMMEMORATIO

SANCTI JUSTI

CONDATEN. MONACHI CONF.

Oratio.

BEÁTI Justi confessóris tui, Dómine, nos tuére praesídiis : ut cujus festum ánnua devotióne recólimus, ejus intercessiónibus ab ómnibus adversitátibus eruámur. Per.

Secreta.

PRAESTA nobis, quaesumus omnípotens Deus : ut nostrae humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre sanctórum, et nos córpore páriter et mente purificet. Per.

Postcommunio.

QUAESUMUS omnípotens Deus : ut qui caeléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Justo confessóre tuo, per haec contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

DIE XIV. JULII

COMMEMORATIO

SANCTI PHOCAE

EPISC. MART.

Oratio.

PROPITIÁRE, quaesumus Dómine, nobis fámulis tuis per sancti Phocae mártyris tui atque pontíficis mérita gloriósa : ut ejus pia intercessióne, ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Secreta.

MUNÉRIBUS, Dómine, te magnificámus oblátis : quibus in sollemnitáte sancti Phocae nobis gáudia supérna concílies, et patrocínia sempitérna largiáris. Per Dóminum.

Postcommunio.

SANCTI Phocae mártyris tui atque pontíficis, Dómine, précibus confidéntes : quaesumus cleméntiam tuam; ut per ea quae súmpsimus, aetérna remédia capiámus. Per Dóminum.

DIE XXX. JULII

SANCTI GERMANI

AUTISSIODOREN. EPISC. CONF.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont., cum Orationibus seq.

Oratio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus : ut beatíssimi Germáni antístitis, cujus exémpla mirámur et cólimus, etsi aequáre factis non póssumus, saltem vestígia sequi, et fidem nobis contíngat imitári. Per Dóminum.

Secreta.

SÚSCIPE Dómine, intercedénte beáto Germáno pontífice, sacrifícium cujus te voluísti dignánter immolatióne placári : et praesta, ut hujus operatióne mundáti, beneplácitum tibi nostrae mentis offerámus affectum. Per Dóminum.

Postcommunio.

GRÁTIAM tuam nobis Dómine, beáti sacerdótis tui Germáni suffrágiis, semper accúmulet divíni participátio sacraménti : et sua nos virtúte mundándo, tanti múneris capáces efficiat. Per Dóminum.

DIE I. AUGUSTI

COMMEMORATIO

SANCTI VERI I.

VIENNEN. EPISC. CONF.

Oratio.

PROSINT nobis, quaesumus Dómine, sancti Veri sacerdótis tui continuáta suffrágia : ut quae nostris non póssumus oratiónibus obtinére, placéntium tibi précibus assequámur. Per Dóminum.

Digitized by Google

Secreta.

ADÉSTO Deus noster fámulis tuis, et oblatiónes nostras sanctórum tuórum placatiónibus propitiátus inténde : ut quod nostra fidúcia non merétur, eórum pia supplicátio reddat accéptum. Per Dóminum.

Postcommunio.

PRÓTEGE Dómine plebem tuam, et sancti Veri sacerdótis tui patrocínio intérius exteriúsque purífica : ut per haec quae divíno sacrifício gustavérunt, et méntium salútem mereántur et córporum. Per Dóminum.

DIE IX. AUGUSTI

Ss. MACHABAEORUM

MARTYRUM

Introitus. Ps. 84.

LOQUÉTUR Dóminus pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertúntur ad ipsum. Ps. ibid. Benedixísti Dómine terram tuam : avertísti captivitátem Jacob. ℣. Glória Patri.

Oratio.

FRATÉRNA nos Dómine mártyrum tuórum coróna laetificet : quae et fídei nostrae praebeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

Et fit commem. Vigiliae S. Laurentii ac S. Romani Mart. ut in Missali.

Léctio libri Machabaeórum.

2. Mach. 7.

IN diébus illis : Supra modum mater mirábilis et bonórum memória digna, quae pereúntes septem fílios sub uníus diéi témpore conspíciens, bono ánimo ferébat propter spem quam in Deum habébat : síngulos illórum hortabátur voce pátria fórtiter, repléta sapiéntia; et femíneae cogitatióni masculínum ánimum ínserens, dixit ad eos : Néscio quáliter in útero meo apparuístis : neque enim ego spíritum et ánimam donávi vobis et vitam, et singulórum membra non ego ipsa compégi : sed enim mundi Creátor, qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit oríginem, et spíritum vobis íterum cum misericórdia reddet et vitam, sicut nunc vosmetípsos despícitis propter leges ejus.

Graduale. Ps. 132. Ecce quam bonum et quam jucúndum, habitáre fratres in unum! ℣. Mandávit Dóminus benedictiónem, et vitam usque in saeculum.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 78. Víndica Dómine sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est super terram. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Atténdite a ferménto pharisaeórum, quod est hypócrisis. Nihil áutem opértum est, quod non revelétur : neque abscónditum, quod non sciátur. Quóniam quae in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur : et quod in áurem locúti estis in cubículis, praedicábitur in tectis. Dico áutem vobis amícis meis : Ne terreámini ab his qui occídunt corpus, et post haec non habent ámplius quid fáciant. Osténdam áutem vobis quem timeátis : timéte eum, qui postquam occíderit, habet potestátem míttere in gehénnam. Ita dico vobis : hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio? et unus

Digitized by Google

ex illis non est in oblivióne coram Deo. Sed et capílli cápitis vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére : multis passéribus pluris estis vos. Dico áutem vobis : Omnis quicúmque conféssus fúerit me coram homínibus, et Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei.

Offertorium. Sap. 3. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllae in arundinéto discúrrent : judicábunt gentes, et regnábunt in aetérnum, allelúia.

Secreta.

MYSTÉRIA tua Dómine, pro sanctórum mártyrum tuórum honóre, devóta mente tractémus : quibus et praesídium nobis crescat, et gáudium. Per Dóminum.

Communio. Ps. 123. Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium.

Postcommunio.

PRAESTA, quǽsumus omnípotens Deus : ut quorum memóriam sacraménti participatióne recólimus, fidem quoque proficiéndo sectémur. Per Dóminum.

DIE XI. AUGUSTI

SANCTI SEVERI

VIENNEN. PRESB. CONF.

Introitus. Ps. 36.

JUSTUS non conturbábitur, quia Dóminus firmat manum ejus : tota die miserétur et cómmodat, et semen ejus in benedictióne erit : in aetérnum conservábitur. Ps. ibid. Noli aemulári in malignántibus : neque zelávéris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

ERUDI, quaesumus Dómine, beáti Sevéri confessóris tui précibus exorátus, pópulum tuum spiritálibus instruméntis : et cujus praestas sollémnia celebráre, fac ejúsdem et consideratióne devótum, et defensióne secúrum. Per Dóminum.

Et fit commem. Oct. S. Laurentii ac Ss. Tiburtii et Susannae Mart. ut in Missali.

Deinde S. Philumenae Virginis Martyris.

Oratio.

DEUS, qui inter cétera poténtiae tuae mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti : concéde propítius ; ut qui beátae Philuménae vírginis et mártyris tuae natalícia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiae. Sap. 10. b.

JUSTUM dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fráude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Haec vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum : descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos qui eum deprimébant : et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem aetérnam, Dóminus Deus noster.

Graduale. Ps. 63. Os justi me-

Digitized by Google

ditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus : et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúia, allelúia. ℣. Sap. 10. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10.

In illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos : et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa, operárii áutem páuci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite : ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta : et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite : Pax huic dómui. Et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra : sin áutem, ad vos revertétur. In eádem áutem domo manéte, edéntes et bibéntes quae apud illos sunt : dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quae apponúntur vobis, et curáte infírmos qui in illa sunt, et dícite illis : Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso : et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Múnera, quaesumus Dómine, tuae plebis, intercedénte beáto confessóre tuo Sevéro, propitiátus assúme : ut quae fídei pietáte profiténtur, sacraméntis caeléstibus apprehéndant. Per Dóminum.

Et fit commem. Oct. S. Laurentii ac Ss. Tiburtii et Susannae.

Deinde S. Philumenae.

Secreta.

Súscipe Dómine múnera, quae in beátae Philuménae vírginis et mártyris tuae sollemnitáte deférimus : cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Communio. Joan. 15. Ego vos elégi de mundo, ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat.

Postcommunio.

Vísita, quaesumus Dómine, famíliam tuam, et corda sacris dicáta mystériis pervígili tuére pietáte : ut beáti Sevéri confessóris tui exémplo et précibus remédia salútis aetérnae, quae te miseránte percípiunt, te protegénte custódiant. Per.

Et fit commem. Oct. ac Ss. Tiburtii et Susannae.

Deinde S. Philumenae.

Postcommunio.

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria : et intercedénte beáta Philuména vírgine et mártyre tua, sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum.

DIE XVIII. AUGUSTI

SANCTI ROCHI

CONFESSORIS

Missa. Justus. de Comm. Conf. non Pont. 2° loco, praeter seq.

Oratio.

Pópulum tuum, quaesumus Dómine, contínua pietáte custódi : et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimae et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

Digitized by Google

Et fit commem. Oct. Assumpt. ac S. Agapiti Mart. ut in Missali.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 9. et 10.

In illo témpore : Circuíbat Jesus omnes civitátes et castélla, docens in synagógis eórum, et praedicans Evangélium regni, et curans omnem languórem et omnem infirmitátem. Videns áutem turbas, misértus est eis, quia erant vexáti et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Tunc dicit discípulis suis : Messis quidem multa, operárii áutem páuci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Et convocátis duódecim discípulis suis, dedit illis potestátem spirítuum immundórum, ut ejícerent eos, et curárent omnem languórem et omnem infirmitátem.

DIE XIX. AUGUSTI

SANCTI DONATI

PRESB. CONF.

Missa. Justus. de Comm. Conf. non Pont. 2° loco, praeter seq. Oratio.

Fac nos, quaesumus Dómine, beáti confessóris tui Donáti digne sollémnia celebráre : qui largitátis tuae praevéntus múnere, laudábilis vitae cursum glorióso fine conclúsit. Per Dóminum.

Et fit commem. Oct. Assumpt. Tertia Orat. de Spiritu sancto.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10. c.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Qui vos áudit, me áudit : et qui vos spernit, me spernit. Qui áutem me spernit, spernit eum qui misit me. Revérsi sunt áutem septuagínta duo cum gáudio, dicéntes : Dómine, étiam daemónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. Et ait illis : Vidébam sátanam sicut fulgur de caelo cadéntem. Ecce dedi vobis potestátem calcándi supra serpéntes et scorpiónes, et super omnem virtútem inimíci : et nihil vobis nocébit. Verúmtamen in hoc nolíte gaudére, quia spíritus vobis subjiciúntur : gaudéte áutem, quod nómina vestra scripta sunt in caelis.

DIE XXVI. AUGUSTI

SANCTI CÆSARII

ARELATEN. EPISC. CONF.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont., praeter Orat. seq.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua beáti Caesárii confessóris tui atque pontíficis sollémnia frequentáre concédis : praesta, quaesumus, ut quod ille nostris áuribus excellénter infúdit, intelligéntiae competéntis eruditióne capiámus. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Zephyrini Pap. Mart.

DOM. POST OCT. ASSUMPTIONIS

PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Ut in Supplem. pro aliquibus locis.

Et fit commem. Dom. occur.

DIE I. SEPTEMBRIS

SANCTI JULIANI

VIENNEN. MART.

Introitus. Ps. 36.

ustus non conturbábitur, quia Dóminus firmat manum ejus : tota die miserétur et cómmodat, et semen ejus in benedictióne erit : in aetérnum

Digitized by Google

conservábitur. Ps. ibid. Noli aemulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

ADÉSTO Dómine supplicatiónibus nostris: et beáti Juliáni mártyris tui intercessiónibus confidéntes, nec minis adversántium, nec ullo perturbémur incúrsu. Per Dñm.

Et fit commem. S. Aegidii Abbat. ac Ss. duodecim Fratrum Mart. ut in Missali.

Léctio libri Sapiéntiae.

Eccli. 14. et 15.

BEÁTUS vir qui in sapiéntia sua morábitur, et qui in justítia sua meditábitur, et in sensu cogitábit circumspectiónem Dei. Cibábit illum pane vitae et intelléctus, et aqua sapiéntiae salutáris potábit illum: et firmábitur in illo, et non flectétur: et exaltábit illum apud próximos suos, et nómine aetérno hereditábit illum Dóminus Deus noster.

Graduale. Ps. 8. Glória et honóre coronásti eum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. ℣. Quóniam eleváta est magnificéntia tua super caelos, Deus.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 63. Laetábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 10. b.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Amen dico vobis, non consummábitis civitátes Israël, donec véniat Fílius hóminis. Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Súfficit discípulo, ut sit sicut magíster ejus: et servo, sicut dóminus ejus. Si patremfamílias Beélzebub vocavérunt, quanto magis domésticos ejus? Ne ergo timuéritis eos. Nihil enim est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in áure audítis, praedicáte super tecta. Et nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam áutem non possunt occídere. Sed pótius timéte eum qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúia.

Secreta.

INTERCÉSSIO, quaesumus Dómine, mártyris tui Juliáni múnera nostra comméndet: nosque ejus venerátio tuae majestáti reddat accéptos. Per.

Communio. Matth. 16. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio.

SUMÉNTES, Dómine, gáudia sempitérna de participatióne sacraménti et festivitáte sancti mártyris Juliáni, supplíciter deprecámur: ut quae sédula servitúte, donánte te, gérimus; dignis sénsibus tuo múnere capiámus. Per Dóminum.

DIE III. SEPTEMBRIS

SANCTI JUSTI

LUGDUNENSIS EPISC. CONF.

Introitus. Ps. 91.

JUSTUS ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Ps. ibid. Bonum est confitéri

Digitized by Google

Dómino : et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri.

Oratio.

CONCÉDE, quaesumus Dómine, beáti sacerdótis et confessóris tui Justi nos deprecatióne muníri : ut et temporáliter his patrocíniis foveámur, et spirituáliter praeparémur aetérnis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiae. Eccli. 39.

JUSTUS cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiae replébit illum : et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiae suae, et in oratióne confitébitur Dómino : et ipse díriget consílium ejus et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur. Ipse palam fáciet disciplínam doctrínae suae, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in saeculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et láudem ejus enuntiábit ecclésia.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit : sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 36. Justus non conturbábitur, quia Dóminus firmat manum ejus. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii áutem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et profécfus est statim. Abiit áutem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui áutem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens : Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone et fidélis, quia super páuca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium dómini tui. Accéssit áutem et qui duo talénta accéperat, et ait : Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone et fidélis, quia super páuca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium dómini tui.

Offertorium. Ps. 20. In virtúte tua, Dómine, laetábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter : desidérium ánimae ejus tribuísti ei.

Secreta.

SANCTI tui, quaesumus Dómine, nos ubíque laetíficent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Communio. Ps. 63. Laetábitur justus in Dómino, et sperábit in eo : et laudabúntur omnes recti corde.

Digitized by Google

Postcommunio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus : ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Justo confessóre tuo atque pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

DIE VII. SEPTEMBRIS

SANCTI STEPHANI

DIENSIS EPISC. CONF.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2° loco, praeter Orat. seq.

Oratio.

MAJESTÁTEM tuam, quaesumus Dómine, beátus Stéphanus conféssor tuus et póntifex pro nobis exóret : ut quod nostris méritis non valémus, ejus précibus consequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

DIE XIII. SEPTEMBRIS

SANCTI AMATI

ABBATIS

Missa. Os justi. de Comm. Abbat., praeter seq.

Oratio.

SPÍRITUM nobis, Dómine, paeniténtiae salutáris obtíneat beáti Amáti abbátis orátio, qui crucis mortificatiónem júgiter in suo córpore pro tui nóminis honóre portávit. Per Dóminum.

Et fit commem. Oct. Nativitatis B. M. V.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 11. d.

IN illo témpore : Respóndens Jesus, dixit : Confíteor tibi Pater, Dómine caeli et terrae, quia abscondísti haec a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Digitized by Google

DIE XXII. SEPTEMBRIS

Ss. MAURICII ET SOC.

MARTYRUM

Introitus.



AUDEÁMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Acaunénsium mártyrum : de quorum passióne gáudent ángeli, et colláudant Fílium Dei. Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino : rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio.

ANNUE, quaesumus omnípotens Deus : ut sanctórum mártyrum tuórum Maurícii et sociórum ejus nos laetíficet festíva sollémnitas; ut quorum suffrágiis nítimur, eórum natalíciis gloriémur. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 7. c.

IN diébus illis : Respóndit unus de senióribus, et dixit mihi : Hi qui amícti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venérunt? Et dixi illi : Dómine mi, tu scis. Et dixit mihi : Hi sunt qui venérunt de tribulatióne magna : et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus : et qui sedet in throno, habitábit super illos. Non esúrient, neque sítient ámplius: nec cadet super illos sol, neque ullus aestus : quóniam Agnus, qui in médio throni est, reget illos, et dedúcet eos ad vitae fontes aquárum : et abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum.

Graduale. Ps. 32. Beáta gens cujus est Dóminus Deus eórum : pópulus quem elégit Dóminus in hereditátem sibi. ℣. Verbo Dómini caeli firmáti sunt : et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Allelúia, allelúia. ℣. Sap. 3. Judicábunt sancti natiónes, et dominabúntur pópulis : et regnábit illórum rex in aetérnum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 21. b.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum audiéritis proelia et seditiónes, nolíte terréri : opórtet primum haec fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis : Sur-

Digitized by Google

get gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terraemótus magni erunt per loca, et pestiléntiae, et fames, terrorésque de caelo, et signa magna erunt. Sed ante haec ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur, tradéntes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et praesides, propter nomen meum: contínget áutem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non praemeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini áutem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte afficient ex vobis: et éritis ódio ómnibus, propter nomen meum: et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suae: benedíctus Deus, allelúia.

Secreta.

RÉSPICE, quaesumus Dómine, múnera, quae in sanctórum mártyrum tuórum Maurícii et sociórum ejus commemoratióne deférimus: et praesta, ut quorum honóre sunt grata, eórum nobis fiant intercessióne perpétua. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ps. 123. Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium.

Postcommunio.

CAELÉSTIBUS refécti sacraméntis et gáudiis, súpplices te rogámus Dómine: ut quorum gloriámur triúmphis, protegámur auxíliis. Per Dóminum.

DIE XXV. SEPTEMBRIS

SANCTI FERREOLI

VIENNEN. MART.

Introitus. Ps. 36.

JUSTUS non conturbábitur, quia Dóminus firmat manum ejus: tota die miserétur et cómmodat, et semen ejus in benedictióne erit: in aetérnum conservábitur. Ps. ibid. Noli aemulári in malignántibus: neque zelávéris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

SANCTI Ferréoli mártyris tui tribue nos, quaesumus Dómine, supplicatiónibus confovéri: ut cujus triúmphum ánnuo celebrámus obséquio, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Léctio libri Sapiéntiae.

Eccli. 14. et 15.

BEÁTUS vir qui in sapiéntia sua morábitur, et qui in justítia sua meditábitur, et in sensu cogitábit circumspectiónem Dei. Cibábit illum pane vitae et intelléctus, et aqua sapiéntiae salutáris potábit illum: et firmábitur in illo, et non flectétur: et exaltábit illum apud próximos suos, et nómine aetérno hereditábit illum Dóminus Deus noster.

Graduale. Ps. 8. Glória et honóre coronásti eum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. ℣. Quóniam eleváta est magnificéntia tua super caelos, Deus.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 63. Laetábitur justus in Dómino, et sperábit

Digitized by Google

in eo : et laudabúntur omnes recti corde. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 10. d.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram : non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, et fíliam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suam : et inimíci hóminis, doméstici ejus. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus : et qui amat fílium aut fíliam super me, non est me dignus. Et qui non áccipit crucem suam et séquitur me, non est me dignus. Qui invénit ánimam suam, perdet illam : et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Qui récipit vos, me récipit : et qui me récipit, récipit eum qui me misit. Qui récipit prophétam in nómine prophétae, mercédem prophétae accípiet : et qui récipit justum in nómine justi, mercédem justi accípiet. Et quicúmque potum déderit uni ex mínimis istis cálicem aquae frígidae tantum in nómine discípuli, amen dico vobis, non perdet mercédem suam.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso : vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúia.

Secreta.

Pro beáti Ferréoli mártyris passióne veneránda hóstias tibi Dómine supplíciter immolámus, ejus oratióne placitúras, pro cujus méritis offerúntur. Per Dóminum.

Communio. Matth. 16. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio.

Benedíctio tua, Deus, ímpleat corda fidélium : talésque perfíciat qui et mártyrum honorífícent passiónes, et remédia salútis aetérnae eísdem patrocinántibus assequántur. Per Dóminum.

DIE XXVI. SEPTEMBRIS

S. THOMAE DE VILLANOVA

EPISC. CONF.

Ut in Missali die 22.

Et fit commem. Ss. Cypriani et Justinae Mart.

DIE I. OCTOBRIS

SANCTI REMIGII

REMENSIS EPISC. CONF.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont., praeter Orat. seq.

Oratio.

Da nobis, quaesumus Dómine Deus noster, beáti Remígii sacerdótis tui intercessiónibus sublevári : ut per quos Ecclésiae tuae supérni múneris rudiménta donásti, per eos subsídia perpétuae salútis impéndas. Per Dóminum.

DIE III. OCTOBRIS

SANCTI ISMIDONIS

DIENSIS EPISC. CONF.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2° loco, praeter Orat. seq.

Oratio.

Majestátem tuam, Dómine, húmili prece depóscimus : ut qui beáti Ismidónis confessóris tui atque pontíficis memóriam venerámur, ejus méritis et précibus nostrórum mereámur cónsequi véniam delictórum. Per Dóminum.

Digitized by Google

Secreta.

SINT tibi plácita, Dómine, pópuli tui votíva sacrifícia : et quod fragílitas nostra non ímpetrat, sancti pontíficis supplicátio, pro cujus glória deferúntur, obtíneat. Per.

Postcommunio.

BEÁTI Ismidónis pontíficis tui, Dómine, suffrágiis exorátus : percépta nos sacraménti tui virtúte defénde. Per Dóminum.

DIE V. OCTOBRIS

SANCTI APOLLINARIS

VALENTINEN. EPISC. CONF.

Introitus. Ps. 131.

SACERDÓTES ejus índuam salutári : et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. Ps. ibid. Meménto Dómine David : et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

CONCÉDE, quaesumus Dómine, fidélibus tuis digne sancti Apollináris sacerdótis tui celebráre sollémnia : ut ejus et hic experiántur auxília, et aetérnis efféctibus apprehéndant. Per Dóminum.

Et fit commem. Ss. Placidi et soc. Mart.

Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum mártyrum tuórum Plácidi et sociórum ejus natalícia cólere : da nobis in aetérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Léctio Epístolae beáti Páuli Apóstoli ad Hebraeos. Hebr. 5.

FRATRES : Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis quae sunt ad Deum, ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis : qui condolére possit iis qui ignórant et errant : quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte : et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit ut póntifex fíeret : sed qui locútus est ad eum : Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit : Tu es sacérdos in aetérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

Graduale. Ps. 10. Jurávit Dóminus, et non paenitébit eum : Tu es sacérdos in aetérnum, secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede a dextris meis.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 88. Dispósui testaméntum eléctis meis : jurávi David servo meo. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 24. d.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis qua hora dóminus vester ventúrus sit. Illud áutem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti : quia qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Digitized by Google

Offertorium. Ps. 88. **Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.**

Secreta.

RÉSPICE, quaesumus Dómine, múnera quae pro beáti Apollináris sacerdótis tui commemoratióne deférimus : supplíciter exorántes, ut ejus interventiónibus adjuvémur, pro cujus méritis immolántur. Per Dóminum.

Pro Ss. Placido et soc.

Secreta.

MÚNERA tibi Dómine nostrae devotiónis offérimus : quae et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. **Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem : amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.**

Postcommunio.

SANCTA tua Dómine in beáti Apollináris sacerdótis tui natalíciis, quae recólimus, nos refóveant : quibus et júgiter satiámur, et semper desiderámus expléri. Per Dóminum.

Pro Ss. Placido et soc.

Postcommunio.

PRAESTA nobis, quaesumus Dómine, intercedéntibus sanctis martýribus tuis Plácido et sóciis ejus : ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

DIE VI. OCTOBRIS

SANCTI BRUNONIS

CONFESSORIS

Missa. **Os justi.** de Comm. Conf. non Pont., praeter seq.

Oratio.

SANCTI Brunónis confessóris tui, quaesumus Dómine, intercessiónibus adjuvémur : ut qui majestátem tuam gráviter delinquéndo offéndimus, ejus méritis et précibus nostrórum delictórum véniam consequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Secreta.

SACRÁNDUM tibi, Dómine, munus offérimus, majestátem tuam supplíciter exorántes : ut per intercessiónem et mérita beáti Brunónis confessóris tui, a peccátis ómnibus absolúti, accéptum tibi sacrifícium offérre valeámus. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

PER haec sancta quae súmpsimus, Dómine Deus, pium in nobis accénde sanctae religiónis affectum : ut sancti Brunónis confessóris tui vestígia insequéntes, ad te, qui via, véritas et vita es, pervenire mereámur. Qui vivis et regnas.

DIE XVI. OCTOBRIS

TRANSLATIO

SANCTI ANTONII

ABBATIS

Missa ut supra in festo S. Antonii, 17. januarii, p. 9, praeter Orat. seq.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui sanctum beáti Antónii corpus tam felíciter transferéndum curásti : concéde supplícibus tuis; ut cujus memóriam pio honóre proséquimur, ipsíus patrocínio donis caelestibus te largiénte donémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Digitized by Google

DIE XVII. OCTOBRIS

B. MARGARITAE MARIAE ALACOQUE

VIRGINIS

Ut in Supplem. pro aliq. locis.

DIE XXI. OCTOBRIS

Ss. URSULAE ET SOCIARUM

VIRG. MART.

Ut in Supplemento pro aliquibus locis 1° loco.

Et fit commem. S. Hilarionis Abbat.

DIE XXII. OCTOBRIS

SANCTAE HEDWIGIS

VIDUAE

Ut in Missali die 17.

DIE XXIV. OCTOBRIS

SANCTI RAPHAELIS

ARCHANGELI

Ut in Supplem. pro aliq. locis.

DIE XXIX. OCTOBRIS

SANCTI THEUDARII

ABBATIS

Missa. Os justi. de Comm. Abbat., praeter seq.

Oratio.

PÉRFICE, quaesumus Dómine, pium in nobis sanctae religiónis affé-ctum : et ad obtinéndam tuae grátiae largitátem, beátus Theudárius abbas pro nobis semper apud te et méritis et précibus intercédat. Per Dñm.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 11. d.

IN illo témpore : Respóndens Jesus, dixit : Confíteor tibi Pater, Dómine caeli et terrae, quia abscondísti haec a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater : quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Offertorium. Ps. 20. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei Dómine, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta.

SACRIFÍCIUM tibi, Dómine, láudis offérimus pro sancti celebritáte Theudárii : ut propitiatiónem tuam, quam nostris opéribus non merémur, pii suffragatóris intercessiónibus assequámur. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam : ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

INTERCEDÉNTE beáto abbáte Theudário, plebi tuae Dómine praesta subsídium : ut ab ómnibus nóxiis expedíta, cuncta sibi profutúra percípiat. Per Dóminum.

DOM. IV. OCTOBRIS

PATROCINII B. M. V.

Missa. Salve sancta parens. ut in Missis votivis B. M. V. a Pentecoste usque ad Adventum, cum commem. Dom. occurr.

Et dic. Credo. et Praef. de B. Maria. Et te in Festivitáte.

Et in fine Missae legitur Evang. Dominicae.

Digitized by Google



DOM. INFRA OCT. OMNIUM SANCTORUM

Ss. RELIQUIARUM

Introitus. Ps. 49.



ONGREGÁTE illi sanctos ejus, qui ordinavérunt testaméntum ejus super sacrifícia : et annuntiábunt caeli justítiam ejus, quia Deus tuus ego sum. Ps. ibid. Deus deórum Dóminus locútus est : et vocávit terram. ℣. Glória Patri.

Oratio.

PROPITIÁRE, quaesumus Dómine, nobis fámulis tuis per sanctórum tuórum, quorum hic relíquiae requiéscunt et patrocínia venerámur, mérita gloriósa : ut eórum pia intercessióne, ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit commem. Dom.

Léctio libri Sapiéntiae. Sap. 3.

JUSTÓRUM ánimae in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori : et aestimáta est afflíctio éxitus illórum : et quod a nobis est iter, extermínium : illi áutem sunt in pace. Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In páucis vexáti, in multis bene disponéntur : quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam áurum in fornáce probávit illos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllae in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Graduale. Ps. 149. Exsultábunt sancti in glória : laetabúntur in cubílibus suis. ℣. Cantáte Dómino cánticum novum : laus ejus in ecclésia sanctórum.

Allelúia, allelúia. ℣. Sap. 3. Justórum ánimae in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiae. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 20. c.

IN illo témpore : Accessérunt quidam sadducaeórum, qui negant esse resurrectiónem, et interrogavérunt Jesum, dicéntes : Magíster,

80
Digitized by Google

Móyses scripsit nobis : Si frater alicújus mórtuus fúerit habens uxórem, et hic sine líberis fúerit, ut accípiat eam frater ejus uxórem, et súscitet semen fratri suo. Septem ergo fratres erant : et primus accépit uxórem, et mórtuus est sine fíliis. Et sequens accépit illam, et ipse mórtuus est sine fílio. Et tértius accépit illam; simíliter et omnes septem : et non reliquérunt semen, et mórtui sunt. Novíssime ómnium mórtua est et múlier. In resurrectióne ergo, cujus eórum erit uxor? síquidem septem habuérunt eam uxórem. Et ait illis Jesus : Fílii hujus saeculi nubunt, et tradúntur ad núptias : illi vero qui digni habebúntur saeculo illo et resurrectióne ex mórtuis, neque nubent, neque ducent uxóres : neque enim ultra mori póterunt : aequáles enim angelis sunt, et fílii sunt Dei, cum sint fílii resurrectiónis. Quia vero resúrgant mórtui, et Móyses osténdit secus rubum, sicut dicit Dóminum Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob. Deus áutem non est mortuórum, sed vivórum : omnes enim vivunt ei.

Offertorium. Sap. 3. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllae in arundinéto discúrrent : judicábunt gentes, et regnábunt in aetérnum, allelúia.

Secreta.

IMPLORÁMUS, Dómine, cleméntiam tuam : ut sanctórum tuórum quorum relíquias venerámur, suffragántibus méritis, hóstia, quam offérimus, nostrórum sit expiátio delictórum. Per Dóminum.

Communio. Ps. 149. Exsultábunt sancti in glória, laetabúntur in cubílibus suis : exaltatiónes Dei in fáucibus eórum.

Postcommunio.

MULTÍPLICA super nos, quaesumus Dómine, per haec sancta quae súmpsimus, misericórdiam tuam : ut sicut in tuórum sollemnitáte sanctórum, quorum relíquias cólimus, pia devotióne laetámur; ita eórum perpétua societáte, te largiénte, fruámur. Per Dóminum.

DIE II. NOVEMBRIS

COMMEMORATIO

SANCTI GEORGII

VIENNEN. EPISC. CONF.

Oratio.

EXÁUDI Dómine pópulum tuum tota tibi mente subjéctum, et beáti Geórgii pontíficis tui supplicatióne custódi : ut córpore et corde protéctus, quod pie credit áppetat, et quod juste sperat obtíneat. Per.

Secreta.

SANCTI tui, quaesumus Dómine, nos ubíque laetíficent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus : ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Geórgio confessóre tuo atque pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

DIE III. NOVEMBRIS

SANCTI DOMNINI

GRATIANOPOLIT. PRIMI EPISC. CONF.

Introitus. Deut. 28.

LÉGIT te Dóminus sibi in sacerdótem magnum : et apériens thesáurum suum óptimum, abundáre te fáciet ómnibus bonis. Ps. 19. Exáudiat te Dóminus

Digitized by Google

in die tribulatiónis : prótegat te nomen Dei Jacob. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, cujus cúltui deputátur quicquid sanctis tuis honóris impénditur : tríbue, quaesumus, ut sancti Domníni sacerdótis tui, cujus veneratóres sumus, imitatóres esse mereámur. Per Dóminum.

Et fit commem. Octavae.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui nos ómnium sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quaesumus; ut desideratam nobis tuae propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus largiáris.

Postea S. Domnini Viennensis Episc. Conf.

Oratio.

EXSÚLTET, quaesumus Dómine, pópulus tuus in sancti sacerdótis tui commemoratióne Domníni : et cujus votívo laetátur offício, suffrágio relevétur optáto. Per Dóminum.

Léctio Epístolae beáti Páuli Apóstoli ad Hebraeos. Hebr. 13. b.

FRATRES : Mementóte praepositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri, et hódie : ipse et in saecula. Doctrínis váriis et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis, quae non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in sancta per pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam láudis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiae áutem et communiónis nolíte oblivísci : tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Oboedíte praepósitis vestris, et subjacéte eis. Ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

Graduale. Ps. 19. Memor sit Dóminus omnis sacrifícii tui, et holocáustum tuum pingue fiat. ℣. Mittat tibi auxílium de sancto, et de Sion tueátur te.

Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 45. Státuit Dóminus beáto Domníno testaméntum aetérnum, et dedit illi sacerdótium magnum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 11. d.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nemo lucérnam accéndit et in abscóndito ponit, neque sub módio, sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur lumen vídeant. Lucérna córporis tui est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit : si áutem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósum erit. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, ténebrae sint. Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, et sicut lucérna fulgóris illuminábit te.

Digitized by Google

Offertorium. Ps. 88. **Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.**

Secreta.

ASCÉNDANT ad te Dómine preces nostrae : et tuórum vota fidélium, múnera supplíciter oblàta concílient; ut quod nostris opéribus non merémur, sancti Domníni nobis intercessióne donétur. Per Dóminum.

Pro commem. Octavae.

Secreta.

MÚNERA tibi Dómine nostrae devotiónis offérimus : quae et pro cunctórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur.

Pro S. Domnino Viennensi.

Secreta.

SANCTI tui, quaesumus Dómine, nos ubíque laetíficent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio. Matth. 25. **Euge serve bone et fidélis, quia super páuca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium dómini tui.**

Postcommunio.

VÉGETET nos Dómine semper et ínnovet, intercedénte beáto Domníno pontífice, tuae mensae sacra libátio : quae fragilitátem nostram et inter mundi tempestátes gubérnet et prótegat, et in portum perpétuae salútis indúcat. Per Dóminum.

Pro commem Octavae.

Postcommunio.

DA, quaesumus Dómine, fidélibus pópulis ómnium sanctórum semper veneratióne laetári : et eórum perpétua supplicatióne muníri.

Pro S. Domnino Viennensi.

Postcommunio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus : ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Domníno confessóre tuo atque pontífice, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum.

DIE VI. NOVEMBRIS

SANCTI LEONIANI

VIENNEN. ABBAT.

Missa. **Os justi.** de Comm. Abbat., praeter seq.

Oratio.

SIT Dómine, quaesumus, beátus Leoniánus abbas nostrae fragilitátis adjútor : ut pro nobis tibi súpplicans, copiósius audiátur. Per Dóminum.

Et fit commem. Octavae, ut supra, p. **51.**

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum.** Matth. 11. d.

IN illo témpore : Respóndens Jesus, dixit : Confíteor tibi Pater, Dómine caeli et terrae, quia abscondísti haec a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater : quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Offertorium. Ps. 20. **Desidérium ánimae ejus tribuísti ei Dómine, et voluntáte labiórum ejus non frau-**

Digitized by Google

dásti eum : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta.

MÚNERA súpplices, Dómine, tuis altáribus adhibémus : quantum de nostro mérito formidántes, tantum beáti Leoniáni, pro cujus sollémniis offerúntur, intercessióne confísi. Per Dóminum.

Commem. Oct., ut supra, p. 52.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam : ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

SIC nos, Dómine, grátia tua, quaesumus, semper exérceat : ut et divínis instáuret nostra corda mystériis, et sancti Leoniáni abbátis commemoratióne laetíficet. Per Dñm.

Commem. Oct., ut supra, p. 52.

DIE VII. NOVEMBRIS

SANCTI ANIANI

AURELIANENSIS EPISCOPI CONFESSORIS

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2° loco, praeter Orat. seq.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Aniáni confessóris tui atque pontíficis sollémnia gloriósa celebráre concédis : tríbue, quaesumus, ejus nos semper et benefíciis praeveníri, et oratiónibus adjuvári. Per Dóminum.

Et fit commem. Octavae.

DIE XII. NOVEMBRIS

COMMEMORATIO

SANCTI HESYCHII I.

VIENNEN. EPISC. CONF.

Oratio.

FAMÍLIAM tuam, quaesumus Dómine, beáti Hesýchii sacerdótis tui devóta tueántur obséquia : ut cujus méritis muníri confídimus, de ejus protectióne certa fide gaudeámus. (Per Dóminum.)

Secreta.

SANCTI tui, quaesumus Dómine, nos ubíque laetíficent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. (Per Dóminum.)

Postcommunio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus : ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Hesýchio confessóre tuo atque pontífice, benefícia potióra sumámus. (Per Dóminum.)

DIE XVI. NOVEMBRIS

SANCTI HUGONIS

LINCOLNIEN. EPISC. CONF.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont., praeter Orat. seq.

Oratio.

DEUS, qui beátum Hugónem confessórem tuum atque pontíficem eminéntia meritórum et claritáte signórum excellénter ornásti : concéde propítius, ut ejus exémpla nos próvocent, et virtútes illústrent. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Eucherii Lugdunen. Episc. Conf.

Oratio.

EXÁUDI Dómine preces nostras : et interveniénte beáto Euchério confessóre tuo atque pontífice, supplicatiónes nostras placátus inténde. Per Dóminum.

Secreta.

OBLÁTA tibi múnera, quaesumus Dómine, beátus Hugo confessor tuus et póntifex prosequátur : ut méritis ejus adjúti, per ea grátiam et glóriam consequámur. Per Dóminum.

Digitized by Google

Pro S. Eucherio. Secreta.

SANCTI tui, quaesumus Dómine, nos ubíque laetíficent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

NOSTRAE servitútis obséquia, quaesumus Dómine, beátus Hugo conféssor tuus et póntifex tibi reddat accépta : ne sacraménti caeléstis efféctum, reátus noster exclúdat a nobis. Per Dóminum.

Pro S. Eucherio. Postcommunio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus : ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Euchério confessóre tuo atque pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

DIE XVII. NOVEMBRIS

COMMEMORATIO

SANCTI NAMATII

VIENNEN. EPISC. CONF.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beáti Namátii confessóris tui atque pontíficis festivitáte laetíficas : da nobis, ejus interveniéntibus méritis, et perpétua protectióne muníri, et salutári gaudére proféctu. (Per Dóminum.)

Secreta.

SANCTI Namátii confessóris tui atque pontíficis, quaesumus Dómine, ánnua sollémnitas pietáti tuae nos reddat accéptos : ut per haec piae placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiae tuae dona conciliet. (Per Dóminum.)

Postcommunio.

DEUS, fidélium remunerátor animárum : praesta, ut beáti Namátii confessóris tui atque pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. (Per Dóminum.)

DIE XXVII. NOVEMBRIS

Ss. SEVERINI, EXSUPERII ET FELICIANI

VIENNENSIUM MARTYRUM

Introitus. Ps. 84.

LOQUÉTUR Dóminus pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertúntur ad ipsum. Ps. ibid. Benedixísti Dómine terram tuam : avertísti captivitátem Jacob. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui per gloriósa certámina ad immortáles triúmphos mártyres tuos Severínum, Exsupérium et Feliciánum extulísti : da córdibus nostris dignam pro eórum festivitáte laetítiam; ut quorum memóriam pio amóre ampléctimur, eórum apud te précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiae. Sap. 5. c.

JUSTI áutem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum, et cogitátio illórum apud Altíssimum. Ideo accípient regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini : quóniam déxtera sua teget eos, et bráchio sancto suo deféndet illos. Accípiet armatúram zelus illíus, et armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce justítiam, et accípiet pro gálea judícium certum. Sumet scutum inexpugnábile aequitátem.

Graduale. Ps. 88. Confitebúntur caeli mirabília tua, Dómine : étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. ℣. Misericórdias tuas, Dómine, in

Digitized by Google

aetérnum cantábo : in generatióne et progénie.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 67. Exsúltent justi in conspéctu Dei, et delecténtur in laetítia. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum. Matth. 24.

In illo témpore : Sedénte Jesu super montem Olivéti, accessérunt ad eum discípuli secréto, dicéntes : Dic nobis, quando haec erunt? et quod signum advéntus tui et consummatiónis saeculi? Et respóndens Jesus, dixit eis : Vidéte ne quis vos sedúcat. Multi enim vénient in nómine meo, dicéntes : Ego sum Christus : et multos sedúcent. Auditúri enim estis proelia, et opiniónes proeliórum. Vidéte ne turbémini : opórtet enim haec fíeri : sed nondum est finis. Consúrget enim gens in gentem, et regnum in regnum : et erunt pestiléntiae, et fames, et terraemótus per loca. Haec áutem ómnia, inítia sunt dolórum. Tunc tradent vos in tribulatiónem, et occídent vos : et éritis ódio ómnibus géntibus, propter nomen meum. Et tunc scandalizabúntur multi, et ínvicem tradent, et ódio habébunt ínvicem. Et multi pseudoprophétae surgent, et sedúcent multos. Et quóniam abundávit iníquitas, refrigéscet cáritas multórum. Qui áutem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

Offertorium. Ps. 31. Laetámini in Dómino, et exsultáte justi : et gloriámini omnes recti corde.

Secreta.

Hóstias altáribus tuis, Dómine, placatiónis impónimus : poténtiam tuam in sanctórum tuórum passiónibus honorándo, et per eos nobis implorándo véniam peccatórum. Per.

Communio. Joan. 15. Ego vos elégi de mundo, ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat.

Postcommunio.

Celebrátis, Dómine, quae pro mártyrum tuórum Severíni, Exsupérii et Feliciáni beáta passióne perégimus : ipsórum nobis, quaesumus, fiant intercessióne salutária, in quorum festivitáte sunt exsultánter impléta. Per Dóminum.

DIE XXIX. NOVEMBRIS

SANCTI SATURNINI

TOLOSANI EPISC. MART.

Introitus. Eccli. 45.

Tátuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum : ut sit illi sacerdótii dignitas in aetérnum. Ps. 131. Meménto Dómine David : et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Sancti Saturníni sacerdótis et mártyris tui, Dómine, recolénda sollémnitas : et de sacerdotálibus nos instruat, te miseránte, doctrínis; et de glória martýrii fóveat ubique suffrágiis. Per Dóminum.

Et fit commem. Feriae si celebretur in Adventu, Vigiliae S. Andreae ac S. Saturnini Rom. Mart. ut in Missali.

Léctio Epístolae beáti Petri Apóstoli. I. Petr. 4. c.

Caríssimi : Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriae ejus gaudeátis exsultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis : quóniam quod est honóris, glóriae et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super

Digitized by Google

vos requiéscit. Nemo áutem vestrum patiátur ut homicída, aut fur, aut malédicus, aut alienórum appetítor. Si áutem ut christiánus, non erubéscat: glorificet áutem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est ut incípiat judícium a domo Dei. Si áutem primum a nobis, quis finis eórum qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur, ímpius et peccátor ubi parébunt? Itaque, et hi qui patiúntur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri comméndent ánimas suas in benefáctis.

Graduale. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 109. Tu es sacérdos in aetérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 12. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet: si áutem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Súscipe Dómine múnera propitiátus obláta: quae majestáti tuae beátus Saturnínus sacérdos comméndet et martyr. Per Dóminum.

Communio. Ibid. Semel jurávi in sancto meo: semen ejus in aetérnum manébit: et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in aetérnum, et testis in caelo fidélis.

Postcommunio.

Beáti Saturníni sacerdótis et mártyris tui, Dómine, suffrágiis exorátus: percépta sacraménti tui nos virtúte defénde. Per Dóminum.

Digitized by Google

DIE XXV. DECEMBRIS

IN NATIVITATE DOMINI

ANTE MISSAM IN NOCTE

In choro ad Matutinum post lectionem ix. ante hymnum **Te Deum.** a Diacono parato ut in Missa, vel a Celebrante, eodem ritu quo Evangelium, sollemniter cantatur Genealogia Jesu Christi secundum Matthaeum, ut sequitur:



℣. Dómi-nus vo-bís-cum. ℟. Et cum spí-ri-tu tu - o. ℣. Ini-ti-um

sancti Evangé - li-i secúndum Matthae-um. ℟. Glóri - a ti-bi



Dómi-ne.



L I-BER genera-ti-ónis Jesu Christi, fí-li-i Da-vid, fí - li-i

Abra-ham. Abraham génu-it Isa-ac : Isa-ac áu-tem gé-nu-it



Ja-cob : Jacob áu - tem gé-nu-it Judam et fratres e-jus. Judas

Digitized by Google



áu-tem gé-nu-it Pha-res et Zaram de Tha-mar : Phares áu-tem



gé-nu-it Es-ron. Esron áutem gé-nu-it A-ram : A-ram áu-tem



gé-nu-it Amína-dab : Amínadab áu-tem gé-nu-it Na-ás-son.



Na-ásson áutem gé-nu-it Salmon : Salmon áu-tem gé-nu-it Bo-oz



de Ra-hab. Bo-oz áutem génu-it Obed ex Ruth : Obed áu-tem



gé-nu-it Jes-se : Jesse áu-tem gé-nu-it David regem. David áutem



rex gé-nu-it Salomónem ex e-a quae fu-it Urí-ae. Sálomon áu-tem



gé-nu-it Ró-bo-am. Róbo-am áutem génu-it Abí-am : Abí-as

Digitized by Google



áu-tem gé-nu-it A-sa : Asa áu - tem gé-nu-it Jósaphat. Jósaphat



áutem gé-nu-it Jo-ram : Joram áu-tem gé-nu-it Ozí - am. Ozí-as



áutem génu-it Jó-atham : Jó-atham áu-tem gé-nu-it A-chaz : Achaz



áu-tem gé-nu-it Ezechí - am. Ezechí-as áutem gé-nu-it Manás-sen :



Manásses áu-tem gé-nu-it A-mon. Amon áutem génu-it Josí - am :



Josí-as áu-tem gé-nu-it Jechoní-am et fratres ejus in transmigra-



ti-óne Baby-ló-nis. Et post transmigra-ti-ónem Babyló-nis Jecho-

ní-as génu-it Sa-láthi-el. Saláthi-el áu-tem gé-nu-it Zoróba-bel :

Digitized by Google



Zoróbabel áutem gé - nu - it Abi - ud : Abi - ud áu - tem gé - nu - it



El - í - a - cim. Elí - acim áutem génu - it A - zor : Azor áu - tem gé - nu - it



Sa - doc : Sadoc áu - tem gé - nu - it Achim. Achim áutem gé - nu - it



Eli - ud : Eli - ud áu - tem gé - nu - it Ele - á - zar. Ele - ázar áu - tem



gé - nu - it Ma - than : Mathan áu - tem gé - nu - it Ja - cob. Jacob áu - tem



gé - nu - it Joseph virum Marí - ae, de qua natus est Je - sus, qui



vocátur Christus.

Deinde Celebrans inchoat hymnum **Te Deum laudámus.**

Digitized by Google

BENEDICTIO CRUCIUM

IN AGRIS, VINEIS ALIISVE LOCIS ERIGENDARUM

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS

Approbata pro dioecesi Gratianopolitana, die 13 maii 1892.

℣. **Adjutórium nostrum in nómine Dómini.**

℟. **Qui fecit caelum et terram.**

Orémus.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, Pater totíus consolatiónis et pietátis, per unigéniti Fílii tui Dómini nostri acerbíssimae passiónis méritum, quam pro nobis peccatóribus in ligno crucis sustinére dignátus est, béne ✠ dic has cruces, quas tui fidéles in hortis, víneis, agris aliísve locis plantándas áfferunt, ut a praediis quibus defíxae fúerint, fragor absit grándinum, procélla túrbinum, ímpetus tempestátum, et omnis infestátio inimíci : quátenus eórum fructus ad maturitátem perdúcti, in tui nóminis honórem colligántur a sperántibus in virtúte sanctae crucis ejúsdem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi: Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculórum.

℟. **Amen.**

Deinde sacerdos cruces aspergat aqua benedicta.

Digitized by Google

INDULTA A S. SEDE DIOECESI GRATIANOPOLITANAE

A Sancta Sede Apostolica dioecesi Gratianopolitanae variis temporibus benigne indulta sunt quae sequuntur :

1° Ut festum Immaculatae Conceptionis B. M. V. in qualibet dioecesis ecclesia celebrari queat Dominica II. Adventus cum unica Missa sollemni ut in die, et cum plenaria indulgentia ab omnibus fidelibus paenitentibus et s. communione refectis quamcumque ecclesiam memorata Dominica visitantibus ibique juxta mentem Sanctae Sedis orantibus lucranda (Gregorius XVI, 10 jan. 1840).

2° Ut Apparitio imaginis B. M. V. de la Salette in omnibus dioecesis ecclesiis recoli valeat ipso Apparitionis die 19 septembris, vel sequenti Dominica, cum unica Missa sollemni et Vesperis ut in festis B. M. V., dummodo, quoad Missam sollemnem, non occurrat duplex 1. classis, et quoad Vesperas, qui ad Horas canonicas tenentur non omittant privatim recitare Vesperas officio diei respondentes. — Quod si vero magis libuerit memoriam hujus Apparitionis recolere cum integro officio et Missa, ut in festo Patrocinii ejusdem B. M. V., Sanctitas Sua benigne hoc indulget ritu dupl. maj. (Pius IX, 2 dec. 1852).

3° Ut in ecclesiis parochialibus dioecesis ter in qualibet hebdomada celebrari valeant cum cantu Missae de *Requiem*, dum officia occurrunt ritus duplicis; exclusis tamen a praesenti concessione duplicibus 1. et 2. classis, festis de praecepto servandis, Feriis, Vigiliis Octavisque privilegiatis (S. R. C., 27 apr. 1865).

4° Ut Episcopus nomine et auctoritate Sanctae Sedis tantummodo Parochis dioecesis suæ qui petierint, legitimamque petendi causam protulerint, tribuere valeat facultatem privatam recitationem Matutini cum Laudibus pridie anticipandi quacumque anni parte ab hora 2ª postmeridiana (S. R. C., 27 apr. 1865).

5° Ut idem Episcopus pro suo arbitrio permittere valeat in festis sanctorum quorum patrocinio vel titulo gloriantur Consociationes virorum, mulierum, puerorum et puellarum ejusdem condicionis vel artis, celebrationem Missae sollemnis vel in diebus propriis, vel in aliis sequentibus diebus quando in die propria occurrit vel Dominica, vel jejunium, vel nundinae et alia ejusmodi; cum ulteriori facultate ut quoties sanctus Patronus vel Titularis non sit descriptus in Martyrologio vel in Proprio Gratianopolitano, haec Missa assumi possit ex aliqua dioecesi, ubi ex concessione Sanctae Sedis illius festum agitur (S. R. C., 27 apr. 1865).

6° Ut Episcopus permittere possit nomine et auctoritate Sanctae Sedis ut iis in locis ubi sollemnitas Patroni, quae ad Dominicam insequentem transferenda est, ea Dominica ob impedimentum liturgicum vel alia gravi de causa haud possit celebrari, recoli valeat Dominica proxime antecedente (Leo XIII, 10 febr. 1881).

7° Ut ad usum dioeceseos extendatur propria (ut supra) formula benedictionis crucium in agris, vineis aliisve locis plantandarum, jam pro dioecesi Lingonensi approbata (S. R. C., 13 maii 1892).

8° Ut Missa sollemnis de Ss. Sacramento cantari valeat, occurrente licet officio ritus duplicis, in ecclesiis parochialibus in quibus festum Perpetuae Adorationis canonice institutum successive ex ordine peragi solet, exceptis tamen duplicibus 1. et 2. classis, itemque Dominicis privilegiatis 1. et 2. classis, necnon Feria IV. Cinerum, et II. III. IV. majoris hebdomadae, integris Octavis Epiphaniae, Paschatis et Pentecostes, ac demum Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes; addita Sequentia infra Octavam Corporis Christi (S. R. C., 28 jul. 1899).

9° Ut sollemnitas Ss. Cordis Jesu peragi valeat in sequenti Dominica cum unica Missa sollemni de Ss. Corde Jesu propria; dummodo non occurrat duplex 1. classis vel aliquod festum Domini, nec omittatur Missa conventualis vel parochialis officio diei respondens (S. R. C., 2 aug. 1899).

10° Ut, quotiescumque festum S. Vincentii Levitae Martyris infra hebdomadam occurrerit, unica Missa sollemnis more votivo de eodem sancto in ecclesia cathedrali cantari valeat Dominica proximius insequente, dummodo non occurrat duplex 1. classis, vel Dominica privilegiata (S. R. C., 29 aug. 1902).

11° Ut festum S. Hugonis Gratianopolitani Episcopi, Dominicae II. post Pascha affixum, transferre liceat in primam diem sequentem liberam juxta rubricas, quotiescumque ea Dominica impedita occurrerit (S. R. C., 29 aug. 1902).

12° Ut in Missis quae in duplicibus 1. aut 2. classis vel coram Ss. Sacramento publice exposito cantantur absque diacono et subdiacono, celebranti liceat turificationem adhibere (S. R. C., 2 sept. 1904).

13° Ut a sacerdotibus in festis ac sollemnitatibus Patronorum vel Titularium qui carent officio ac Missa propriis tum in Breviario ac Missali Romano, tum in Proprio dioeceseos, adhiberi valeant officia cum Missis propria quae pro aliqua dioecesi rite approbata fuerunt (S. R. C., 2 sept. 1904).

14° Ut sollemnitas Titularis ecclesiae in sequentem Dominicam transferri valeat ubi ejusmodi consuetudo vigeat, prouti indultum est quoad Patroni sollemnitatem (S. R. C., 2 sept. 1904).

15° Ut in Nativitate Domini ad Matutinum post lectionem ix. ante hymnum *Te Deum* in choro a diacono vel a celebrante cantari valeat Evangelium de Christi Genealogia secundum Matthaeum (S. R. C., 2 sept. 1904).

Digitized by Google

INDEX FESTORUM

DECEMBRIS

1 S. Eligii Noviomen. Episc. Conf. 5
4 Commem. S. Barbarae Virg. Mart. 5
5 S. Apri Presb. Conf. 5
10 Commem. S. Sindulfi Viennen. Episc. Conf. 7
17 S. Adonis Viennen. Episc. Conf. 7
25 Genealogia Christi secundum Matthaeum cum cantu. 57
26 Commem. Omnium Ss. Martyrum. 8

JANUARII

3 Commem. S. Florentii Viennen. Episc. Mart. et S. Genovefae Virg. 8
17 S. Antonii Abb. 9
19 S. Fergeoli Gratianopolit. Episc. Mart. . . 10
22 S. VINCENTII DIAC. MART., et Commem. S. Anastasii Mart. 12
23 S. Barnardi Viennen. Episc. Conf. 13
28 S. Amedei Lausannen. Episc. Conf. . . . 14
Dom. III. post Epiph. S. Familiae Jesu, Mariae, Joseph. 11
Dom. IV. post Epiph. Desponsatio B. M. V., et Commem. S. Joseph. 14

FEBRUARII

3 S. Clari Viennen. Abb. 15
12 S. Aviti Viennen. Episc. Conf. 16
13 B. Beatricis ab Ornacieu Virg. 17
14 S. Raymundi de Pennafort Conf. 17
17 B. Francisci Clet Presb. Mart. 17
22 Commem. S. Paschasii Viennen. Episc. Conf. 18
Fer. VI. post Cineres. Ss. Spineae Coronae D. N. J. C. 18
Fer. VI. post Dom. I. Quadrag. Ss. Lanceae et Clavorum D. N. J. C. 18
Fer. VI. post Dom. II. Quadrag. Ss. Sindonis D. N. J. C. 18
Fer. VI. post Dom. III. Quadrag. Ss. Quinque Vulnerum D. N. J. C. 18

MARTII

13 S. Eldradi Novalicien. Abb. 18
24 S. Gabrielis Archang. 19

APRILIS

1 S. Hugonis Bonaevallis Abb. 19
2 S. Francisci de Paula Conf. 20
17 S. Pantagathi Viennen. Episc. Conf. . . . 21
20 S. Joannis Valentinen. Episc. Conf. . . . 21
26 Commem. S. Clarentii Viennen. Episc. Conf. 22
Dom. II. post Pascha. S. HUGONIS GRATIANOPOLIT. EPISC. CONF. 23

MAII

1 Commem. S. Sigismundi Regis et soc. Mart. 25
5 Commem. S. Nicetii Viennen. Episc. Conf. 25
8 Commem. S. Dionysii Viennen. Episc. Conf. 25
11 S. Mamerti Viennen. Episc. Conf. 25
13 S. Arigii Vapincen. Episc. Conf. 27
14 S. Petri Tarentasien. Episc. Conf. 27
21 S. Theobaldi Viennen. Episc. Conf. . . . 27
23 S. Desiderii Viennen. Episc. Mart. 28
24 B. M. V. titulo Auxilium christianorum. . 29
Fer. VI. post Oct. Ss. Corporis Christi. SS. CORDIS JESU. 29

JUNII

2 Ss. Pothini Episc., Sancti Viennen. Diac., Blandinae Virg. et soc. Mart. 30
3 S. Clotildis Francorum Reginae Viduae. . 32
7 S. Cerati Gratianopolit. Episc. Conf. . . . 32
14 Commem. S. Aetherii Viennen. Episc. Conf. 33
16 S. Joannis Francisci Régis Conf. 33
27 S. Anthelmi Bellicen. Episc. Conf. 34
29 Commem. Omnium Ss. Apostolorum. . . 34

JULII

1 Commem. S. Martini Viennen. Episc. Conf. 34
4 S. Irenaei Lugdunen. Episc. Mart. 34
7 Commem. S. Justi Condaten. monachi Conf. 35
14 Commem. S. Phocae Episc. Mart. 35
30 S. Germani Autissiodoren. Episc. Conf. . 35

AUGUSTI

1 Commem. S. Veri I. Viennen. Episc. Conf. 35
9 Ss. Machabaeorum Mart. 36
11 S. Severi Viennen. Presb. Conf., et Commem. S. Philumenae Virg. Mart. . . . 37
18 S. Rochi Conf. 38
19 S. Donati Presb. Conf. 39
26 S. Caesarii Arelaten. Episc. Conf. 39
Dom. post Oct. Assumpt. Puriss. Cordis B. M. V. 39

SEPTEMBRIS

1 S. Juliani Viennen. Mart. 39
3 S. Justi Lugdunen. Episc. Conf. 40
7 S. Stephani Dien. Episc. Conf. 42
13 S. Amati Abb. 42
22 Ss. MAURICII ET SOC. MART. 43
25 S. Ferreoli Viennen. Mart. 44
26 S. Thomae de Villanova Episc. Conf. . . 45

OCTOBRIS

1 S. Remigii Remen. Episc. Conf. 45
3 S. Ismidonis Dien. Episc. Conf. 45
5 S. Apollinaris Valentinen. Episc. Conf. . . 46
6 S. Brunonis Conf. 47
16 Translatio S. Antonii Abb. 47
17 B. Margaritae Mariae Alacoque Virg. . . . 48
21 Ss. Ursulae et soc. Virg. Mart. 48
22 S. Hedwigis Viduae. 48
24 S. Raphaëlis Archang. 48
29 S. Theudarii Abb. 48
Dom. IV. Oct. Patrocinii B. M. V. 48

Digitized by Google

NOVEMBRIS

Dom. infra Oct. Omn. Sanct. Ss. Reliquiarum. 49
2 Commem. S. Georgii Viennen. Episc. Conf. 50
3 S. Domnini Gratianopolit. primi Episc. Conf., et Commem. S. Domnini Viennen. Episc. Conf. 50
6 S. Leoniani Viennen. Abb. 52
7 S. Aniani Aurelianen. Episc. Conf. 53
12 Commem. S. Hesychii I. Viennen. Episc. Conf. 53
16 S. Hugonis Lincolnien. Episc. Conf., et Commem. S. Eucherii Lugdunen. Episc. Conf. 53
17 Commem. S. Namatii Viennen. Episc. Conf. 54
27 Ss. Severini, Exsuperii et Feliciani Viennen. Mart. 54
29 S. Saturnini Tolosani Episc. Mart. 55

VARIA

Decretum approbationis S. R. C. 3
Licentia et approbatio Ordinarii. 4
Genealogia Christi secundum Matthaeum cum cantu. 57
Benedictio Crucium in agris, vineis aliisve locis erigendarum. 61
Indulta a S. Sede dioecesi Gratianopolitanae, 62

31 455. — Turonibus, typis Mamc.

Digitized by Google

DOM. INFRA OCT. ASCENSIONIS

BEATÆ JOANNÆ DE ARC

VIRGINIS

Introitus. Exod. 15.

CANTÉMUS Dómino : glorióse enim magnificátus est. Fortitúdo mea et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem, allelúia, allelúia. *Ps.* 97. Cantáte Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit. ℣. Glória Patri. Cantémus.

Oratio.

DEUS, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quæsumus, ejus intercessióne; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Et fit Commem. Dominicæ.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, fac nos tibi semper et devótam gérere voluntátem, et majestáti tuæ sincéro corde servíre.

Deinde Ascensionis. Oratio.

CONCÉDE, quæsumus, omnípotens Deus : ut qui hodiérna die Unigénitum tuum, Redemptórem nostrum, ad cælos ascendísse crédimus; ipsi quoque mente in cæléstibus habitémus. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Sap.* 8.

PROPÓSUI sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum, sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis : et acútus invéniar in judício, et in conspéctu poténtium admirábilis ero, et fácies príncipum mirabúntur me. Tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respícient, et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent. Prætérea habébo, per hanc, immortalitátem, et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam. Dispónam pópulos, et natiónes mihi erunt súbditæ. Timébunt me audiéntes reges horréndi. In multitúdine vidébor bonus, et in bello fortis.

Allelúia, allelúia. ℣. *Judith* 15. Fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum. Manus Dómini confortávit te, et ídeo eris benedícta in ætérnum. Allelúia. ℣. *Ibid.* 8. Nunc ergo ora pro nobis, quóniam múlier sancta es et timens Deum. Allelúia.

Extra Tempus Paschale :

Graduale. Judic. 5. Nova bella elégit Dóminus, et portas hóstium ipse subvértit. ℣. *Ibid.* Ubi collísi sunt currus et hóstium suffocátus est exércitus, ibi narréntur justítiæ Dómini, et cleméntia ejus in fortes Israël.

Digitized by Google

Allelúia, allelúia. ℣. *Judith* 13. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperántes in se, et in me, ancílla sua, adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. *Matth.* 16.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui áutem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis : et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium. Judith 15. Benedixérunt eam omnes, una voce dicéntes : Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri, allelúia.

Secreta.

Hæc Hóstia salutáris, Dómine, illam nobis in rebus árduis cónferat fortitúdinem, cujus beáta Joánna, sub tanta discríminum varietáte, tam insígnia præbuit exémpla; ut, ad inimícos repelléndos, étiam belli perícula subíre non dubitáverit. Per Dóminum.

Pro Dominica. Secreta.

Sacrifícia nos, Dómine, immaculáta purífícent, et méntibus nostris supérnæ grátiæ dent vigórem.

Pro Ascensione. Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera quæ pro Fílii tui gloriósa Ascensióne deférimus : et concéde propítius; ut a præséntibus perículis liberémur, et ad vitam perveniámus ætérnam. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio Ascensionis.

Communio. Ps. 22. Si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, quóniam tu mecum es, Dómine Jesu, allelúia.

Postcommunio.

Cæléstí pane refécti, qui tóties beátam Joánnam áluit ad victóriam : præsta, quæsumus, omnípotens Deus; ut hoc salútis aliméntum de inimícis nostris victóres nos effíciat. Per Dóminum.

Pro Dominica. Postcommunio.

Repléti, Dómine, munéribus sacris : da, quæsumus; ut in gratiárum semper actióne maneámus.

Pro Ascensione. Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus, omnípotens et miséricors Deus : ut quæ visibílibus mystériis suménda percépimus, invisíbili consequámur efféctu. Per Dóminum.

Evang. Dominicæ in fine.

Concordat cum originali.

Aureliæ, die 1ª Februarii 1910.

† STANISLAUS Episc. Aurelian.

Imprimatur.

Turonibus, die 2ª Februarii 1910.

† RENATUS FRANCISCUS Archiep. Turon.

34151. — Turonibus, typis Mame.

Digitized by Google

LAUDENSIS ECCLESIÆ

DIE 17. JANUARII.

COM. S. SAVINI EPISC. CONF.

in festo S. Antonii Abb.

Orationes ex Missa. Sacerdótes. de Comm. Conf. Pont.

DIE 19. JANUARII.

S. BASSIANI EPISC. ET CONF. PATRONI LAUD.

Introitus.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Bassiáni ; de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Filium Dei. Ps. 113. Meménto, Dómine, David, et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui per beátum Bassiánum Confessórem tuum atque Pontíficem pópulum Laudénsem mirábili pietáte a corporáli lepra curáre voluísti : concéde nobis ; ut ejus méritis et intercessióne, ab ómnibus semper mereámur infirmitátibus liberári. Per Dóminum.

Léctio libri Regum. 4. Reg. 5. b.

In diébus illis : Rex Syriæ misit lítteras ad regem Israel, in hæc verba : Cum accéperis epístolam hanc, scito quod míserim ad te Náaman servum meum, ut cures eum a lepra sua. Cumque legísset rex Israel lítteras, scidit vestiménta sua, et ait : Numquid Deus ego sum, ut occídere possim, et vivificáre, quia iste misit ad me, ut curem hóminem a lepra sua ? Animadvértite, et vidéte, quod occasiónes quærat advérsum me. Quod cum audísset Eliséus vir Dei, scidísse vidélicet regem Israel vestiménta sua, misit ad eum, dicens : Quare scidísti vestiménta tua ? Véniat ad me, et sciat esse prophétam in Israel. Venit ergo Náaman cum equis et cúrribus et stetit ad óstium domus Eliséi. Misítque ad eum Eliséus núntium, dicens : Vade, et laváre sépties in Jordáne, et recípiet sanitátem caro tua, atque mundáberis. Irátus Náaman recedébat, dicens : Putábam quod egrederétur ad me, et stans invocáret nomen Dómini Dei sui, et tángeret manu sua locum lepræ, et curáret me. Numquid non melióres sunt Abana et Pharphar, flúvii Damásci, ómnibus aquis Israel. ut laver in eis, et munder ? Cum ergo vertísset se, et abíret indígnans, accessérunt ad eum servi sui, et locúti sunt ei : Pater, et si rem grandem dixísset tibi prophéta, certe fácere debúeras : quanto magis quia nunc dixit tibi : Laváre et mundáberis ? Descéndit, et lavit in Jordáne sépties juxta sermónem viri Dei, et restitúta est caro ejus, sicut caro púeri párvuli, et mundátus est a lepra.

Graduale. Eccl. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi. Allelúia, allelúia. ℣. O quam magnum Pontíficem, cui suprémus Artífex ita magna fecit ! magnum natu, magnum statu, magnum vita, quem cum felíce fine Christus suscépit. Allelúia.

Post Septuag. omissis Allelúia. et Versu seq., dicitur :

Digitized by Google

Tractus. Psalm. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus : et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 17.

In illo témpore : Dum iret Jesus in Jerúsalem, transíbat per médiam Samaríam et Galilæam. Et cum ingrederétur quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi, qui stetérunt a longe : et levavérunt vocem, dicéntes : Jesu præcéptor, miserére nostri. Quos ut vidit, dixit : Ite, osténdite vos sacerdótibus. Et factum est, dum irent, mundáti sunt. Unus autem ex illis ut vidit quia mundátus est, regréssus est, cum magna voce magnificans Deum, et cécidit in fáciem ante pedes ejus grátias agens : et hic erat Samaritánus. Respóndens autem Jesus, dixit : Nonne decem mundáti sunt ? et novem ubi sunt ? Non est invéntus qui redíret, et daret glóriam Deo, nisi hic alienígena. Et ait illi : Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Réspice, Dómine, múnera supplicántis pópuli, et perpétua beáti Bassiáni intercessióne suménda concéde. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, et has oblatiónes pópuli tui benígnus assúme : et beáti Bassiáni Confessóris tui atque Pontíficis précibus ad regna cœlórum nos fácias pervenire. Per Dóminum.

DIE 23. JANUARII.

DESPONSATIONIS B. M. V.

Missa ut in fine Missalis, eadem die, omissa commem. S. Joseph.

DIE 26. JANUARII.

OCTAVA S. BASSIANI EPISC. CONF.

Missa ut in die, supra 1.

DIE 28. JANUARII.

S. JULIANI EPISC. ET CONF.

Missa ut in fine Missalis, eadem die, ij. loco.

DIE 30. JANUARII.

S. SAVINÆ MATRONÆ LAUDENSIS.

Introitus. Judic. V. 9.

Cor meum díligit príncipes Israel : qui própria voluntáte obtulístis vos discrímini, benedícite Dómino. Ps. 118. Beáti immaculáti in via : qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Exáudi nos, Deus salutáris noster : ut sicut de beátæ Savínæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 1. Cap. 2.

Caríssime : Volo mulíeres in hábitu ornáto, cum verecúndia, et sobrietáte ornántes se, et non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veste pretiósa : sed quod decet mulíeres, promitténtes pietátem per ópera bona. Múlier in siléntio discat cum omni subjectióne. Docére autem mulíeri non permítto, neque dominári in virum, sed esse in siléntio. Adam enim primus formátus est : deínde Heva : et Adam non est sedúctus : múlier autem sedúcta in prævaricatióne fuit. Salvábitur

Digitized by Google

autem per filiórum generatiónem, si permánserit in fide, et dilectióne, et sanctificatióne cum sobrietáte.

Graduale. Tob. 2. Plus timens Deum quam regem, rapiébat córpora occisórum, et occultábat in domo sua, et médiis nóctibus sepeliébat ea. ℣. Judith. 8. Nunc ora pro nobis, beáta Savína, quóniam múlier sancta es et timens Deum. Allelúia, allelúia. ℣. Ibid. 13. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui in me ancílla sua adimplévit misericórdiam suam. Allelúia.

Post Septuag. omissis Allelúia. et Versu seq. dicitur.

Tractus. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum. ℣. Ps. 44. Dilexísti justítiam et odísti iniquitátem : proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde et regna.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 26.

In illo témpore : Cum Jesus esset in Bethánia in domo Simónis leprósi, accéssit ad eum múlier habens alabástrum unguénti pretiósi, et effúdit super caput ipsíus recumbéntis. Vidéntes autem discípuli, indignáti sunt, dicéntes : Ut quid perdítio hæc ? Póterat enim istud venúmdari multo, et dari paupéribus. Sciens autem Jesus, ait illis : Quid molésti estis huic mulíeri ? Opus enim bonum operáta est in me : nam semper páuperes habétis vobíscum, me autem non semper habétis. Mittens enim hæc unguéntum hoc in corpus meum, ad sepeliéndum me fecit. Amen dico vobis, ubicúmque prædicátum fúerit hoc Evangélium in toto mundo, dicétur et quod hæc fecit in memóriam ejus.

Offertorium. Matth. 10. Qui récipit vos, me récipit : et qui me récipit, récipit eum, qui misit me, dicit Dóminus.

Secreta.

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre sanctórum : quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ruth. 3. Benedícta es a Dómino, fília, et priórem misericórdiam posterióre superásti. Scit enim omnis pópulus, mulíerem te esse virtútis.

Postcommunio.

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

DIE 31 JANUARII.

COM. S. JULII CONFESS.

in festo S. Petri Nolasci Conf.

Orationes ut in Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont.

DIE 6. FEBRUARII.

S. JOANNIS BONI EPISC. MED. CONFESSORIS.

Missa. Sacerdótes. de Comm. Conf. Pont.

Et fit commem. S. Dorotheæ Virg. Mart. cum Orat. ex Missa. Me expectavérunt. de Comm. Virg.

DIE 7. FEBRUARII.

S. RICHARDI REGIS CONF.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont.

DIE 8. FEBRUARII.

S. INVENTII EPISC. PAPIEN. CONF.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont.

DIE 9. FEBRUARII.

S. APOLLONIÆ VIRG. MART.

Missa. Loquébar. de Comm. Virg. Mart.

Digitized by Google

DIE 11. FEBRUARII.

APPARITIONIS B. M. V. IMMACULATÆ.

Missa ut in fine Missalis, eadem die.

DIE 12. FEBRUARII.

S. HONORATI EPISC. MED. CONF.

Missa. **Sacerdótes.** de Comm. Conf. Pont. ij. loco.

DIE 13. FEBRUARII.

SS. BABYLÆ EPISC. ET TRIUM PUERORUM MART.

Missa. **Sapiéntiam.** de Comm. plur. Mart.

DIE 15. FEBRUARII.

SS. FAUSTINI ET JOVITÆ MARTYRUM.

Missa. **Salus autem.** de Comm. plur. Mart. iij. loco, cum Evang. **Descéndens Jesus.** ex Missa. **Sapiéntiam.** de eodem Comm. ij. loco.

DIE 16. FEBRUARII.

S. AQUILINI PRESB. MART.

Missa. **In virtúte tua.** de Comm. unius Mart. non Pont. cum Evang. **Si quis venit.** ex Missa. **Státuit.** de Comm. unius Mart. Pont.

DIE 19. FEBRUARII.

S. MANSUETI EPISC. MED. CONF.

Missa. **Sacerdótes.** de Comm. Conf. Pont.

DIE 20. FEBRUARII.

S. SOTERIS VIRG. ET MART.

Missa. **Loquébar.** de Comm. Virg. et Mart.

DIE 21. FEBRUARII.

S. CANUTI REGIS MART.

Ut in Missali, die 19. Januarii.

DIE 26. FEBRUARII.

S. MARGARITÆ DE CORTONA PŒNITENTIS.

Missa ut in fine Missalis, die 23. hujus, j. loco.

DIE 27. FEBRUARII.

SS. SEPTEM FUNDATORUM ORD. SERVORUM B. M. V.

Missa ut in Missali, die 12. hujus.

DIE 28. FEBRUARII.

S. RAYMUNDI DE PENNAFORD CONFESSORIS.

Missa. **Os justi.** de Comm. Conf. non Pont. cum j. Oratione propria ut in Missali, die 23. Januarii.

MISSÆ

In Festis Mysteriorum et Instrumentorum Passionis D. N. J. C. juxta ordinem inveniuntur in fine Missalis.

DIE 1. MARTII.

S. MARTINÆ VIRG. ET MART.

Missa. **Loquébar.** de Comm. Virg et Mart.

DIE 2. MARTII.

S. FULGENTII EPISC. RUSP. ET CONF.

Introitus. Eccli. 15.

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus : et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ, et intelléctus : stolam glóriæ índuit eum. Ps. 91. **Bonum est confitéri Dómino : et psállere nómini tuo, Altíssime.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Exáudi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Fulgéntii Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. II. c. 4.

Carissime : Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus, et regnum ejus : prædica verbum, insta opportúne, importúne : árgue, óbsecra, increpa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes

Digitized by Google

áuribus, et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex: non solum autem mihi sed et iis qui díligunt advéntum ejus.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium.

Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 45. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúia.

Si venerit post Septuagesimam, omissis Allelúia. et Versu seq. dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Quis putas est fidélis dispensátor, et prudens, quem constítuit Dóminus supra famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram? Beátus ille servus, quem cum vénerit Dóminus invénerit ita faciéntem. Vere dico vobis, quóniam super ómnia, quæ póssidet, constítuet illum. Quod si díxerit servus ille in corde suo: moram facit dóminus meus veníre: et cœperit percútere servos, et ancíllas, et édere et bíbere, et inebriári: véniet dóminus servi illíus in die, qua non sperat, et hora qua nescit, et dívidet eum, partémque ejus cum infidélibus ponet. Ille autem servus, qui cognóvit voluntátem dómini sui, et non præparávit, et non fecit secúndum voluntátem ejus, vapulábit multis. Qui autem non cognóvit, et fecit digna plagis, vapulábit paucis. Omni autem, cui multum datum est, multum quærétur ab eo, et cui commendavérunt multum, plus petent ab eo.

Offertorium. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur.

Secreta.

Sancti Fulgéntii Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum nostrum.

Communio. Luc. 12. Dico autem vobis amícis meis: ne terreámini ab his qui vos persequúntur.

Postcommunio.

Deus fidélium remunerátor animárum præsta, ut beáti Fulgéntii Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

DIE 3. MARTII.

S. TITI EPISC. ET CONF.

Missa ut in Missali, die 6. Februarii.

DIE 5. MARTII.

S. CYRILLI EP. ALEXANDRINI CONF. ET ECCL. DOCT.

Missa ut in Missali, die 9. Februarii.

DIE 13. MARTII.

SS. VIGINTI SEX MART. JAPONENSIUM.

Missa ut in fine Missalis, die 5. Februarii, j. loco.

Digitized by Google

DIE 14. MARTII.

S. CATHARINÆ VIRGINIS BONONIENSIS.

Missa. **Vultum tuum.** de Comm. Virg. tantum ij. loco, præter Orationes et Evang. seq.

Oratio.

Concéde nos fámulos tuos, Deus, beátæ Catharínæ vírginis suffrágiis adjuvári : cujus odóre unguentórum tráhimur ad tua sancta lætántes. Per Dóminum.

Evang. **Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus.** ex Missa. **Dilexísti.** de eodem Comm. ij. loco.

Secreta.

Illo nos igne in hoc sacrifício offeréndo fac, quæsumus Dómine, veheménter incéndi, quo beáta Catharína virgo seípsam tibi offerébat júgiter famulári. Per Dóminum.

Postcommunio.

Majestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ut, sicut beátæ Catharínæ vírginis corpus incorrúptum servásti ; ita nos fácias per hæc sancta, quæ súmpsimus, ab omni culpárum labe servári. Per Dóminum.

DIE 18. MARTII.

S. GABRIELIS ARCHANGELI.

Missa ut in fine Missalis, eadem die.

DIE 20. MARTII.

S. ANSELMI EPISC. ET CONF. PATRONI MANT.

Missa. **Státuit.** de Comm. Conf. Pont. præter Orat. seq.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Ansélmi Confessóris tui atque Pontíficis illumináre dignátus es méritis et doctrínis : concéde ; ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per Dóminum.

DIE 23. MARTII.

S. CYRILLI EP. HIEROSOL. CONF. ET ECCL. DOCT.

Missa ut in Missali, die 18. hujus.

DIE 3. APRILIS.

S. MARIÆ ÆGYPTIACÆ PŒNITENTIS.

Missa. **Cognóvi.** de Comm. nec Virg. nec Mart. præter seq.

Oratio.

Clementíssime Deus qui omnipoténtiam tuam parcéndo máxime, et miserándo maniféstas, multíplica super nos misericórdiam tuam ; ut intercedénte beáta María ; quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat. Per Dóminum.

Léctio libri Canticórum. Cant. 3. et 8.

Surgam, et circuíbo civitátem : per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea : quæsívi illum, et non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem. Num quem díligit ánima mea vidístis? Páululum cum pertransíssem eos, ínveni quem díligit ánima mea ; ténui eum ; nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ, et in cubículum genitrícis meæ. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum : quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio, lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam : si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Secreta.

Placatiónis hóstia, quam tibi offérimus, Dómine, beátæ Maríæ

Digitized by Google

interveniénte suffrágio, optátæ nobis indulgéntiæ plenitúdinem largiátur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Tuberes, Dómine, sanctæ tuæ Maríæ lácrimæ durítiem nostri cordis emólliant, ut per hujus virtútem Sacraménti débitas reátibus flammas incessánti fletu extinguámus. Per Dóminum.

DIE 6. APRILIS.

B. JULIANÆ CORNEL. VIRG.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. præter Orat. seq.

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beátam Vírginem Juliánam ad promovéndum Sanctíssimi Sacraménti cultum mirabíliter inflammásti: tríbue, quæsumus; ita nos humilitátis ejus vestígia sectári in terris, ut cum ipsa sublimári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

DIE 16. APRILIS.

S. BENEDICTI JOSEPHI LABRE CONFESSORIS.

Missa ut in fine Missalis, eadem die.

DIE 18. APRILIS.

S. GALDINI EPISC. MEDIOL. CONF.

Missa. Sacerdótes. de Comm. Conf. Pont.

DIE 20. APRILIS.

S. DANIELIS MART. LAUDEN.

Missa. Protexísti. de Comm. Mart. Temp. Pasch: extra Tempus Paschale Missa. In virtúte. cum Evang. Si quis venit. ex Missa. Státuit. de eodem Comm.

DIE 27. APRILIS.

S. ALEXANDRI SAULI EPISC. ET CONF.

Introitus. Isai. 61.

Ædificábunt desérta a sæculo, et ruínas antíquas érigent, et instaurábunt civitátes desértas, dissipátas in generatiónem et generatiónem. (Allelúia, allelúia.) Ps. 18. Cœli enárrant glóriam Dei, et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui in Ecclésia tua per beátum Alexándrum, Confessórem atque Pontíficem, reguláris disciplínæ, ac pastorális sollicitúdinis exémpla instauráre dignátus es: fac nos, quæsumus, ita ejus inhærére vestígiis; ut ad ánimæ salútem júgiter inténti, gáudia cum ipso assequámur ætérna. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. II. Timoth. 2.

Memor esto Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum; in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans. Sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlésti. Fidélis sermo: nam si commórtui sumus, et convivémus: et sustinébimus, et conregnábimus. Si negavérimus et ille negábit nos: si non crédimus, ille fidélis pérmanet, negáre seípsum non potest. Hæc cómmone, testíficans coram Dómino. Noli conténdere verbis: ad nihil enim útile est, nisi ad subversiónem audiéntium. Solícite cura teípsum probábilem exhibére Deo, operárium inconfusíbilem, recte tractántem verbum veritátis.

Allelúia, allelúia. ℣. Luc. 4. Spíritus Dómini super me, propter quod unxit me evangelizáre paupéribus. Allelúia. ℣. Misit me sanáre contrítos corde. Allelúia.

Extra Tempus Paschale.

Graduale. Isai. 61. Vos autem Sacerdótes Dómini vocabímini: minístri Dei nostri, dicétur vobis. ℣. Ego

Digitized by Google

Dóminus díligens judícium, et dabo opus eórum in veritáte.

Allelúia, allelúia. ℣. Omnes qui víderint eos cognóscent illos, quia isti sunt semen, cui benedíxit Dóminus. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 24.

In illo témpore dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti, quia qua nescítis hora Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore ? Beátus ille servus, quem cum vénerit Dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Offertorium. Ps. 19. Memor sit Dóminus omnis sacrifícii nostri, et holocáustum nostrum píngue fiat. Salvum fecit Dóminus Christum suum, exáudiet illum de cœlo sancto suo. (Allelúia).

Secreta.

Sancti tui, quæsumus Dómine, nos ubíque lætíficent, ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio. Zach. 14. Et erit in die illa : exíbunt aquæ vivæ de Jerúsalem. Et erit Dóminus rex super omnem terram. (Allelúia).

Postcommunio.

Deus fidélium remunerátor animárum, præsta, ut beáti Alexándri Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

DIE 28. APRILIS.

SS. VITALIS ET VALERIÆ MART.

Missa. Sancti tui. de Comm. plur. Mart. Temp. Pasch.

DIE 11. MAJI.

S. TITIANI EPISC. LAUDEN. CONF.

Missa. Sacerdótes. de Comm. Conf. Pont.

DIE 13. MAJI.

S. PAULI A CRUCE CONF.

Missa ut in Missali die 28. Aprilis.

DIE 14. MAJI.

ELEVATIO CORPORUM

SS. AMBROSII, GERVASII ET PROTASII.

Introitus. Psalm. 117.

Vox exsultatiónis et salútis in tabernáculis justórum. Déxtera Dómini exaltávit me. Non móriar, sed vivam : et narrábo ópera Dómini. Allelúia, allelúia. Ps. ibid. Confitémini Dómino quóniam bonus : quóniam in sæculum misericórdia ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui sanctórum Ambrósii, Gervásii et Protásii gloriósa córpora, tamquam salútis pígnora, in lucem hódie restítuens, Ecclésiam tuam tantis in necessitátibus consolári dignátus es : præsta ; ut ipsa his præsídiis et propugnáculis fulta, pacem et prosperitátem ássequi mereámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. C. VIII, 35.

Fratres, quis nos separábit a charitáte Christi ? tribulátio ? an angústia ? an fames ? an núditas ? an perículum ? an persecútio ? an gládius ? (Sicut scriptum est : Quia propter te mortificámur tota die : æstimáti sumus sicut oves occisiónis). Sed in his ómnibus superámus propter eum, qui diléxit nos. Certus sum enim, quia neque mors,

Digitized by Google

neque vita, neque ángeli, neque princípátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre a charitáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

Allelúia, allelúia. ℣. Isti sunt duæ olívæ et duo candelábra lucéntia ante Dóminum. Allelúia. ℣. Eccli. c. 49. Firmaméntum gentis, rector fratrum, stabiliméntum pópuli. Et ossa ipsíus visitáta sunt et post mortem prophetavérunt. Allelúia.

Si festum celebretur post tempus Paschale, dicitur :

Graduale. Eccli. c. 50. Sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum et in diébus suis corroborávit templum. ℣. Et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei.

Allelúia, allelúia. ℣. Isti sunt duæ olívæ et duo candelábra lucéntia ante Dóminum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 5.

In illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et apériens os suum docébat eos, dicens : Beáti páuperes spíritu : quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti mites : quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti, qui lugent : quóniam ipsi consolabúntur. Beáti, qui esúriunt et sítiunt justítiam : quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes : quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici : quóniam Fílii Dei vocabúntur. Beáti, qui persecutiónem patiúntur propter justítiam : quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti estis cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me, gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlis : sic enim persecúti sunt prophétas, qui fuérunt ante vos. Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur ? ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorífícent Patrem vestrum qui in cœlis est.

Offertorium. Apoc. c. 6. Vidi subtus altáre ánimas interfectórum propter verbum Dei. Et datæ sunt illis, síngulæ stolæ albæ : et dictum est illis, ut requiéscerent adhuc tempus módicum. Allelúia.

Secreta.

Múnera, quæ sanctórum Ambrósii, Gervásii et Protásii gloriósa trophæa celebrántes tuis altáribus læti offérimus, tu, Dómine, benígno favóre proséquere ; ut eórum méritis et précibus adjúti, de hóstibus mentis et córporis triumpháre mereámur. Per Dóminum.

Communio. Eccli.. 44. Laudémus viros gloriósos et paréntes nostros, qui in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et habéntur in láudibus. Allelúia.

Postcommunio.

Divína hóstia, quam hódie, sanctos Ambrósium, Gervásium et Protásium commemoránte in gáudio percépimus, nos omnes, quæsumus, Dómine, róboret et confírmet ; ut qui de eórum fide et córporum thesáuro gloriámur, semper in eádem fide, quam illi nobis cum sánguine et vita tradidérunt, fidéliter perse-

Digitized by Google

veráre mereámur. Per Dóminum.

DIE 16 MAJI.

S. JOANNIS NEPOMUCENI MARTYRIS.

Missa. **Dedit mihi,** ut in fine Missalis, eadem die.

DIE 17 MAJI.

S. SYRI EPISC. PAPIEN. ET CONF.

Missa. **Státuit.** de Comm. Conf. Pont. præter Orat. seq.

Oratio.

Deus, qui es tuórum Antístitum potentíssimus illustrátor, tríbue quæsumus ; ut beatíssimi Syri Confessóris tui atque Pontíficis magníficis exémplis informáti, sæculi istíus calíginem sine perículo transeámus. Per Dóminum.

DIE 21 MAJI.

S. FELICIS A CANTALICIO CONFESSORIS.

Ut in fine Missalis, eadem die.

DIE 23 MAJI.

S. UBALDI EPISC. CONF.

Missa. **Státuit.** de Comm. Conf. Pont.

Oratio ut in Missali, die 16 Maji.

DIE 24 MAJI.

B. MARIÆ VIRG. TITULO AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Ut in fine Missalis, eadem die.

DIE 25 MAJI.

S. DIONYSII EPISC. MEDIOL. CONFESSORIS.

Missa. **Státuit.** de Comm. Conf. Pont. Et fit commem. S. Urbani Papæ Mart. ut in Missali.

DIE 26 MAJI.

APPARITIONIS B. M. V. IN PRATO MAZZOLENGO PROPE CARAVAGIUM.

Introitus. Cant. 2. 14.

Ostende mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra, allelúia, allelúia. Ps. 84. **Benedixísti, Dómine terram tuam : avertísti captivitátem Jacob.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui in hodiérna Vírginis Apparitióne verba salútis et pignora per ipsam ad nos deférre dignátus es : da nobis, quæsumus, ita eam cólere ; ut optáta vitæ præséntis páriter et futúræ subsídia cónsequi mereámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 24.

In ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium : et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi : In Jacob inhábita, et in Israel hæreditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta similiter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion : quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho : quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in pláteis. Sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

Tempore Paschali. **Allelúia, allelúia.** ℣. Tob. 13, 17. **Tu autem lætáberis in fíliis tuis, quóniam omnes benedicéntur, et congregabúntur ad Dóminum : beáti omnes qui díligunt te. Allelúia.** ℣. Ib. 23. **Benedictus Dóminus qui exaltávit eam, et sit regnum ejus in sæcula sæculórum. Allelúia.**

Extra tempus Paschale, dicitur :

Graduale. Psal. 84. **Locúta est pa-**

Digitized by Google

cem in plebem suam, et in eos qui convertúntur ad cor. ℣. Ib. Osténdit nobis misericórdiam suam ; et ut inhábitet glória in terra nostra.

Allelúia, allelúia. ℣. Tob. 13. Tu autem lætáberis in fíliis tuis, quóniam omnes benedicéntur, et congregabúntur ad Dóminum : beáti omnes qui díligunt te. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1.

In illo témpore : Exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne, in civitátem Juda ; et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero ejus : et repléta est Spíritu sancto Elísabeth : et exclamávit voce magna, et dixit : Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me ? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María : Magníficat ánima mea Dóminum : et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Dicitur Credo.

Offertorium. Jerem. 31. Convértam luctum eórum in gáudium, et consolábor eos, et lætificábo a dolóre suo ; et pópulus meus bonis meis adimplébitur, allelúia.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera devotiónis nostræ, quæ Majestáti tuæ beatíssima Virgo María sua precatióne comméndat : et per ipsam, quæsumus, ad nos descéndat totíus boni plenitúdo.

Præfatio de Festis B. M. V. Et te in Apparitióne.

Communio. Ps. 64. Replébimur in bonis domus tuæ : quia visitásti terram, et inebriásti eam, allelúia.

Postcommunio.

Concéde, miséricors Deus, ut auxílio Matris tuæ hæc sancta discámus frequentáre mystéria ; ut futúræ glóriæ nobis sint pignora : Qui vivis.

DIE 28 MAJI.

S. SENATORIS EPISC. MEDIOL. CONF.

Missa. Sacerdótes. de Comm. Conf. Pont.

DIE 29 MAJI.

S. GREGORII VII PAPÆ CONF.

Missa ut in Missali, die 25. Maji.

DIE 30 MAJI.

S. FERDINANDI REGIS CONF.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 1. JUNII.

S. FRANCISCI SOLANI CONF.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui plúrimas Américæ gentes per beátum Franciscum ad sinum Ecclésiæ perduxísti : ejus méritis, et précibus indignatiónem tuam a peccátis nostris avérte, et in gentes, quæ te non cognovérunt, timórem nóminis tui benígnus immítte. Per Dóminum.

Evang. Eúntes in mundum. ut in festo S. Francisci Xaverii 3. Dec.

DIE 2. JUNII.

S. JOANNIS BAPTISTÆ DE ROSSI CONF.

Missa ut in fine Missalis, die 23. Maji.

DIE 3. JUNII.

S. AUGUSTINI EPISC. ET CONF.

Missa ut in Missali, die 28. Maji.

DIE 7. JUNII.

S. VICTORIS MARTYRIS.

Temp. Pasch. Missa. Protexísti. extra Temp. Pasch. In virtúte.

Oratio. Præsta... ut qui.

Digitized by Google

Evangelium. Si quis venit ad me. de Missa. Státuit.

DIE 8. JUNII.

S. PHILIPPI NERII CONF.

Missa ut in Missali, die 26. Maji.

DIE 9. JUNII.

S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS VIRG.

Missa. Dilexísti. de Comm. præter Orationem ut in Missali, 29. Maji.

DIE 20. JUNII.

S. JULIANÆ DE FALCONERIIS VIRGINIS.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. præter Orationem ut in Missali, die 19. hujus.

DIE 3. JULII.

S. IRENÆI EPISC. ET MART.

Ut in fine Missalis, die 4. Julii.

DIE 4. JULII.

S. ALBERTI DE QUADRELLIS EP. ET CONF. SECUNDI PATR. LAUD.

Introitus. Eccli. 45.

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis : et príncipem fecit eum, ut sit illi sacerdótii dignitas in ætérnum. Ps. 131. Meménto, Dómine, David, et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Albértum Confessórem tuum Ecclésiæ Laudénsi præésse voluísti, eúmque insígnis in páuperes misericórdiæ virtúte decorásti : quæsumus ; ut ejus intercessióne, in omnes, qui te deprecántur, divítias misericórdiæ tuæ benígnus effúndas. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 44.

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis : conservávit illi misericórdiam suam : et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum : et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum : et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus : et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 109. Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúnum Joánnem. Cap. 10.

In illo témpore : Dixit Jesus pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor, ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit : et lupus rapit, et dispérgit oves : mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus : et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem : et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli, et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum ; manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Digitized by Google

Secreta.

Sancti tui, quæsumus Dómine, nos ubíque lætíficent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus, et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam : ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus : ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Albérto Confessóre tuo, atque Pontífice, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum.

DOMINICA I.

NON IMPEDITA POST OCT. SS. APOST. PETRI ET PAULI.

COMMEM. OO. SS. SUMM. PONT.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 7. JULII.

S. LAURENTII A BRUNDUSIO CONFESSORIS.

Ut in fine Missalis, eadem die.

DIE 9. JULII.

SS. NICOLAI ET SOC. MART. GORCOMIENSIUM.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 11. JULII.

SS. CYRILLI ET METHODII EPISC. CONF.

Missa ut in Missali, die 7. hujus.

DIE 12. JULII.

SS. NABORIS ET FELICIS MART. LAUDENS.

Introitus. Sap. 3.

Stabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Ps. 127. Beáti omnes qui timent Dóminum * qui ámbulant in viis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Præsta, quæsumus Dómine, ut sicut nos sanctórum Mártyrum tuórum Náboris et Felícis natalítia celebránda non déserunt ; ita júgiter suffrágiis comiténtur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Cap. 2.

Fratres : Vos, qui aliquándo erátis longe, facti estis prope in sánguine Christi. Ipse enim est pax nostra qui fecit útraque unum, et médium paríetem macériæ solvens, inimicítias in carne sua ; legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in semetípso in unum novum hóminem fáciens pacem ; et reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem, interfíciens inimicítias in semetípso. Et véniens evangelizávit pacem vobis, qui longe fuístis, et pacem iis, qui prope : quóniam per ipsum habémus accéssum ambo in uno Spíritu ad Patrem. Ergo jam non estis hóspites et ádvenæ : sed estis cives sanctórum et doméstici Dei : superædificáti super fundaméntum Apostolórum, et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu : in quo omnis ædificátio constrúcta crescit in templum sanctum in Dómino : in quo et vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu.

Graduale. Sap. 6. Justi autem in perpétum vivent, et apud Dóminum est merces eórum, et cogitátio illórum apud Altíssimum. ℣. Ibid. Ideo accípient regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini : quóniam déxtera sua teget eos, et bráchio sancto suo deféndet illos.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 5. Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eos. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 13.

In illo témpore : Dicébat Jesus Judæis : Cui símile est regnum Dei, et cui símile æstimábo illud ?

Digitized by Google

Símile est grano sinápis, quod accéptum homo misit in hortum suum, et crevit, et factum est in árborem magnam : et vólucres cœli requievérunt in ramis ejus. Et íterum dixit : Cui símile æstimábo regnum Dei ? Símile est ferménto, quod accéptum múlier abscóndit in farínæ sata tria, donec fermentarétur totum. Et ibat per civitátes et castélla, docens, et iter fáciens in Jerúsalem.

Offertorium. Ps. 65. Congregámini omnes, qui timétis Deum, et vidéte quantam glóriam dedit Dóminus sanctis suis.

Secreta.

Múnera plebis tuæ, quæsumus Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Náboris et Felícis fiant grata suffrágiis : et quorum triúmphis tuo nómini offerúntur, ipsórum digna perficiántur et méritis. Per Dñum.

Communio. Apoc. 1. Isti sunt, qui pro testaménto Dei sua córpora tradidérunt, et in sánguine Agni lavérunt stolas suas.

Postcommunio.

Natalítiis sanctórum tuórum, quæsumus Dómine, ut sacraménti múnere vegetáti bonis, quibus per tuam grátiam nunc fovémur, perfruámur ætérnis. Per Dóminum.

DIE 17. JULII.

S. MARCELLINÆ VIRGINIS.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg.

DIE 21. JULII.

S. JOANNIS GUALBERTI CONF.

Missa ut in Missali, die 12. hujus.

DIE 22. JULII.

S. GUALTERII LAUDENS. CONF.

Introitus. Psalm. 40.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus : univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus. Ps. ibid. Beátus, qui intélligit super egénum et páuperem : in die mala liberábit eum Dóminus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Gualtérii Confessóris tui solemnitáte deférimus : ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses. Cap. 3, 12.

Fratres : Indúite vos, sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam : supportántes ínvicem, et donántes vobismetípsis, si quis advérsus áliquem habet querélam ; sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos. Super ómnia autem hæc, caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis. Et pax Christi exúltet in córdibus vestris, in qua et vocáti estis in uno córpore ; et grati estóte.

Graduale. Ps. 19. Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis, prótegat te nomen Dei Jacob. ℣. Ps. ibid. Mittat tibi auxílium de sancto, et de Sion tueátur te.

Allelúia, allelúia. ℣. Ibid. Lætábimur in salutári tuo, et in nómine Dei nostri magnificábimur. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 10.

In illo témpore : Ecce quidam Legisperítus surréxit tentans Jesum, et dicens : Magíster, quid faciéndo vitam ætérnam possidébo ? At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est ? quómodo legis ? Ille respóndens dixit : Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex ómnibus víribus tuis, et ex omni mente tua : et próximum tuum sicut teípsum. Dixítque illi : Recte respondísti : hoc

Digitized by Google

fac, et vives. Ille autem volens justificáre seípsum, dixit ad Jesum : Et quis est meus próximus ? Suscípiens autem Jesus, dixit : Homo quidam descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, et incidit in latrónes, qui étiam despoliavérunt eum, et plagis impósitis abiérunt semivívo relícto. Accidit autem ut sacérdos quidam descénderet eádem via : et viso illo præterívit. Simíliter et levíta, cum esset secus locum, et vidéret eum, pertránsiit. Samaritánus autem quidam iter fáciens, venit secus eum : et videns eum, misericórdia motus est. Et apprópians alligávit vúlnera ejus, infúndens óleum et vinum : et impónens illum in juméntum suum, duxit in stábulum, et curam ejus egit. Et áltera die prótulit duos denários, et dedit stabulário, et ait : Curam illíus habe, et quodcúmque supererogáveris, ego, cum redíero, reddam tibi. Quis horum trium vidétur tibi próximus fuísse illi, qui incidit in latrónes ? At ille dixit : Qui fecit misericórdiam in illum. Et ait illi Jesus : Vade, et tu fac simíliter.

Offertorium. Eph. 5. Ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos, et trádidit semetípsum pro nobis oblatiónem, et hóstiam Deo in odórem suavitátis.

Secreta.

Oblatiónes nostras tibi, Dómine Deus comméndent beáti Gualtérii benígna suffrágia ; ut per hæc sacrosáncta mystéria in nobis cáritas augeátur, quæ cor illíus mirabíliter inflammávit. Per Dóminum.

Communio. Heb. 13. Beneficéntiæ et communiónis nolíte oblivísci, tálibus enim hóstiis promerétur Deus.

Postcommunio.

Cœlésti mensa refécti, quæsumus, Dómine Deus noster : ut beáti Gualtérii Confessóris tui méritis, et imitatióne, in caritáte proficiámus, et promíssa diligéntibus præmia consequámur. Per Dóminum.

DIE 24. JULII.

S. MARIÆ MAGDALENÆ PŒNIT.

Missa ut in Missali, die 22. hujus.

DIE 27. JULII.

S. PANTALEONIS MART. PATR. CREMENSIS.

Missa. **Lætábitur.** de Comm. unius Mart. præter Orat.

Oratio.

Deus, qui beátum Pantaleónem, Mártyrem tuum, vária torménta superáre fecísti et pro persecutóribus exoráre : concéde propítius; ut qui ejus implorámus auxílium, misericórdiæ tuæ sentiámus efféctum. Per Dóminum.

DIE 30. JULII.

S. ALEXII CONFESSORIS.

Missa ut in Missali, die 17 hujus.

DIE 9. AUGUSTI.

SS. FIRMI ET RUSTICI MART.

Missa. **Salus autem.** de Comm. plur. Mart. cum Evang. **Cum audiéritis.** e Missa. **Intret.**

Et fit com. S. Romani Mart. ut in Missali, hac die.

DIE 11. AUGUSTI.

S. CALIMERII EP. MED. ET MART.

Missa. **Státuit.** de Comm. unius Mart.

Fit com. SS. Tiburtii et Susannæ Mart. ut in Missali, hac die, post com. Oct. S. Laurentii, Mart.

DIE 13. AUGUSTI.

S. EUSEBII EPISC. MED. ET CONF.

Missa. **Sacerdótes tui.** de Comm. Conf. Pont.

Et fit com. Oct. ac SS. Hippolyti et Cassiani Mart. ut in Missali.

DIE 14. AUGUSTI.

S. MATERNI EPISC. MED. CONF.

Missa. **Státuit ei.** de Comm. Conf. Pont.

Digitized by Google

Fit com. Vigil. Assumpt. B. M. V. ac S. Eusebii Conf.

In fine legitur Evang. Vigiliæ.

DIE 18. AUGUSTI.

S. RAYNALDI A CORNOVEGIO EPISC. CONF.

Missa. Sacerdótes. de Comm. Conf. Pont. præter Orat.

Oratio.

Deus, qui beátum Raynáldum Confessórem tuum atque Pontíficem, singulári ad conciliándam pacem, morésque reformándos prudéntia et zelo decorásti : ejus nobis intercessióne concéde ; ut melióra charísmata æmulántes, quæ tibi sunt únice plácita, inquírere non desinámus. Per Dóminum.

Dicitur Credo. ratione Octavæ Assumpt. B. M. V.

DIE 19. AUGUSTI.

S. SIMPLICIANI EP. MED. CONF.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont.

DIE 26. AUGUSTI.

S. ALEXANDRI MART. PATRONI BERGOM.

Introitus. Osee 14. Psal. 91.

Justus germinábit sicut lílium : et florébit in ætérnum ante Dóminum : plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Ps. 91. Bonum est confitéri Dómino : et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Alexándri Mártyris tui confessióne gloriósa circúmdas et prótegis : da nobis, quæsumus; ejus imitatióne proficere, et oratióne gaudére. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Cap. 6.

Fratres, confortámini in Dómino, et in poténtia virtútis ejus. Indúite vos armatúram Dei, ut possítis stare advérsus insídias diáboli. Quóniam non est nobis colluctátio advérsus carnem, et sánguinem, sed advérsus príncipes, et potestátes, advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ, in cœléstibus. Proptérea accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo, et in ómnibus perfécti stare. State ergo succíncti lumbos vestros in veritáte, et indúti lorícam justítiæ, et calceáti pedes in præparatióne Evangélii pacis : in ómnibus suméntes scutum fidei, in quo possítis ómnia tela nequíssimi ígnea extínguere : et gáleam salútis assúmite : et gládium spíritus, quod est verbum Dei.

Graduale. Eccli. 47, 6. Fortis in bello beátus Alexánder, qui fuit magnus secúndum nomen suum máximus in salútem electórum Dei. ℣. ib. 8. Invocávit Altíssimum poténtem in oppugnándo inimícos úndique, et audívit illum Deus.

Allelúia, allelúia. ℣. Ibid. 50, 4. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 10.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nihil est opértum, quod non revelábitur, et occúltum quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine : et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere : sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásseres asse véneunt : et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro ? Vestri autem capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére : multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo qui confitébitur me co-

Digitized by Google

ram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

Offertorium. Eccli. 50, 8. Quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília, quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus rédolens in diébus æstátis beátus Alexánder. Allelúia.

Secreta.

Accépta tibi sint, quæsumus Dómine múnera, quæ in die solemnitátis beáti Mártyris tui Alexándri deférimus ; ut sic majestáti tuæ sint plácita, sicut illíus effúsio sánguinis apud te éxtitit pretiósa. Per Dóminum.

Communio. Osee 14. Justus germinábit sicut lílium, et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Postcommunio.

Sumptis cœléstibus sacraméntis et gáudiis súpplices te rogámus, Dómine : ut beáti Mártyris tui Alexándri, cujus gloriámur triúmphis, protegámur auxíliis. Per Dóminum nostrum.

DIE 27. AUGUSTI.

S. CYRIACI EP. LAUDEN. CONF.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm.

DIE 1. SEPTEMBRIS.

S. HYACINTHI CONF.

Missa ut in Missali, die 16. Aug.

DIE 3. SEPTEMBRIS.

S. JOSEPHI CALASANCTII CONF.

Missa ut in Missali, die 27. Augusti.

DIE 6. SEPTEMBRIS.

S. ABUNDII EP. COM. CONF.

Missa Sacerdótes. de Comm. Conf. Pont. præter Orat.

Oratio.

Interveniénte, quæsumus Dómine, beáto Abúndio, Confessóre tuo atque Pontífice, nos divína grátia prævéniat et sequátur, atque ab ómnibus tueátur advérsis. Per Dóminum.

DIE 7. SEPTEMBRIS.

SS. DONATI ET CARPOPHORI MART.

Missa. Sapiéntiam. de Comm. plur. Mart.

DIE 9. SEPTEMBRIS.

S. HELENÆ IMPERATR. VIDUÆ.

Missa ut in fine Missalis, die 18. Augusti.

Et fit com. Oct. Nativ. B. M. V. et S. Gorgonii Mart.

Præfatio. Et te in Nativitáte.

DIE 11. SEPTEMBRIS.

S. PULCHERIÆ IMPERATRICIS VIRGINIS.

Ut in fine Missalis, die 7. Julii.

Et fit com. Oct. Nativ. B. M. V. et SS. Mart. Proti et Hyacinthi.

Credo. et Præfatio. Et te in Nativitáte.

DIE 13. SEPTEMBRIS.

COM. S. MAURITII EPISC. CONF.

Oratio. Da quæsumus.

DIE 17. SEPTEMBRIS.

S. SATYRI CONFESSORIS.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont.

DIE 22. SEPTEMBRIS.

S. JOANNIS LAUD. EP. EUGUBII CONF.

Missa. Sacerdótes. de Comm. Conf. Pont. præter Orat.

Oratio.

Deus, qui sanctum Joánnem copiósis grátiæ tuæ donis cumulásti, concéde, ita nos ejúsdem grátiæ partícipes fieri, ut étiam glóriæ mereámur esse consórtes. Per Dóminum.

DIE 25. SEPTEMBRIS.

S. ANATHALONIS EP. MED. CONF.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont.

DIE 26. SEPTEMBRIS.

IMPRESS. STIGMATUM IN CORP. S. FRANCISCI ASSIS. CONF.

Missa ut in Missali, die 17. hujus.

Digitized by Google

DIE 27. SEPTEMBRIS.

S. CAJI EPISC. MEDIOL. CONF.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm

DIE 3. OCTOBRIS.

S. THOMÆ A VILLANOVA EPISC. ET CONF.

Missa ut in Missali, die 22. Sept.

DIE 7. OCTOBRIS.

SS. COSMÆ ET DAMIANI MART.

Missa ut in Missali, die 27. Sept.

DIE 11. OCTOBRIS.

S. LUDOVICI BERTRANDI CONF.

Ut in fine Missalis, die 10. hujus.

DIE 12. OCTOBRIS.

S. JULIANI EPISC. LAUDEN. CONF.

Missa Státuit. de Comm. Conf. Pont.

DIE 21. OCTOBRIS.

SS. MART. LAUDEN. ET S. MALUSII EPISC. ET MART.

Missa. Sapiéntiam. de Comm. plur. Mart.

Fit tantum com. S. Hilarionis ex Missa. Os justi. de Comm. Abbat.

DIE 22 OCTOBRIS.

B. MARIÆ DE CERVELLIONE DICTÆ DE SOCOS.

Missa ut in fine Missalis, die 22 Septembris.

DIE 23. OCTOBRIS.

SS. URSULÆ ET SOCIAR. MART.

Missa. Loquébar. de Comm. Virg.

Oratio ut in Missali, die 21 hujus.

DIE 24. OCTOBRIS.

S. RAPHAELIS, ARCHANGELI.

Missa ut in fine Missalis, eadem die.

DIE 25. OCTOBRIS.

SS. GAVINI ET SOC. MART.

Missa Intret. de Comm. plur. Mart.

Oratio.

Deus, qui per beátos Mártyres tuos Gavínum, Protum et Januárium Ecclésiam tuam mirabíliter illustráre dignátus es : concéde nobis fámulis tuis ; ut, quos patrónos venerámur in terris, intercessóres habére mereámur in cœlis. Per Dóminum.

DIE 26. OCTOBRIS.

S. MARIÆ SALOME, VIDUÆ

Introitus.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Salóme : de cujus festivitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Psalm. 44. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi.

Oratio.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus ; ut intercéssio beátæ Maríæ Salóme nos ubíque prótegat, atque deféndat : et quod a te fragilitátis nostræ defectus obtinére non potest, ipsa intercedénte, tua nobis pietáte donétur. Per Dóminum.

Epistola. Mulierem fortem. de Communi nec Virg. nec Mart.

Graduale. Ps. 44. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: filiæ regum in honóre tuo. ℣. Adducéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi : afferéntur in lætítia et exsultatióne, adducéntur in templum regis.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 111. Dispérsit, dedit paupéribus ; justítia ejus manet in sæculum sæculi. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 20. c.

In illo témpore : Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis, adórans, et petens áliquid ab eo. Qui dixit ei : Quid vis ? Ait illi : Dic, ut sédeant hi duo fílii mei, unus ad déxteram tuam, et unus ad sinístram in regno tuo. Respóndens autem Jesus dixit : Nescítis quid petátis. Potéstis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus sum ? Dicunt ei : Póssumus. Ait illis : Cálicem quidem meum bibétis : sedére autem ad déxteram meam vel sinístram, non est

Digitized by Google

meum dare vobis, sed quibus parátum est a Patre meo.

Offertorium. Psalm. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sæculum sæculi.

Secreta.

Hóstiam quam in honórem beátæ Maríæ matris apostolórum Joánnis et Jacóbi, tuæ offérimus Majestáti, tu Deus sanctífica ; et nos fámulos tuos ejus participatióne dignos constítue. Per Dóminum.

Communio. ibid. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Postcommunio.

Oblàta tibi múnera, quæsumus, Dómine, ab omni nos mundent labe peccáti : et beátæ Maríæ matris apostolórum Joánnis et Jacóbi intercessióne, vitam nobis ímpetrent sempitérnam. Per Dóminum.

DIE 27. OCTOBRIS.

B. MARGARITÆ MARIÆ ALACOQUE VIRGINIS.

Ut in fine Missalis, die 17. hujus.

DIE 5. NOVEMBRIS.

TRANSLATIO CORPORIS S. BASSIANI EP. CONF.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. præter seq.

Oratio.

Magníficet te, Dómine, sancti Bassiáni Confessóris tui atque Pontíficis beáta translátio : qua et tuæ fecísti ostensiónem misericórdiæ, et opem nobis ineffábili providéntia contulísti. Per Dóminum.

DIE 13. NOVEMBRIS.

S. HOMOBONI CONF.

Missa. Justus. de Comm. Conf. non Pont. præter Orat.

Oratio

Deus, qui beátum Homobónum Confessórem tuum, pietátis et misericórdiæ donis insígnem, ad promissa misericórdibus præmia perduxísti : tríbue, quæsumus ; ut quem páuperum patrem in terris habúimus, tutórem propítium experiámur in cœlis. Per Dóminum.

DIE 14. NOVEMBRIS.

S. STANISLAI KOSTKÆ CONFESSORIS.

Ut in fine Missalis, die 13. hujus.

DIE 16. NOVEMBRIS.

S. DIDACI CONFESSORIS.

Missa ut in Missali, die 13. hujus.

DIE 27. NOVEMBRIS.

S. COLUMBANI ABBATIS.

Missa. Os justi. de Comm. Abbat.

Oratio.

Deus, qui in beáto Columbáno Abbáte evangelizándi munus, et monásticæ vitæ stúdium mirabíliter conjunxísti, præsta quæsumus ; ut ejus intercessióne et exémplo, nos spíritu per veram conversiónem renováti, mundi concupiscéntias superáre, et præmia cónsequi mereámur ætérna. Per Dóminum.

DIE 28. NOVEMBRIS.

S. JOSAPHAT EPISC. ET MART.

Ut in Missali, die 14. hujus.

DIE 29. NOVEMBRIS.

S. LEONARDI A PORTU MAURITIO CONF.

Ut in fine Missalis, die 26. hujus.

DIE 1. DECEMBRIS.

S. PROTASII EPISC. MED. CONF.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm.

DIE 5. DECEMBRIS.

S. MIROCLETIS EP. MED. CONF.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm.

DIE 10. DECEMBRIS.

TRANSLAT. ALMÆ DOMUS LAURETANÆ.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 18. DECEMBRIS.

EXSPECT. PARTUS B. M. V.

Missa ut in fine Missalis, hac die.

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS.

Abundii episc. conf. 6. Septembris. 17
Alberti de Quadrellis, episc. conf. 4. Julii. 12
Alexandri mart. 26. Augusti. 16
Alexandri Sauli episc. conf. 27. Aprilis. 7
Alexii conf. 30. Julii. 15
Ambrosii, Gervasii et Protasii, 14. Maji. 8
Anathalonis episc. conf. 25. Septembris. 17
Anselmi episc. conf. 20. Martii. 6
Apolloniæ virg. mart. 9. Februarii. 3
Aquilini presb. mart. 16. Februarii. 4
Augustini episc. conf. 3. Junii. 11
Babylæ episc. et trium puerorum, mart. 13. Februarii. 4
Bassiani episc. conf. 19. Januarii. 1
— Octava. 26. Januarii. 2
Benedicti Josephi Labre conf. 16. Aprilis. 7
Caji episc. conf. 27. Septembris. 18
Calimerii episc. mart. 11. Augusti. 15
Canuti regis mart. 21. Februarii. 4
Catharinæ virg. 14. Martii. 6
Columbani abbatis, 27. Novembris. 19
Commem. Omnium SS. Summ. Pont. Dom. I. post Oct. SS. Apost. Petri et Pauli. 13
Cosmæ et Damiani mart. 7. Octobris. 18
Cyriaci episc. conf. 27. Augusti. 17
Cyrilli episc. Alexandrini, conf. doct. 5. Martii. 5
Cyrilli ep. Hierosol. conf. doct. 23. Martii. 6
Cyrilli et Methodii episc. conf. 11. Julii. 13
Danielis mart. 20. Aprilis. 7
Didaci conf. 16. Novembris. 19
Dionysii episc. conf. 25. Maji. 10
Donati et Carpophori mart. 7. Septembris. 17
Eusebii episc. conf. 13. Augusti. 15
Faustini et Jovitæ mart. 15. Februarii. 4
Felicis a Cantalicio conf. 21. Maji. 10
Ferdinandi Regis conf. 30. Maji. 11
Firmi et Rustici mart. 9. Augusti. 15
Francisci Solani conf. 1. Junii. 11
Fulgentii episc. conf. 2. Martii. 4
Gabrielis archangeli 18. Martii. 6
Galdini episc. conf. 18. Aprilis. 7
Gavini et soc. mart. 25. Octobris. 18
Gregorii VII. papæ conf. 29. Maji. 11
Gualterii conf. 22. Julii. 14
Helenæ imperatricis vid. 9. Septembris. 17
Homoboni conf. 13. Novembris. 19
Honorati episc. conf. 12. Februarii. 4
Hyacinthi conf. 1. Septembris. 17
Impress. Stigmatum in corp. S. Francisci conf. 26. Septembris. 17
Inventii episc. conf. 8. Februarii. 3
Irenæi episc. mart. 3. Julii. 12
Japonensium mart. viginti sex. 13. Martii. 5
Joannis Bapt. de Rossi conf. 2. Junii. 11
Joannis Boni episc. conf. 6. Februarii. 3
Joannis Gualberti conf. 21. Julii. 14
Joannis Lauden. episc. conf. 22. Septembris. 17
Joannis Nepomucenci mart. 16. Maji. 10
Josaphat episc. mart. 28. Novembris. 19
Josephi Calasanctii conf. 3. Septembris. 17
Julianæ de Falconeriis virg. 20. Junii. 12
Julianæ Cornelionen. virg. 6. Aprilis. 7
Juliani episc. conf. 28. Januarii. 2
Juliani episc. conf. 12. Octobris. 18
Julii conf. 31. Januarii. 3
Laurentii a Brundusio conf. 7. Julii. 13
Leonardi a Portu Mauritio conf. 29. Novemb. 19
Ludovici Bertrandi conf. 11. Octobris. 18
Mansueti episc. conf. 19. Februarii. 4
Marcellinæ virg. 17. Julii. 14
Margaritæ de Cortona pœnit. 26. Februarii. 4
Margaritæ Mariæ Alacoque virg. 27. Octobris. 19
Mariæ Ægyptiacæ pœnit. 3. Aprilis. 6
Mariæ de Cervellione seu de Socos virg. 22. Octobris. 18
Mariæ Magdalenæ de Pazzis virg. 9. Junii. 12
Mariæ Magdalenæ pœnit. 24. Julii. 15
Mariæ B. V. Apparit. Immac. 11. Februarii. 4
— Apparit. in prato Mazzolengo. 26. Maji. 10
— Auxil. Christianorum. 24. Maji. 10
— Desponsat. 23. Januarii. 2
— Exspect. Partus. 18. Decembris. 19
— Translat. almæ Domus. 10. Decembris. 19
Mariæ Salome Viduæ. 26. Octobris. 18
Mart. Lauden. et S. Malusii, episcopi et mart. 21. Octobris. 18
Materni episc. conf. 14. Augusti. 15
Mauritii episc. conf. 13. Septembris. 17
Mirocletis episc. conf. 5. Decembris. 19
Mysteriorum et Instrument. Pass. D. N. J. C. 4
Naboris et Felicis mart. 12. Julii. 13
Nicolai et Soc. mart. Gorcom. 9. Julii. 13
Pantaleonis mart. 27. Julii. 15
Pauli a Cruce conf. 12. Maji. 8
Philippi Nerii conf. 8. Junii. 12
Protasii episc. conf. 1. Decembris. 19
Pulcheriæ imperatricis virg. 11. Septembris. 17
Raphaelis archang. 24. Octobris. 18
Raymundi de Pennafort conf. 28. Februarii. 4
Raynaldi a Cornovegio episc. conf. 18. Augusti. 16
Richardi regis conf. 7. Februarii. 3
Satyri conf. 17. Septembris. 17
Savinæ matronæ. 30. Januarii 2
Savini episc. conf. 17. Januarii. 1
Senatoris episc. conf. 28. Maji. 11
Septem fundatorum ord. serv. B. Mariæ V. 27. Februarii. 4
Simpliciani episc. conf. 19. Augusti. 16
Soteris virg. mart. 20. Februarii. 4
Stanislai Kostkæ conf. 14. Novembris. 19
Syri episc. conf. 17. Maji. 10
Thomæ a Villanova episc. conf. 3. Octobris. 18
Titi episc. conf. 3. Martii. 5
Titiani episc. conf. 11. Maji. 8
Translat. Corporis S. Bassiani episc. conf. 5. Novembris. 19
Ubaldi episc. conf. 23. Maji. 10
Ursulæ et soc. mart. 23. Octobris. 18
Victoris mart. 7. Junii. 11
Viginti sex mart. Japonen. 13. Martii 5
Vitalis et Valeriæ mart. 28. Aprilis. 8

Imprimatur. — Mechliniæ, die 11 Octobris 1909.

E. VAN ROEY, Vic. Gen.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN.

Digitized by Google

DIE 15. MAJI.

IN FESTO

B. MAGDALENÆ ALBRICIÆ VIRG.

ORD. EREMITARUM S. AUGUSTINI

Introitus. Psalm. 44.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem; proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. Ps. ibid. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus virginitátis amátor, qui beátam Magdalénam vírginem tuam salutíferæ passiónis ac mortis Jesu Christi Fílii tui stúdio succénsam, cœléstibus donis affluénter replevísti: da, quæsumus; ut cujus festum celebrámus, puritátem et caritátem imitémur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2. Cor. 10. d. et 11.

Fratres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me: æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Graduale. Ps. 44. Spécie tua, et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúia, allelúia. ℣. Adducéntur regi virgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúia.

¶Post Septuagesimam, omissis Allelúia.et versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 44. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam. ℣. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: filiæ regum in honóre tuo. ℣. Adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi. ℣. Afferéntur in lætítia, et exsultatióne: adducéntur in templum regis.

¶Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúia, allelúia. ℣. Adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúia. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes. Sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum. Prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes,

Digitized by Google

et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt : Date nobis de óleo vestro : quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes : Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus : et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes : Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait : Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium. Ps. 44. Fíliæ regum in honóre tuo, ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

Secreta.

Sacra dona mystérii tibi, Dómine, reverénter offérimus, et beátæ Magdalénæ vírginis tuæ méritis et intercessióne, salutária nobis semper fore concéde. Per Dóminum.

Communio. Matth. 25. Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus : média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit : exíte óbviam Christo Dómino.

Postcommunio.

Cœlésti dape refóctis concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut beátæ Magdalénæ vírginis exémpla secúti, Jesu Christi Fílii tui crucíátus sic pie sempérque recolámus, ut gáudiis tandem pérfrui mereámur ætérnis. Per eúmdem Dóminum.

Imprimatur. — Mechliniæ, die 9 Februarii 1909.

H. J. DE CLERCK, Vic. Gen.

MECHLINIÆ, H. DES SAIN.

Digitized by Google

DIE 25. MAJI.

IN FESTO

B. MAGDALENÆ SOPHIÆ BARAT

VIRGINIS.

Introitus. Ps. 44.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. Ps. ibid. **Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Dómine Jesu Christe qui beátam Magdalénam Sophíam, ad exémplum Cordis tui, humilitáte et caritáte mirabíliter decorásti et novam vírginum famíliam per eam floréscere voluísti: fac nos sanctíssimo Cordituo júgiter adhærére et ejúsdem imitatióne, tui gaudére consórtio. Qui vivis et regnas.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2. Cor. 10. d. et 11.

Fratres : Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est : sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me. Æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Graduale. Ps. 44. **Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.** ℣. **Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.**

Allelúia, allelúia. ℣. **Adducéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúia.**

¶ Post Septuages. omissis **Allelúia.** et ℣. sequenti, dicitur : Tractus. Ps. 44. **Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam : quia concupívit rex spéciem tuam.** ℣. **Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis : filiæ regum in honóre tuo.** ℣. **Adducéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi.** ℣. **Afferéntur in lætítia et exsultatióne : adducéntur in templum regis.**

¶ Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur : **Allelúia, allelúia.** ℣. **Adducéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúia.** ℣. **Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúia.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes : sed quinque fátuæ accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum : prudéntes vero accepérunt óleum in vasis

Digitized by Google

suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt : Date nobis de óleo vestro : quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes : Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus : et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes : Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait : Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium. Ps. 44. Fíliæ regum in honóre tuo, ástitit regína a déxtris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

Secreta.

Adésto Dómine supplicatiónibus nostris, adésto munéribus, ut interveniénte beáta Magdaléna Sophía, per humilitátem et caritátem Cordis tui nobis salutária reddántur. Qui vivis et regnas.

Communio. Matth. 25. Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus : média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit : exíte óbviam Christo Dómino.

Postcommunio.

Cœlésti dape refóctos, fac nos Dómine Jesu Christe, in humilitáte et caritáte Cordis tui créscere, quibus beátam Magdalénam Sophíam ad perénnem in cœlis glóriam provexísti. Qui vivis et regnas.

Imprimatur. — Mechliniæ, die 23 Septembris 1908.

H. J. DE CLERCK, Vic. Gen.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN.

Digitized by Google

13

MISSÆ PROPRIÆ

AD USUM CLERI DIŒCESANI

LUSATIÆ ET SAXONIÆ.

RATISBONÆ, ROMÆ, NEO EBORACI & CINCINNATI.

SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,

S. SEDIS APOST. ET S. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI.

MCMX.

Digitized by Google

Digitized by Google

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM

CLERI DIŒCESANI LUSATIÆ ET SAXONIÆ.

Januarius.

1 Circumcisio Domini. dupl. 2. class.
2 Octava S. Stephani Protomartyris. dupl. Commem. Octavarum S. Joannis et Ss. Innocentium.
3 Octava S. Joannis Apost. et Evang. dupl. Commem. Oct. Ss. Innocentium.
4 Octava Ss. Innocentium Mm. dupl.
5 Vigilia Epiphaniæ. semidupl. Commem. S. Telesphori Papæ, Mart.
6 Epiphania Domini. dupl. 1. class. cum Octava.
7 De Octava. semidupl.
8 De Octava. semidupl.
9 De Octava. semidupl.
10 De Octava. semidupl.
11 De Octava. semidupl. Commem. S. Hygini Papæ, Mart.
12 De Octava, vel de Dominica infra Octavam, quando occurrerit. semidupl.
13 Octava Epiphaniæ. dupl.
14 S. Hilarii Episc., Conf. et Eccl. Doct. dupl. Commem. S. Felicis Presb., Mart.
15 S. Pauli primi Eremitæ, Conf. dupl. Commem. S. Mauri Abbatis.
16 S. Marcelli I. Papæ, Mart. semidupl.
17 S. Antonii Abbatis. dupl.
18 Cathedra S. Petri Romæ. dupl. majus. Commem. S. Pauli Apost. ac S. Priscæ Virg. et Mart.
19 S. Canuti Regis, Mart. semidupl. ad lib. Commem. Ss. Marii et Soc. Mm.
20 Ss. Fabiani Papæ et Sebastiani Mm. dupl. 2. class.
21 S. Agnetis Virg. et Mart. dupl. maj.
22 S. Vincentii Mart. dupl.
23 Desponsatio B. M. V. dupl. maj. Commem. S. Joseph Sponsi, ac S. Emerentianæ Virg. et Mart.
24 S. Timothei Episc., Mart. dupl.
25 Conversio S. Pauli Apost. dupl. majus. Commem. S. Petri Apost.
26 S. Polycarpi Episc., Mart. dupl.
27 S. Joannis Chrysostomi Episc., Conf. et Eccl. Doct. dupl.
28 S. Agnetis secundo. simpl.
29 S. Francisci Salesii Episc., Conf. et Eccles. Doct. dupl.
30 S. Martinæ Virg. et Mart. semidupl.
31 S. Petri Nolasco Conf. dupl.

Festa mobilia.

Dominica II. post Epiphaniam: Ssmi Nominis Jesu. dupl. 2. class. Commem. Dom.
Dominica III. post Epiphaniam: Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph. dupl. maj. Commem. Dom.

Februarius.

1 S. Ignatii Ep., Mart. dupl. Commem. S. Brigidæ Virg.
2 Purificatio B. M. V. dupl. 2. class.
3 S. Blasii Ep., Mart. dupl. Commem. S. Wendelini Conf.
4 S. Andreæ Corsini Episc., Conf. dupl.
5 S. Agathæ Virg. et Mart. dupl.
6 S. Dorotheæ Virg. et Mart. dupl.
7 S. Romualdi Abbatis. dupl.
8 S. Joannis de Matha Conf. dupl.
9 S. Apolloniæ Virg. et Mart. dupl.
10 S. Scholasticæ Virg. dupl.
11 Apparitionis B. M. V. Immaculatæ. dupl. maj. (S. R. C. 13. Nov. 1907.)
12 Ss. Septem Fundatorum Ord. Serv. B. M. V. Conff. dupl. (d. a. ex 11. huj. S. R. C. 8. Jan. 1908.)
13 S. Erhardi Episc., Conf. dupl. (d. a. ex 8. Jan.)
14 Ss. Viginti sex Martyrum Japonens. (d. a. ex 5. huj.) dupl. Commem. S. Valentini Presb., Mart.
15 S. Cyrilli Episc. Alexandrini, Conf. et Eccl. Doct. dupl. (d. a. ex 9. huj.) Commem. Ss. Faustini et Jovitæ Mm.
16 S. Julianæ Virg. et Mart. semid.
17 S. Anastasii Mart. semid.
18 S. Raymundi de Peñafort Conf. semid. (d. a. ex 23. Jan.) Commem. S. Simeonis Episc., Mart.
19 S. Titi Ep., Conf. dupl. (d. a. ex 4. Jan. al. 6. Febr.)
20
21
22 Cathedra S. Petri Antiochiæ. dupl. maj. Commem. S. Pauli Apost.
23 S. Petri Damiani Episc., Conf. et Eccl. Doct. dupl. Commem. Vigiliæ.
24 S. Mathiæ Apost. dupl. 2. class.
25
26 S. Mechtildis Virg. dupl.
27 S. Margaritæ de Cortona Pœnit. semid. (d. a. ex heri.)
28

Festa mobilia.

Feria V. post Purificationem B. M. V.: Inventio Pueri Jesu. dupl. maj.
Feria III. post Dom. Septuagesimæ: Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti. dupl. maj.
Feria III. post Dom. Sexagesimæ: Commem. Passionis D. N. J. C. dupl. maj.
Feria III. post Dom. Quinquagesimæ: Commemoratio S. Bennonis Episc., Conf. semid.
Feria VI. post Cineres: Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C. dupl. maj. Commem. Feriæ.
Feria VI. post Dom. I. Quadragesimæ: Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. dupl. maj. Commem. Feriæ.

Digitized by Google

Martius.

1
2
3 S. Cunegundis Imperatricis, Virg. dupl.
4 S. Casimiri Conf. semid. Commem. S. Lucii I. Papæ, Mart.
5
6 Ss. Perpetuæ et Felicitatis Mm. dupl. (S. R. C. 25. Aug. 1909.)
7 S. Thomæ de Aquino Conf. et Eccl. Doct. dupl.
8 S. Joannis de Deo Conf. dupl.
9 S. Franciscæ Romanæ Viduæ. dupl.
10 Ss. Quadraginta Martyrum. semidupl.
11
12 S. Gregorii I. Papæ, Conf. et Eccl. Doct. dupl.
13
14 Beati Joannis Sarcander Mart. dupl.
15 S. Clementis Hofbauer Conf. dupl.
16
17 S. Patritii Episc., Conf. dupl. Commem. S. Gertrudis Virg.
18 S. Cyrilli Episc. Hierosolymitani, Conf. et Eccl. Doct. duplex.
19 S. Joseph Conf., Sponsi B. M. V., et Catholicæ Ecclesiæ Patroni. dupl. 1. class.
20
21 S. Benedicti Abbatis. dupl. maj.
22
23
24 S. Gabrielis Archangeli. duplex majus. (d. a. ex 18. huj.)
25 Annuntiatio B. M. V. dupl. 1. class.
26
27 S. Joannis Damasceni Conf. et Eccl. Doct. dupl.
28 S. Joannis a Capistrano Conf. semidupl.
29
30
31

Festa mobilia.

Feria VI. post Dom. II. Quadrag.: Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C. dupl. maj. Commem. Feriæ.
Feria VI. post Dom. III. Quadrag.: Sacrorum Quinque Vulnerum D. N. J. C. dupl. maj. Commem. Feriæ.
Feria VI. post Dom. IV. Quadrag.: Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. duplex majus. Commem. Feriæ.
Feria VI. post Dom. Passionis: Septem Dolorum B. M. V. dupl. maj. Commem. Feriæ.

Aprilis.

1
2 S. Francisci de Paula Conf. dupl.
3
4 S. Isidori Episc., Conf. et Eccl. Doct. dupl.
5 S. Vincentii Ferrerii Conf. dupl.
6 B. Julianæ Cornelionensis Virg. dupl. (d. a. ex heri.)
7
8
9
10
11 S. Leonis I. Papæ, Conf. et Eccl. Doct. dupl.
12
13 S. Hermenegildi Mart. semidupl.
14 S. Justini Mart. dupl. Commem. Ss. Tiburtii, Valeriani et Maximi Mm.
15
16
17 S. Aniceti Papæ, Mart. simpl.
18
19 S. Leonis IX. Papæ, Conf. semidupl.
20
21 S. Anselmi Episc., Conf. et Eccl. Doct. dupl.
22 Ss. Soteris et Caji Pontt. et Mm. semidupl.
23 S. Georgii Mart. dupl. Commem. S. Adalberti Episc., Mart.
24 S. Fidelis a Sigmaringa Mart. dupl.
25 S. Marci Evangelistæ. dupl. 2. class.
26 B. M. V. de Bono Consilio. dupl. maj.
27 Beati Petri Canisii Conf. dupl.
28 S. Pauli a Cruce Conf. dupl. Commem. S. Vitalis Mart.
29 S. Petri Mart. dupl.
30 S. Catharinæ Senen. Virg. dupl.

Festa mobilia.

Feria VI. post Dom. in Albis: Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. dupl. 2. class.
Dom. III. post Pascha: Patrocinii S. Joseph Conf., Sponsi B. M. V. dupl. 2. class. Commem. Dom.

Majus.

1 Ss. Philippi et Jacobi Apost. dupl. 2. class. Commem. S. Walburgæ Virg.
2 S. Athanasii Episc., Conf. et Eccl. Doct. dupl.
3 Inventio S. Crucis. duplex 2. class. Commemoratio Ss. Alexandri I. Papæ, et Soc. Mm., et S. Juvenalis Episc., Conf.
4 S. Monicæ Viduæ. dupl. Commem. S. Gothardi Episc., Conf.
5 S. Pii V. Papæ, Conf. dupl.
6 S. Joannis ante portam Latinam, Patroni Diœceseos principalis. dupl. 1. class. cum Octava.
7 S. Stanislai Episc., Mart. dupl. Commem. Oct.
8 Apparitio S. Michaëlis Archangeli. dupl. maj. Commem. Oct.
9 S. Gregorii Nazianzeni Episc., Conf. et Eccl. Doct. dupl. Commem. Oct.
10 S. Antonini Episc., Conf. dupl. Commem. Oct., ac Ss. Gordiani et Epimachi Mm.
11 S. Sigismundi Mart. dupl. (d. a. ex 2. huj.) Commem. Oct.
12 Ss. Nerei, Achillei et Domitillæ Virg., atque Pancratii Mm. semidupl. Commem. Oct.
13 Octava S. Joannis Apost. dupl. Commem. S. Servatii Episc., Conf.
14 Ss. Cleti et Marcellini Pontt., Mm. (d. a. ex 26. Apr.) semidupl. Commem. S. Bonifacii Mart.
15 S. Isidori Agricolæ, Conf. dupl.
16 S. Joannis Nepomuceni Mart. dupl. 2. class.
17 S. Paschalis Baylon Conf. dupl.
18 S. Venantii Mart. dupl.
19 S. Petri Cœlestini Papæ, Conf. dupl. Commem. S. Pudentianæ Virg.
20 S. Bernardini Senensis Conf. semidupl.
21 S. Felicis a Cantalicio Conf. semidupl.
22 S. Joannis Baptistæ de la Salle Conf. (Off. nov. ann. 1903.) (S. R. C. 10. Febr. 1901. d. a. ex 15. huj.) duplex.
23 S. Ubaldi Episc., Conf. semid. (d. a. ex 16. huj.)
24 B. M. V. titulo Auxilium Christianorum. dupl. maj.
25 S. Gregorii VII. Papæ, Conf. dupl. Commem. S. Urbani I. Papæ, Mart.
26 S. Philippi Nerii Conf. dupl. Commem. S. Eleutherii Papæ, Mart.
27 S. Bedæ Venerabilis Conf. et Eccl. Doct. (S. R. C. 13. Nov. 1899.) dupl. Commem. S. Joannis I. Papæ, Mart.
28 S. Augustini Episc., Conf. dupl.
29 S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. semiduplex. (d. a. ex 27. huj.)
30 S. Felicis I. Papæ, Mart. simpl.
31 S. Angelæ Mericiæ Virg. dupl. Commem. S. Petronillæ Virg.

Festum mobile.

Feria VI. post Octavam Corporis Christi: Sacratissimi Cordis Jesu. dupl. 1. class.

Digitized by Google

Junius.

1
2 S. Erasmi Episc., Mart. dupl. majus. Commem. Ss. Marcellini et Petri Mm.
3
4 S. Francisci Caracciolo Conf. dupl.
5 S. Bonifacii Episc., Mart. dupl. 2. class.
6 S. Norberti Episc., Conf. dupl.
7
8
9 Ss. Primi et Feliciani Mm. simpl.
10 S. Margaritæ Reginæ Scotiæ, Viduæ. semidupl.
11 S. Barnabæ Apost. dupl. maj.
12 S. Joannis a S. Facundo Conf. dupl. Commem. Ss. Basilidis et Soc. Mm.
13 S. Antonii de Padua Conf. dupl.
14 S. Basilii Magni Episc., Conf. et Eccl. Doct. dupl.
15 Ss. Viti, Modesti atque Crescentiæ Mm. semid.
16 S. Bennonis Episc., Conf., Patroni Diœceseos principalis. dupl. 1. class. cum Octava.
17 De Octava. semid.
18 De Octava. semid. Commem. Ss. Marci et Marcelliani Mm.
19 S. Julianæ de Falconeriis Virg. dupl. Commem. Oct., ac Ss. Gervasii et Protasii Mm.
20 De Octava. semidupl. Commem. S. Silverii Papæ, Mart.
21 S. Aloysii Gonzagæ Conf. dupl. maj. Commem. Oct.
22 Ss. Decem millium Militum Mm. dupl. Commem. Oct.
23 Octava S. Bennonis Episc., Conf. dupl. Commem. Vigiliæ.
24 Nativitas S. Joannis Baptistæ. duplex 1. classis cum Octav.
25 S. Gulielmi Abbatis. dupl. Commem. Oct.
26 Ss. Joannis et Pauli Mm. dupl. Commem. Oct.
27 S. Paulini Episc., Conf. dupl. (S. R. C. 9. Jun. 1909. d. a. ex 22. huj.) Commem. Oct.
28 S. Leonis II. Papæ, Conf. semidupl. Commem. Oct., et Vigiliæ.
29 Ss. Petri et Pauli Apost. dupl. 1. class. cum Octava. Commem. Omnium Ss. Apostolorum.
30 Commemoratio S. Pauli Apost. dupl. maj. Commem. S. Petri Apost., et Oct. S. Joannis.

Festa mobilia.

Dom. I. post Pent.: Ssmæ Trinitatis. dupl. 1. class. cum Octava. Commem. Dom.
Dom. II. post Pent.: Octava Ssmæ Trinitatis. dupl. Commem. Dom. et Oct. Ss. Corp. Chr.
Dom. post Festum Ss. Petri et Pauli Apost.: Dedicatio Ecclesiæ Aul. Dresd. dupl. 1. class. cum Oct. Commem. Dom.

Julius.

1 Octava S. Joannis Baptistæ. dupl. Commem. Octavæ Apostolorum.
2 Visitatio B. M. V. dupl. 1. class.
3 De Octava Ss. Apostolorum. semid.
4 S. Udalrici Episc., Conf. semid. Commem. Oct.
5 S. Antonii Mariæ Zaccaria Conf. dupl. (S. R. C. 11. et 22. Dec. 1897.) Commem. Oct.
6 Octava Ss. Apost. Petri et Pauli. dupl.
7 Ss. Cyrilli et Methodii Pontt., Conff. dupl. (d. a. ex 5. huj. S. R. C. 11. Dec. 1897.)
8 Ss. Chiliani Episc. et Soc. Mm. dupl.
9 S. Elisabeth Reginæ Portugalliæ, Viduæ. semiduplex. (d. a. ex heri.)
10 Ss. Septem Fratrum Mm., ac Ss. Rufinæ et Secundæ Virg. et Mm. semid.
11 S. Brictii Episc., Conf., Patroni Diœceseos minus principalis. dupl. maj. Commem. S. Pii I. Papæ, Mart.
12 S. Joannis Gualberti Conf. dupl. Commem. Ss. Naboris et Felicis Mm.
13 S. Margaritæ Virg. et Mart. dupl.
14 S. Bonaventuræ Episc., Conf. et Eccl. Doct. dupl.
15 Divisio Ss. Apostolorum. dupl. maj.
16 B. M. V. de Monte Carmelo. dupl. maj.
17 S. Alexii Conf. dupl.
18 S. Camilli de Lellis Conf. dupl. Commem. Ss. Symphorosæ et Septem Filiorum ejus Mm.
19 S. Vincentii a Paulo Conf. dupl.
20 S. Hieronymi Æmiliani Conf. dupl.
21 S. Henrici Imperat., Conf. dupl. (d. a. ex 15. huj.) Commem. S. Praxedis Virg.
22 S. Mariæ Magdalenæ Pœnitent. dupl.
23 S. Apollinaris Episc., Mart. dupl. Commem. S. Liborii Episc., Conf.
24 S. Anacleti Papæ, Mart. semidupl. (d. a. ex 13. huj.) Commem. Vigiliæ ac S. Christinæ Virg. et Mart.
25 S. Jacobi Apost. dupl. 2. class. Commem. S. Christophori Mart.
26 S. Annæ Matris B. M. V. dupl. 2. class.
27 S. Michaelis de Sanctis Conf. duplex. (d. a. ex 5. huj.) Commem. S. Pantaleonis Mart.
28 Ss. Nazarii, Celsi, Victoris I. Papæ, Mm., ac Innocentii I. Papæ, Conf. semidupl.
29 S. Marthæ Virg. dupl. Commem. Ss. Felicis II. Papæ, et Simplicii, Faustini ac Beatricis Virg. Mm.
30 Ss. Abdon et Sennen Mm. simpl.
31 S. Ignatii de Loyola Conf. dupl. maj.

Festa mobilia.

Dominica prima Julii: Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. dupl. 2. class. Commem. Dom.
Dom. prima non impedita post Oct. Ss. Apost. Petri et Pauli: Commemoratio omnium Ss. S. R. E. Summorum Pontificum. duplex. Commem. Dom.

Augustus.

1 S. Petri ad Vincula. dupl. maj. Commem. S. Pauli Apost., et Ss. Machabæorum Mm.
2 S. Alphonsi Mariæ de Liguori Episc., Conf. et Eccl. Doct. dupl. Commem. S. Stephani I. Papæ, Mart.
3 Inventio S. Stephani Protomartyris. semidupl.
4 S. Dominici Conf. dupl. maj.
5 Dedicatio B. M. V. ad Nives. dupl. maj. Commem. S. Oswaldi Regis, Mart.
6 Transfiguratio D. N. J. C. dupl. maj. Comem. Ss. Xysti II. Papæ, Felicissimi et Agapiti Mm.
7 S. Donati Episc., Mart., Patroni Diœc. secundarii. dupl. 2. class. Commem. Ss. Afræ et Soc. Mm.
8 Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm. semidupl.
9 S. Cajetani Conf. dupl. (d. a. ex 7. huj.) Commem. Vigiliæ, et S. Romani Mart.
10 S. Laurentii Mart. dupl. 2. class. cum Octava.
11 S. Philumenæ Virg. et Mart. dupl. Commem. Oct., ac Ss. Tiburtii et Susannæ Virg., Mm.
12 S. Claræ Virg. dupl. Commem. Oct.
13 De Octava. semid. Commem. Ss. Hippolyti et Cassiani Mm.
14 De Octava. semid. Commem. Vigiliæ, et S. Eusebii Conf.
15 Assumptio B. M. V. dupl. 1. class. cum Octava.
16 S. Hyacinthi Conf. dupl. Commem. Octavarum Assumptionis et S. Laurentii.
17 Octava S. Laurentii Mart. dupl. Commem. Octavæ Assumptionis.
18 S. Helenæ Imperatr., Viduæ. dupl. Commem. Oct. et S. Agapiti Mart.
19 S. Sebaldi Conf. dupl. Commem. Oct., et S. Magni Mart.
20 S. Bernardi Abbatis, Conf. et Eccl. Doct. duplex. Commem. Octavæ.
21 S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid. dupl. Commem. Oct.
22 Octava Assumptionis B. M. V. dupl. Commem. Ss. Timothei et Soc. Mm.
23 S. Philippi Benitii Conf. dupl. Commem. Vigiliæ.
24 S. Bartholomæi Apost. dupl. 2. class.
25 S. Ludovici Regis, Conf. semid.

Digitized by Google

26 S. Ludovici Episc. Tolosani, Conf. dupl. (d. a. ex 19. huj.) Commem. S. Zephyrini Papæ, Mart.
27 S. Josephi Calasanctii Conf. dupl.
28 S. Augustini Episc., Conf. et Eccl. Doct. duplex. Commem. S. Hermetis Mart.
29 Decollatio S. Joannis Baptistæ. dupl. maj. Commem. S. Sabinæ Mart.
30 S. Rosæ Limanæ Virg. dupl. Commem. Ss. Felicis et Adaucti Mm.
31 S. Raymundi Nonnati Conf. dupl.

Festa mobilia.

Dom. infra Oct. Assumpt.: S. Joachim Conf., Patris B. M. V. dupl. 2. class. Commem. Dom.
Dom. post Oct. Assumpt.: Purissimi Cordis B. M. V. dupl. maj. Commem. Dom.
Dom. I. (i. e. proxima Calendis) Septembris: Ss. Angelorum Custodum. dupl. 2. class. cum Octava. Commem. Dom.

September.

1 S. Ægidii Abbat. simplex. Commem. Ss. duodecim Fratrum Mm.
2 S. Stephani Hungariæ Regis, Conf. semidupl.
3
4 S. Rosaliæ Virg. dupl.
5 S. Laurentii Justiniani Episc., Conf. semidupl.
6 S. Albini Episc., Conf. dupl.
7
8 Nativitas B. M. V. dupl. 2. cl. cum Oct. Commem. S. Hadriani Mart.
9 De Octava. semidupl. Commem. S. Gorgonii Mart.
10 S. Nicolai de Tolentino Conf. dupl. Commem. Oct.
11 De Octava. semid. Commem. Ss. Proti et Hyacinthi Mm.
12 De Octava. semidupl.
13 De Octava. semidupl. Commem. S. Materni Episc., Conf.
14 Exaltatio S. Crucis. dupl. maj. Commem. Oct.
15 Octava Nativitatis B. M. V. dupl. Commem. S. Nicomedis Mart.
16 Ss. Cornelii Papæ et Cypriani Episc., Mm. semidupl. Commem. Ss. Euphemiæ et Soc. Mm.
17 Impressio Sacrorum Stigmatum S. Francisci Conf. dupl. Commem. S. Lamberti Episc., Mart.
18 S. Josephi a Cupertino Conf. dupl.
19 Ss. Januarii Episc. et Socior. Mm. dupl.
20 Ss. Eustachii et Socior. Mm. duplex. Commem. Vigiliæ.
21 S. Matthæi Apost. et Evang. dupl. 2. class.
22 Ss. Mauritii et Soc. Mm. dupl. Commem. S. Emmerami Episc., Mart.
23 S. Victoris Mart. dupl. Commem. S. Theclæ Virg. et Mart.
24 Beatæ Mariæ Virginis de Mercede. dupl. maj.
25 S. Thomæ de Villanova Episc., Conf. dupl. (d. a. ex 22. huj.)
26 Ss. Cypriani et Justinæ Virg. et Mm. simpl.
27 Ss. Cosmæ et Damiani Mm. semid.
28 S. Wenceslai Ducis, Mart. dupl.
29 Dedicatio S. Michaëlis Archangeli. dupl. 2. class.
30 S. Hieronymi Presb., Conf. et Eccl. Doct. dupl.

Festa mobilia.

Dom. I. (i. e. proxima Calendis) Sept.: Ss. Angelorum Custodum. dupl. 2. cl. cum Octava. Commem. Dom.
Dom. II. Septembris: Octava Ss. Angelorum Custodum. dupl. Commem. Dom.
Dom. infra Oct. Nativitatis B. M. V.: Ssmi Nominis Mariæ. dupl. maj. Commem. Dom.
Dom. III. Sept.: Septem Dolorum B. M. V. dupl. 2. cl. (S. C. R. 13. Maji 1908.) Commem. Dom.
Dom. IV. Sept.: Gaudiorum B. M. V. dupl. maj. Commem. Dom.

October.

1 S. Remigii Episc., Conf. semidupl.
2 S. Ottonis Episc., Conf. dupl.
3 S. Lini Papæ, Mart. semidupl. (d. a. ex 23. Sept.)
4 S. Francisci Conf. dupl. maj.
5 S. Hildegardis Virg. dupl. Commem. Ss. Placidi et Soc. Mm.
6 S. Brunonis Conf. dupl.
7 S. Marci Papæ, Conf. simpl. Commem. Ss. Sergii et Soc. Mm.
8 S. Birgittæ Viduæ. dupl.
9 Ss. Dionysii Episc., Rustici et Eleutherii Mm. dupl.
10 S. Francisci Borgiæ Conf. dupl. majus. Commem. Ss. Gereonis et Soc. Mm.
11
12
13 S. Eduardi Regis, Conf. semidupl.
14 S. Callisti I. Papæ, Mart. dupl.
15 S. Teresiæ Virg. dupl.
16 S. Galli Abbatis. semidupl.
17 S. Hedwigis Viduæ. dupl.
18 S. Lucæ Evangelistæ. dupl. 2. class.
19 S. Petri de Alcantara Conf. dupl.
20 S. Joannis Cantii Conf. dupl.
21 Ss. Ursulæ et Soc. Virg. et Mm. dupl. Commem. S. Hilarionis Abb.
22 Beatæ Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. dupl. (d. a. ex 17. huj.) Commem. S. Severi Episc., Conf.
23 Ssmi Redemptoris. dupl. maj. Commem. S. Severini Episc., Conf.
24 S. Raphaëlis Archangeli. dupl. maj.
25 Ss. Chrysanthi et Dariæ Mm. simpl.
26 S. Evaristi Papæ, Mart. simpl.
27 Vigilia.
28 Ss. Simonis et Judæ Apostol. dupl. 2. cl.
29
30
31 S. Wolfgangi Episc., Conf. dupl. Commem. Vigiliæ.

Festa mobilia.

Domin. I. Octobris: Solemnitas Ssmi Rosarii B. M. V. dupl. 2. class. Commem. Dom.
Domin. II. Octobris: Maternitatis B. M. V. dupl. maj. Commem. Dom.
Domin. III. Octobris: Puritatis B. M. V. dupl. maj. Commem. Dom.
Domin. IV. Octobris: Sacrar. Reliquiarum seu Sanctorum quorum Corpora vel Reliquiæ in Ecclesiis Regni Saxoniæ asservantur. dupl. maj. Commem. Dom.

November.

1 Omnium Sanctorum. dupl. 1. class. cum Octava.
2 De Octava. semidupl. Commem. Omnium Fidelium Defunctorum sub ritu duplici.
3 S. Huberti Episc., Conf. semidupl. Commem. Oct.
4 S. Caroli Episc., Conf. dupl. Commem. Octavæ et Ss. Vitalis et Agricolæ Mm.
5 De Octava. semidupl.
6 S. Leonardi Abbatis. dupl. Commem. Octavæ.
7 De Octava. semid. Commem. S. Willibrordi Episc., Conf.
8 Octava Omnium Sanctorum. dupl. Commem. Ss. Quatuor Coronatorum Mm.
9 Dedicatio Basilicæ Ssmi Salvatoris. duplex majus. Commem. S. Theodori Mart.
10 S. Andreæ Avellini Conf. dupl. Commem. Ss. Tryphonis et Soc. Mm.
11 S. Martini Episc., Conf. dupl. 2. class. Commem. S. Mennæ Mart.
12 S. Livini Episc., Mart. dupl.
13 S. Stanislai Kostkæ Conf. dupl.
14 S. Josaphat Episc., Mart. dupl.
15 S. Gertrudis Virg. dupl.
16 S. Martini I. Papæ, Mart. (d. a. ex 12. huj.) semidupl. Commem. S. Othmari Abbat.

Digitized by Google

17 S. Gregorii Thaumaturgi Episc., Conf. semidupl.
18 Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli Apostolor. duplex majus.
19 S. Elisabeth Viduæ. dupl. 2. cl. Commem. S. Pontiani Papæ, Mart.
20 S. Felicis de Valois Conf. dupl.
21 Præsentatio B. M. V. dupl. 2. class.
22 S. Cæciliæ Virg. et Mart. dupl.
23 S. Clementis I. Papæ, Mart. dupl. Commem. S. Felicitatis Mart.
24 S. Joannis a Cruce Conf. dupl. Commem. S. Chrysogoni Mart.
25 S. Catharinæ Virg. et Mart. dupl. 2. class.
26 S. Silvestri Abbat. dupl. Commem. S. Petri Alexandrini Episc., Mart., et S. Conradi Episc., Conf.
27 S. Nicasii Episc., Mart. dupl.
28 S. Didaci Conf. (d. a. ex 13. huj.) semidupl.
29 Vigilia. Commem. S. Saturnini Mart.
30 S. Andreæ Apost. dupl. 2. class.

Festa mobilia.

Dom. I. Novembris: Patrocinii B. M. V. dupl. maj. Commem. Domin.
Dom. post 11. Novembris: Dedicat. Ecclesiæ S. Petri Budissæ. dupl. 1. cl. cum Octav. Commem. Dom.
Dom. II. diem 11. Novembris insequ. ut supra: Octava Dedicat. Ecclesiæ S. Petri. dupl. Commem. Dom.

December.

1
2 S. Bibianæ Virg. et Mart. semidupl.
3 S. Francisci Xaverii Conf. dupl. maj.
4 S. Barbaræ Virg. et Mart. dupl.
5 S. Petri Chrysologi Episc., Conf. et Eccl. Doct. dupl. (d. a. ex heri) Commem. S. Sabbæ Abbatis.
6 S. Nicolai Episc., Conf. dupl.
7 S. Ambrosii Episc., Cf. et Eccl. Doct. dupl. Commem. Vigiliæ (in Missa tantum.)
8 Immaculatæ Conceptionis B. M. V. dupl. 1. class. cum Octava.
9 De Octava. semidupl.
10 Translationis Almæ Domus B. M. V. duplex majus. Commem. S. Melchiadis Papæ, Mart.
11 S. Damasi I. Papæ, Conf. semidupl. Commem. Octav.
12 De Octava. semidupl.
13 S. Luciæ Virg. et Mart. dupl. Commem. Octavæ.
14 De Octava. semidupl.
15 Octava Immaculatæ Conceptionis B. M. V. dupl.
16 S. Eusebii Episc., Mart. semidupl.
17 S. Lazari Episc., Conf. dupl.
18 Exspectatio Partus B. Mariæ V. dupl. maj.
19 S. Othiliæ Virg. dupl. maj.
20 Vigilia.
21 S. Thomæ Apostoli. dupl. 2. class.
22
23
24 Vigilia.
25 Nativitas D. N. J. C. dupl. 1. class. cum Octava.
26 S. Stephani Protomart. dupl. 2. class. cum Octava. Commem. Oct. Nativitatis, atque omnium Ss. Martyrum.
27 S. Joannis Apostoli et Evang. dupl. 2. class. cum Octava. Commem. Octavar.
28 Ss. Innocentium Mm. dupl. 2. class. cum Octava. Commem. Octavar.
29 S. Thomæ Cantuar. Episc., Mart. dupl. Commem. Quatuor Octavarum.
30 De Dominica infra Octavam Nativitatis, vel de ejus Octava. semidupl. Commem. aliarum trium Octav.
31 S. Silvestri I. Papæ, Conf. dupl. Commem. Quatuor Octavarum.

Digitized by Google

VICARIATUS APOSTOLICI IN SAXONIA

ET

PRÆFECTURÆ APOSTOLICÆ IN LUSATIA.

De legitima Sacræ Liturgiæ ordinatione in Regno Saxoniæ summopere sollicitus Rmus Dñus Ludovicus Wahl, Episcopus tit. Cocussen., Vicarius Apostolicus in Saxoniæ regno, Decanus Capituli Budissinensis et Administrator ecclesiasticus Episcopatus Misnensis per Lusatiam superiorem, Kalendarium perpetuum reformatum ad usum Cleri ejusdem Regni concinnare studuit omnem adhibens curam, ut cuncta in eo Rubricis atque Apostolicæ Sedis Decretis plane responderent, illudque supremæ Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papæ XIII. sanctioni humillime subjecit. Ejusmodi porro Kalendarium quum de mandato ipsius Sanctissimi Domini Nostri Sacra Rituum Congregatio juxta præfinitas regulas sedulo expenderit et ordinaverit ac probari posse censuerit, ast sub modo et forma, sicuti in superiori exemplari ponitur, a se revisum ac dispositum: Sanctitas Sua sententiam ejusdem Sacræ Congregationis ab infrascripto Cardinali eidem Sacro Cœtui Præfecto relatam, ratam habens, mandavit, ut idem Kalendarium a Clero ambarum Diœcesium in Regno Saxoniæ tam Sæculari, quam Regulari Diœcesanis Kalendariis utente, in Horis Canonicis persolvendis ac Missæ Sacrificio celebrando servari in posterum valeat.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12. Julii 1897.

(L. ✠ S.)

Card. Mazzella Ep. Prænestin. Præf.

D. Panici S. R. C. Secret.

Kalendarium hoc a S. R. Congregatione die 12. Julii 1897 approbatum et festis a Sede Apostolica abhinc Ecclesiæ universæ præscriptis auctum prelo mandavit et novæ editioni Proprii Misnensis apponi jussit

Budissæ, die 23. Julii 1910.

✠ **Aloysius Schäfer.**

Digitized by Google

PROPRIUM MISNENSE.

MISSÆ PROPRIÆ
IN USUM CLERI DIŒCESANI
LUSATIÆ ET SAXONIÆ.

FESTA DECEMBRIS.

Die 4. Decembris.
S. Barbaræ Virg. et Mart.

Missa Loquébar. ut in Communi Virg. et Mart. præter Orat. inter Missas pro aliqu. locis.

Die 17. Decembris.
S. Lazari a Christo Resuscitati
Episc., Conf.

Introitus. Ps. 3.

EGo dormívi et soporátus sum; et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Ps. ibid. Tu autem Dómine susceptor meus es, glória mea, et exáltans caput meum.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui per Unigénitum tuum beátum Lázarum quatriduánum mórtuum de monuménto resuscitásti: érige nos, quæsumus, de peccatórum túmulis; ut ab inférni faúcibus solúti, ipsum in ómnibus malis nobis imminéntibus, perpétuum apud te intercessórem et protectórem sentiámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Léctio Ezechiélis Prophétæ.
Ezech. 37. b.

Ecce ego apériam túmulos vestros, et edúcam vos de sepúlchris vestris. Et sciétis, quia ego Dóminus, cum aperúero sepúlchra vestra et edúxero vos de túmulis vestris, pópule meus: Et dédero spíritum meum in vobis, et vixéritis, et requiéscere vos fáciam super humum vestram: et sciétis, quia ego Dóminus locútus sum et feci, ait Dóminus Deus. Et scient Gentes, quia ego Dóminus sanctificátor Israël, cum fúerit sanctificátio mea in médio eórum in perpétuum.

Graduale. Zach. 4. Revérsus est Angelus, qui loquebátur in me, et suscitávit me, quasi virum, qui suscitátur a somno suo.

℣. Ps. 70. Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas, et malas; et convérsus vivificásti me: et de abýssis terræ íterum reduxísti me.

Allelúja, allelúja.

℣. Joann. 12. Testimónium perhibébat turba, quando Dóminus Lázarum vocávit de monuménto, et suscitávit eum a mórtuis. Allelúja.

Digitized by Google

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 2.

IN illo témpore: Erat quidam languens Lázarus a Bethánia, de castéllo Maríæ et Marthæ soróris ejus. Misérunt ergo soróres ejus ad Dóminum dicéntes: Dómine, ecce quem amas, infirmátur. Aúdiens autem Jesus dixit eis: Infírmitas hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificétur fílius Dei per eam. Ut ergo audívit, quia infirmabátur, tunc quidem mansit in eódem loco duóbus diébus. Deínde post hæc dixit discípulis suis: Lázarus amícus noster dormit; sed vado, ut a somno éxcitem eum. Dixérunt ergo discípuli ejus: Dómine, si dormit, salvus erit. Díxerat autem Jesus de morte ejus: illi autem putavérunt, quia de dormitióne somni díceret. Tunc ergo Jesus dixit eis maniféste: Lázarus mórtuus est; et gaúdeo propter vos, quóniam non eram ibi. Sed eámus ad eum. Venit ítaque Jesus, et invénit eum quátuor dies jam in monuménto habéntem. María ergo, cum venísset, ubi erat Jesus, videns eum, cécidit ad pedes ejus, et dicit ei: Dómine, si fuísses hic, non esset mórtuus frater meus. Jesus ergo, ut vidit eam plorántem, et Judæos, qui vénerant cum ea, plorántes, infrémuit spíritu, et turbávit seípsum, et dixit: Ubi posuístis eum? Dicunt ei: Dómine, veni, et vide. Et lacrimátus est Jesus. Dixérunt ergo Judæi: Ecce, quómodo amábat eum. Quidam autem ex ipsis dixérunt: Non póterat hic, qui apéruit óculos cæci nati, fácere, ut hic non morerétur? Jesus ergo rursum fremens in semetípso, venit ad monuméntum. Erat autem spelúnca, et lapis superpósitus erat ei. Ait Jesus: Tóllite lápidem. Dicit ei Martha soror ejus, qui mórtuus fúerat: Dómine, jam fœtet, quatriduánus est enim. Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi, quóniam si credíderis, vidébis glóriam Dei? Tulérunt ergo lápidem: Jesus autem elevátis sursum óculis, dixit: Pater, grátias ago tibi, quóniam audísti me. Ego autem sciébam, quia semper me audis, sed propter pópulum, qui circúmstat, dixi: ut credant, quia tu me misísti. Hæc cum dixísset, voce magna clamávit: Lázare, veni foras. Et statim pródiit, qui fúerat mórtuus, ligátus pedes et manus ínstitis, et fácies illíus sudário erat ligáta. Dixit eis Jesus: Sólvite eum, et sínite abíre. Multi ergo ex Judæis, qui vénerant ad Maríam et Martham, et víderant, quæ fecit Jesus, credidérunt in eum.

Offertorium. Ps. 45. Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram.

Secreta.

Sanctífica, quæsumus Dómine, munus oblátum, quod in nobis sanctificatiónem cleménter operétur: ut, sicut in mirífica beáti Lázari suscitatióne te verum Deum, et hóminem confitémur; ita per illum benedíctio tua super nos copiósa descéndat: ut a nostris liberémur delíctis, tuæque sumámus indulgéntiæ largitátem. Qui vivis et regnas.

Communio. Joann. 2. Multi ex Judæis, qui vénerant ad Maríam et Martham, et víderant, quæ fécerat Jesus, credidérunt in eum.

Digitized by Google

Postcommunio.

Sumpta, quæsumus Dómine, sacraménta cœléstia a sepúlchris vitiórum nos érigant: et beáti Lázari méritis a languóre córporis et ánimæ custódiant, tuæque propitiatiónis contínuum præstent auxílium; ut nostræ petitiónis efféctum felíciter consequámur. Per Dóminum nostrum.

Die 19. Decembris.

S. Othiliæ Virginis.

Missa Vultum tuum. de Communi Virginis.

Oratio.

Deus, illuminátor ómnium géntium, qui mira ópera virtútis tuæ in beáta Othília Vírgine tua mirabíliter demonstrásti: quæsumus imménsam cleméntiam tuam; ut, sicut ab illa natívæ cæcitátis ténebras effugásti, ita nobis corporális lúminis grátiam, et ætérnæ claritátis glóriam largiáris. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, servitútis nostræ offérimus in beátæ Othíliæ Vírginis tuæ solemnitáte deprecántes: ut, qui ei dedísti grátiam Sancti Spíritus, eámdem étiam córdibus nostris cleménter infúndas. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Adjuvent nos, quæsumus Dómine, et hæc mystéria sancta, quæ súmpsimus; et intercedénte beáta Othília Vírgine tua a cunctis nos erróribus éxuant, et ad gaúdia ætérna perdúcant. Per Dóminum.

FESTA JANUARII.

Die 22. Januarii.

S. Vincentii Martyris.

Introitus. Ps. 63.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. Ps. ibid. Exaúdi Deus oratiónem meam, cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Adésto, quæsumus Dómine, supplicatiónibus nostris: ut, qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus; beáti Vincéntii Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 51.

Confitébor tibi, Dómine Rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum: confitébor nómini tuo: quóniam adjútor, et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me: a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus: de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa: laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum: quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de mánibus géntium, Dómine Deus noster.

Digitized by Google

Graduale. Ps. 36. Justus cum cecíderit, non collidétur; quia Dóminus suppónit manum suam. ℣. Tota die miserétur, et cómmodat: et semen ejus in benedictióne erit.

Allelúja, allelúja.

℣. Joann. 8. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris: sed habébit lumen vitæ ætérnæ. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet: si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi minístráverit, honorificábit eum Pater meus.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta.

MÚnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio. Joann. 12. Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit.

Postcommunio.

QUæsumus, omnípotens Deus: ut, qui cœléstia aliménta percépimus; intercedénte beáto Mártyre tuo Vincéntio, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

FESTA FEBRUARII.

Die 1. Februarii.

S. Ignatii Episc., Mart.

Pro Commemor. S. Brigidæ Virg.

Oratio.

EXaúdi nos, Deus salutáris noster: ut sicut de beátæ Brígidæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Secreta.

ACcépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio.

SAtiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum nostrum.

Die 3. Februarii.

S. Blasii Episc., Mart.

Pro Commem. S. Wendelini Conf.

Oratio.

ECclésiam tuam, quæsumus Dómine, beáti Wendelíni Con-

Digitized by Google

fessóris tui solémnitas votíva lætíficet: ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gaúdiis perfruátur ætérnis. Per Dóminum.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Postcommunio.

Refécti cibo potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Die 6. Februarii.

S. Dorotheæ Virg. et Mart.

Missa Me exspectavérunt. de Communi Virg. et Mart.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, in cujus nómine gloriósa Virgo et Martyr Doróthea multórum tormentórum génera superávit: te supplíciter exorámus; ut ejus méritis et précibus cuncta perícula devincámus, ipsámque célerem adjutrícem in ómnibus nostris necessitátibus sentiámus. Per Dóminum.

Secreta.

Hóstias tibi, Dómine, beátæ Dorótheæ Vírginis et Mártyris tuæ dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Divíni múneris largitáte satiáti, quæsumus Dómine Deus noster: ut intercedénte beáta Doróthea Vírgine et Mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

Die 9. Februarii.

S. Apolloniæ Virg. et Mart.

Missa Loquébar. de Communi Virg. et Mart.

Oratio.

Ætérne ac mitíssime Deus, qui ad toleránda pro tui Nóminis glória torménta carnis, spíritu fortitúdinis eléctos tuos roboráre non desístis: concéde propítius, ut qui gloriósæ Vírginis ac Mártyris tuæ Apollóniæ martýrium recólimus; méritis ipsíus et précibus ab omni languóre córporis et ánimæ prótegi, et éripi mereámur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Súscipe Dómine múnera, quæ in beátæ Apollóniæ Vírginis et Mártyris tuæ, solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Postcommunio.

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et intercedénte beáta Apollónia Vírgine et Mártyre tua, sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum.

Die 13. Februarii.

S. Erhardi Episc., Conf.

Missa Sacerdótes tui. de Communi Conf. Pont. 2. loco.

Oratio.

Deus, qui hodiérnam diem nobis in beáti Erhárdi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte tribuísti: adésto propítius Ecclésiæ tuæ précibus; ut, cujus gloriátur méritis, muniátur et suffrágiis. Per Dóminum.

Digitized by Google

Secreta.

Sacrifícium tibi, Dómine, laudis offérimus pro sancti celebritáte Erhárdi Pontíficis; ut propitiatiónem tuam, quam nostris opéribus non merémur, pii suffragatóris intercessiónibus assequámur. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Tua sancta suméntes, quæsumus Dómine Deus noster: ut beáti Erhárdi Confessóris tui atque Pontíficis, nos fóveant continuáta præsídia. Per Dóminum.

Die 16. Februarii.

S. Julianæ Virg. et Mart.

Missa Me exspectavérunt. de Communi Virg. et Mart.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: da nobis in festivitáte sanctæ Juliánæ, Vírginis et Mártyris tuæ, cóngrua devotióne gaudére; ut et poténtiam tuam in ejus passióne laudémus, et provísum nobis percipiámus auxílium. Per Dóminum.

Secreta.

In sanctæ Juliánæ, Vírginis et Mártyris tuæ, passióne pretiósa te, Dómine, mirábilem prædicántes, múnera votíva deférimus: præsta, quæsumus; ut sicut ejus tibi grata sunt mérita; sic nostræ servitútis accépta tibi reddántur offícia. Per Dóminum.

Postcommunio.

Libántes Dómine mensæ tuæ beáta mystéria, quæsumus: ut sanctæ Juliánæ Vírginis et Mártyris tuæ interventiónibus, et præséntem nobis misericórdiam cónferant, et ætérnam. Per Dóminum.

Die 17. Februarii.

S. Anastasii Martyris.

Missa In virtúte. de Communi unius Mart. non Pont.

Oratio.

Adésto, quæsumus Dómine, supplicatiónibus nostris: ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus; beáti Anastásii Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum nostrum.

Evangel. Si quis venit. e Missa Státuit. de Communi unius Mart. Pont.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária te miseránte reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui cœléstia aliménta percépimus; intercedénte beáto Mártyre tuo Anastásio, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

Die 26. Februarii.

S. Mechtildis Virginis.

Missa Dilexísti. de Communi Virg.

Oratio.

Deus, qui in devotíssimo beátæ Mechtíldis Vírginis tuæ corde jucúndam tibi mansiónem constituísti: da nobis quæsumus, ejúsdem Vírginis intercessióne, dum vívimus, a terrénis semper ad cœléstia spíritu sublevári, et cum ea in resurrectióne justórum páriter triumpháre. Per Dóminum.

Digitized by Google

Secreta.

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus quæsumus semper interventióne nos réfove; cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum nostrum.

Feria V. post Festum Purificationis B. M. V.

Inventionis Ss. Pueri Jesu.

Introitus. Ps. 47.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam, in médio templi tui: secúndum nomen tuum Deus; sic et laus tua in fines terræ: justítia plena est déxtera tua.

Ps. ibid. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis: in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Tuæ, quæsumus, Dómine, propitiatiónis respéctum ad fidéles tuos benígnus convérte: ut, qui beátæ Maríæ Vírgini Matri tuæ, per tríduum quæsítus, tandem in templo apparuísti; te quoque nobis osténdere in aula glóriæ dignéris. Qui vivis et regnas.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 3.

In léctulo meo per noctem quæsívi, quem díligit ánima mea: quæsívi illum, et non invéni. Surgam, et circuíbo civitátem: per vicos et platéas quæram, quem díligit ánima mea: quæsívi illum, et non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem: Num, quem díligit ánima mea, vidístis? Paúlulum cum pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea: ténui eum: nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ, et in cubículum genitrícis meæ.

Graduale. Ps. 45. Adjuvábit eam Deus vultu suo. Deus in médio ejus non commovébitur.

℣. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 44. Unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. Allelúja.

Post Septuagesimam omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 44. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam.

℣. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: fíliæ regum in honóre tuo.

℣. Adducéntur Regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi.

℣. Afferéntur in lætítia, et exsultatióne: adducéntur in templum Regis.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2. f.

Cum factus esset Jesus annórum duódecim, ascendéntibus illis Jerosólymam secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos, et notos. Et non

Digitized by Google

inveniéntes, regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum. Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos, et interrogántem eos. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntia, et respónsis ejus. Et vidéntes admiráti sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? ecce pater tuus, et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est, quod me quærebátis? Nesciebátis, quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Et mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Et Jesus proficiébat sapiéntia, et ætáte, et grátia apud Deum, et hómines. Credo.

Offertorium. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Secreta.

Da, quæsumus clementíssime Pater, per hujus Sacraménti virtútem nobis spirituálium grátiam gaudiórum: ut, sicut Unigénitus tuus a Vírgine Matre mœste quæsítus, et lætánter invéntus fúerat; sic nos post hujus mundi misérias te in ætérna claritáte cum gaúdio invenire mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Præfat. de Nativitate Domini.

Communio. Luc. 2. Fili, quid fecísti nobis sic? Ego et pater tuus doléntes quærebámus te. Et quid est, quod me quærebátis? Nesciebátis, quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse?

Postcommunio.

Suscépimus, Dómine, salútis nostræ sacraménta, quorum prætéxtu supplíciter te deprecámur: ut in te sit nostræ mentis jubilátio, qui gloriósæ Vírgini Matri tuæ post temporálem tristítiam infiníta gaúdia contulísti. Qui vivis et regnas.

Feria III. post Dominicam in Quinquagesima.

Commemoratio

S. Bennonis Episc., Conf.

Missa Státuit. ut in Communi Conf. Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Bennónis Pontíficis confessióne gloriósa circúmdas, et prótegis: da nobis et ejus imitatióne profícere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum.

Evangel. Vigiláte. e Missa Sacerdótes tui. de eodem Communi Conf. Pont.

Secreta.

Sanctus tuus, quæsumus Dómine, Benno Conféssor et Póntifex nos ubíque lætíficet: ut, dum ejus recólimus mérita gloriósa, apud te semper patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Quæsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut sancti tui Bennónis Confessóris atque Pontíficis, cujus commemoratiónem celebrámus, étiam intercessióne adjuvémur. Per Dóminum.

Digitized by Google

FESTA MARTII.

Die 3. Martii.

S. Cunegundis Imperatr., Virg.

Missa **Vultum tuum.** de Communi Virginis.

Evangel. **Accessérunt.** ex Missa **Me exspectavérunt.** de Communi Virg. et Mart. 2. loco.

Die 14. Martii.

Beati Joannis Sarcander Mart.

Missa **Lætábitur.** de Communi unius Mart.

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem Mártyrem tuum in confessióne veræ fídei, et sacramentális siléntii custódia, virtúte constántiæ roborásti: præsta, quæsumus; ut contra advérsa ómnia ejus muniámur exémplis, et protegámur auxíliis. Per Dóminum nostrum.

In Quadrag. fit Commem. Feriæ.

Secreta.

Múnera tibi Dómine, obláta sanctífica: et beáti Joánnis Mártyris tui intercessióne placátus, præsta; ut qui ejus gloriósa confessióne lætámur, fídei constántiam imitémur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sit nobis, Dómine, reparátio mentis et córporis cœléste mystérium: quod beáto Joánni Mártyri tuo constántiam in agóne præstitit, palmámque triúmphi. Per Dóminum nostrum.

Temp. Pasch. dic. Missa **Protexísti.** de Communi Mart. temp. Pasch., cum Orat. ut supra, et Evang. **Nihil est opértum.** ex Missa **Lætábitur.**

Die 15. Martii.

Sancti Clementis Mariæ Hofbauer Conf.

Missa **Justus ut palma.** de Communi Conf. non Pont. 2. loco, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Cleméntem Maríam miro fídei róbore et invíctæ constántiæ virtúte decorásti: ejus méritis et exémplis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide et caritáte fervéntes; ut prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

In Quadrag. fit Commem. Feriæ.

Secreta.

Ille nos, quæsumus Dómine, devotiónis ignis accéndat; quo beátus Clemens María, dum salutárem offérret hóstiam, júgiter flagrávit. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cœlésti pane refóctis concéde nobis, omnípotens Deus: ut beáti Cleméntis exémplo in fortitúdine cibi illíus usque ad montem, qui Christus est, felíciter perveniámus. Qui tecum vivit et regnat.

Die 17. Martii.

S. Patricii Episc., Conf.

Pro Commem. S. Gertrudis Virg.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátam Gertrúdem Vírginem tuam, ex regáli stirpe progénitam, speciáli hospitalitátis grátia sublimásti: concéde propítius; ut ejus méritis et précibus, tam præsens quam futúrum hospítium nostræ fragilitáti cóngruum et tuæ majestáti gratióse semper inveniámus accéptum. Per Dóminum.

Digitized by Google

Secreta.

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove; cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum nostrum.

FESTA APRILIS.

Die 19. Aprilis.

S. Leonis IX. Papæ, Conf.

Missa Státuit. de Communi Conf. Pont.

Die 23. Aprilis.

S. Georgii Martyris.

Pro Commemoratione S. Adalberti Episc., Mart.

Oratio.

Tuam nobis indulgéntiam, quæsumus Dómine, beátus Adalbértus Epíscopus et Martyr implóret: ut et delícta nobis cleménter ignóscas; et benefícia desideráta concédas. Per Dóminum.

Secreta.

Sacrifícium exhíbitum, quæsumus Dómine, benígnus assúme: ut, quod nómini tuo in solemnitáte beáti Adalbérti Mártyris tui atque Pontíficis deférimus, nobis prosit ad véniam. Per Dóminum.

Postcommunio.

Refécti, Dómine, munéribus sacris súpplices te deprecámur: ut indulgéntiam tuam nobis intercéssio beáti Adalbérti Mártyris tui atque Pontifícis semper implóret. Per Dóminum nostrum.

Feria VI. post Domin. in Albis.

Ss. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.

Introitus.

Fodérunt manus meas, et pedes meos, dinumeravérunt ómnia ossa mea: et sicut aqua effúsus sum. Allelúja, allelúja, allelúja.

Ps. ibid. Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui pro salúte mundi passus es de corde tuo aquam et sánguinem per lánceam mílitis emanáre: concéde propítius; ut sacratíssimi córporis tui perfóssio peccatórum nostrórum sit plena remíssio. Qui vivis.

Léctio Zacharíæ Prophétæ.

Zach. 12. c. et 13. c.

Hæc dicit Dóminus: Effúndam super domum David, et super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ et precum: et aspícient ad me, quem confixérunt: et plangent eum planctu quasi super unigénitum, et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Jerúsalem, et dicétur ei: Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Et dicet: His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me. Frámea suscitáre super pastórem meum, et super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum: pércute pastórem, et dispergéntur oves: ait Dóminus omnípotens.

Digitized by Google

Allelúja, allelúja.

℣. Ave rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obédiens, ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansuétus ad occisiónem. Allelúja.

℣. Tibi glória, hosánna: tibi triúmphus et victória: tibi summæ laudis et honóris coróna. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 19. f.

IN illo témpore: Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto, hyssópo circumponéntes, obtulérunt ori ejus. Cum ergo accepísset Jesus acétum, dixit: Consummátum est. Et inclináto cápite trádidit spíritum. Judæi ergo (quóniam Parascéve erat), ut non remanérent in cruce córpora sábbato: (erat enim magnus dies ille sábbati), rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Venérunt ergo mílites: et primi quidem fregérunt crura, et altérius, qui crucifíxus est cum eo. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura: sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimónium perhíbuit: et verum est testimónium ejus.

Credo.

Offertorium. Insurrexérunt in me viri iníqui, absque misericórdia quæsiérunt me interfícere, et non pepercérunt in fáciem meam spúere: lánceis suis vulneravérunt me, et concússa sunt ómnia ossa mea. Allelúja, allelúja.

Secreta.

Sanctíficet nos, quæsumus Dómine, hoc sanctum et immaculátum sacrifícium vespertínum: quod unigénitus Fílius tuus in cruce óbtulit pro salúte mundi: Qui tecum vivit et regnat.

Præfatio de Cruce.

Communio. Vidébunt in quem transfixérunt, cum moveréntur fundaménta terræ. Allelúja, allelúja.

Postcommunio.

Dómine Jesu Christe, qui temetípsum in cruce holocaústum immaculátum et spontáneum Deo Patri obtulísti: quæsumus; ut ejúsdem sacrifícii oblátio veneránda indulgéntiam nobis obtíneat et glóriam sempitérnam. Qui vivis et regnas.

FESTA MAJI.

Die 1. Maji.

Ss. Philippi et Jacobi Apost.

In privatis Missis pro Commemor. S. Walburgæ Virginis.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, castórum córporum conservátor, et custos: piis Ecclésiæ tuæ précibus adésse dignáre, et intercedénte beáta Walbúrga, Vírgine tua, méntibus nostris pius illábere, et spiritális vitæ nobis tríbue puritáte gaudére. Per Dóminum.

Secreta.

Concéde nobis, quæsumus Dómine, ut hæc hóstia salutáris intercedénte beáta Walbúrga Vírgine tua, et nostrórum fiat purgátio delictórum, et tuæ propitiátio majestátis. Per Dóminum.

Digitized by Google

Postcommunio.

Purificent et múniant nos tua semper sacraménta Deus: et intercedénte beáta Walbúrga Vírgine tua ad perpétuæ nos ducant salvatiónis efféctum. Per Dóminum nostrum.

Die 4. Maji.

S. Monicæ Viduæ.

Pro Commem. S. Gothardi Episc., Confessoris.

Oratio.

Exaúdi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Gothárdi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári; ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Da nobis, quæsumus Dómine, tuæ pietátis efféctum: et intercedénte beáto Gothárdo Confessóre tuo atque Pontífice, múnera nostra propítius intuére. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Quos donis cœléstibus satiásti: sancti Gothárdi Confessóris tui atque Pontíficis, Dómine, defénde præsídiis; ut nóxiis ómnibus expediti post salutária tua toto corde currámus. Per Dóminum.

Die 6. Maji.

S. Joannis ante portam Latinam Apost. et Evang., Patroni.

Duplex 1. classis cum Octava.

Omnia ut in Missali Romano.

Die 11. Maji.

(d. a. ex 2. Maji.)

S. Sigismundi Regis, Mart.

Missa Protexísti. ut in Communi unius Mart. temp. Pasch., præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, cujus natúra bónitas, cujus volúntas poténtia, cujus opus misericórdia est: quæsumus Dómine, ut præcláris beáti Sigismúndi Mártyris tui méritis tua bónitas convértat nos a malis, et consérvet in bonis, tua volúntas perficiátur in nobis, tua misericórdia salvet nos; ut, sicut tua volúntas sua bonitáte non potest privári, ita numquam nos patiáris a tua misericórdia, grátia, et protectióne separári. Per Dóminum.

Secreta.

Miserére Dómine supplícibus tuis, ut per hæc sancta, quæ tuæ majestáti pro commemoratióne sancti Sigismúndi Mártyris tui offérimus, supérnæ benedictiónis grátiam obtineámus, et glóriam ætérnæ beatitúdinis acquirámus. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Sanctíficet nos Dómine sacraménti salutáris percéptio: et intercedéntibus méritis beáti Sigismúndi Mártyris tui, ab ómnibus tueátur advérsis; ut post hujus exsílii labóres ad réquiem tandem perducámur opuléntam. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Digitized by Google

Die 13. Maji.

In Octava

S. Joannis ante portam Latinam Apost. et Evang., Patroni.

Pro Commem. S. Servatii Episc., Confessoris.

Oratio.

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Servátium Epíscopum minístrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Secreta.

Hæc oblátio Dómine Deus intercedénte beáto Servátio Pontífice nos ab ómnibus emúndet peccátis, et tota virtúte tuis fáciat servíre mandátis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Salútis nostræ læti libántes mystéria, præsta, quæsumus, Dómine: ut beáti Servátii Pontíficis tui semper nos ádjuvet orátio, et tua nos semper custódiat protéctio. Per Dóminum nostrum.

FESTA JUNII.

Die 2. Junii.

S. Erasmi Episc., Mart.

Missa Sacerdótes Dei. de Communi unius Mart. et Pont.

Oratio.

Omnis bonitátis orígo et consummátio Deus: cujus grátia beátus Erásmus Martyr et Antístes præclárus diversórum vicit géнera tormentórum; fac nos, quæsumus, ejus précibus et méritis cunctas inimicórum nostrórum insídias superáre, et ab omni angústia córporis et ánimæ liberári. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Ss. Marcellini et Petri Martyrum.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Marcellíni et Petri solemnitáte lætíficas: præsta quæsumus; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Offérimus tibi Dómine sacrifícium pro veneránda mártyris tui atque Pontíficis Erásmi passióne, deprecántes cleméntiam tuam: ut per hæc sacrosáncta mystéria antíqui hostis tentaménta vincámus, et ætérnæ remuneratiónis prémium te largiénte consequámur. Per Dóminum nostrum.

Pro Ss. Marcellino et Petro.

Secreta.

Hæc hóstia, quæsumus Dómine, quam sanctórum Mártyrum tuórum natalítia recenséntes offérimus: et víncula nostræ pravitátis absólvat, et tuæ nobis misericórdiæ dona concíliet. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Gaúdeat, quæsumus Dómine, pópulus tuus semper benedictióne sancta: ut intercessióne beáti Erásmi Mártyris tui atque Pontíficis temporálibus benefíciis adjuvétur, et erudiátur ætérnis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Digitized by Google

Pro Ss. Marcellino et Petro.
Postcommunio.

Sacro múnere satiáti, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut, quod débitæ servitútis celebrámus offício; salvatiónis tuæ sentiámus augméntum. Per Dóminum.

Die 15. Junii.

Ss. Viti, Modesti et **Crescentiæ** Martyrum.

Missa ut in Missali eadem die.

Si ratione Patrocinii vel Missæ votivæ de solo S. Vito Missa dicenda sit, tempore Paschali dicitur Missa Protexísti.

Extra tempus Paschale Missa Lætábitur.

Die 16. Junii.

S. Bennonis Episc., Conf., Patroni Diœcesis.

Duplex 1. classis cum Octava.

Introitus. Eccli. 45.

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dignitas in ætérnum. Ps. 131. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Bennónis Pontíficis confessióne gloriósa circúmdas et prótegis: da nobis et ejus imitatióne profícere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 44. et 45.

Ecce Sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum, et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo.

℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi. Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 109. Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 24. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti: quia, qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invéne-

Digitized by Google

rit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum. Credo.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Sanctus tuus, quæsumus Dómine, Benno Conféssor et Póntifex nos ubíque lætíficet: ut, dum ejus recólimus mérita gloriósa, apud te semper patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Quæsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut sancti tui Bennónis Confessóris atque Pontíficis, cujus solémnia celebrámus, étiam intercessióne adjuvémur. Per Dóminum.

Die 22. Junii.

Ss. Decem millium Militum Mm.

Introitus. Ps. 36.

Salus autem justórum a Dómino: et protéctor eórum est in témpore tribulatiónis.

Ps. ibid. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui ad imitándum passiónis tuæ exémplum, beátum Hermoláum, Alexándrum, Marcum, et cum eis decem míllia Mártyrum crucis supplícium subíre voluísti: tríbue, quæsumus; ut, qui eórum passiónem venerámur in terris, passiónis tuæ remédia cónsequi mereámur in cœlis. Qui vivis.

Pro Commem. Oct. S. Bennonis.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Bennónis Pontíficis confessióne gloriósa circúmdas et prótegis: da nobis et ejus imitatióne profícere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 7. c.

IN diébus illis: Respóndit unus de senióribus, et dixit mihi: Hi, qui amícti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venérunt? Et dixi illi: Dómine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus: et qui sedet in throno, habitábit super illos: non esúrient neque sítient ámplius, nec cadet super illos sol neque ullus æstus: quóniam Agnus, qui in médio throni est, reget illos, et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum: et abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum.

Graduale. Ps. 33. Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

℣. Juxta est Dóminus his, qui tribuláto sunt corde: et húmiles spíritu salvábit.

Allelúja, allelúja.

℣. Te Mártyrum candidátus laudat exércitus, Dómine. Allelúja.

Digitized by Google

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 5.

IN illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et apériens os suum docébat eos, dicens: Beáti paúperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti mites: quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent: quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt et sítiunt justítiam: quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes: quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti estis, cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: gaudéte, et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlis. Credo ratione Oct.

Offertorium. Sap. 3. Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace, allelúja.

Secreta.

Súscipe múnera, quæsumus omnípotens Deus, pro fílii tui passióne recolénda obláta, et concéde: ut sanctórum Crucifixórum Mártyrum méritis adjuvémur, quorum, per hæc sancta, passiónem digníssimam venerámur. Per eúmdem Dóminum.

Pro S. Bennone. Secreta.

Sanctus tuus, quæsumus Dómine, Benno Conféssor et Póntifex nos ubíque lætíficet: ut dum ejus recólimus mérita gloriósa; apud te semper patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio. Matth. 10. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, dicit Dóminus: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta.

Postcommunio.

Súmpsimus, Dómine, Corpus et Sánguinem Fílii tui, sanctórum Crucifixórum Mártyrum solémnia celebrántes, quorum méritis, ejúsdem Christi Fílii tui passióne, a cunctis perículis eruámur. Qui tecum vivit.

Pro S. Bennone.

Postcommunio.

Quæsumus Dómine salutáribus repléti mystériis: ut sancti tui Bennónis Confessóris atque Pontíficis, cujus solémnia celebrámus; étiam intercessióne adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

FESTA JULII.

Die 4. Julii.

S. Udalrici Episc., Conf.

Missa Sacerdótes tui. de Communi Conf. Pont.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ánnuo recúrsu depositiónis sancti Udalríci Confessóris tui atque Pontíficis lætíficas: ejus suffragántibus méritis concéde; ut ab imminéntibus perículis liberémur, et ætérnis gaúdiis pérfrui mereámur. Per Dóminum.

Evang. Homo péregre. e Missa Státuit. de Communi Conf. Pont.

Secreta.

Hæc tibi, quæsumus Dómine, beáti Udalríci Confessóris

Digitized by Google

tui atque Pontíficis grata reddátur oblátio, et nostrum famulátum purificet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta, quæsumus; ut beáti Udalríci Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus ejus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum nostrum.

Die 8. Julii.

Ss. Chiliani Episc. et **Soc.** Mm.

Missa Salus autem; ut supra p. 15*, in Festo Ss. Decem millium Martyrum præter Orationes sequ.

Oratio.

Deus, qui hodiérna die beátum Chiliánum Mártyrem tuum atque Pontíficem virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi ad prædicándum géntibus glóriam tuam Colománnum et Totnánum sociáre dignátus es: tríbue nobis, quæsumus; ex eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

Secreta.

Hóstia Dómine, quam sanctórum Mártyrum tuórum Chiliáni, Colománni, et Totnáni natalítia recensántes offérimus, quæsumus: ut víncula nostræ pravitátis absólvat, et tuæ nobis misericórdiæ dona concíliet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui cœléstia aliménta percépimus; intercedéntibus sanctis Mártyribus tuis Chiliáno, Colománno, et Totnáno per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

Die 11. Julii.

S. Brictii Episc. Martulani, Conf., Compatroni Diœcesis.

Missa Sacerdótes tui. ut in Communi Conf. Pont., præter Orationes sequentes.

Oratio.

Móveat pietátem tuam, quæsumus Dómine, subjéctæ tibi plebis afféctus, et misericórdiam tuam supplicátio fidélis obtíneat: ut, quod méritis non præsúmit; per intercessiónem sancti Bríctii Confessóris tui atque Pontíficis indulgéntiæ tuæ largitáte percípiat. Per Dóminum nostrum.

Pro Commem. S. Pii Papæ, Mart. Oratio Infirmitátem. ex Missa Státuit. de Communi Mart. Pont.

Secreta.

Propitiáre, quæsumus Dómine, supplicatiónibus nostris: et interveniénte pro nobis beáto Bríctio Confessóre tuo atque Pontífice, his sacraméntis cœléstibus serviéntes, ab omni malo líberos esse concéde; ut purificánte nos grátia tua hisce, quibus famulámur, mystériis emundémur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Bríctio Confessóre tuo atque Pontífice benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Die 13. Julii.

(In Missali Romano 20. hujus.)

S. Margaritæ Virg. et Mart.

Missa Me exspectavérunt. ut in Communi Virg. et Mart.

Digitized by Google

Oratio.

Deus, qui beátam Margarítam Vírginem hodiérna die per martýrii palmam ad cœlos veníre fecísti: concéde nobis, quæsumus; ut ejus exémpla sequéntes ad te perveníre mereámur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Hæc víctima, quæsumus Dómine, pro beátæ Vírginis Margarítæ martýrio obláta, et méntium nobis sanctitátem, et córporum obtíneat sanitátem. Per Dóminum.

Postcommunio.

Hujus, Dómine, perceptióne sacraménti et beátæ Margarítæ Vírginis et Mártyris intercessióne, et tu in nobis manére dignáre, et nos in te vicíssim manére concéde. Per Dóminum nostrum.

Die 15. Julii.

Divisionis Ss. Apostolorum.

Introitus. Ps. 138.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Ps. ibid. Dómine probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui in tuórum divisióne Apostolórum géntium multitúdinem in unitáte fídei ad agnitiónem tui sancti nóminis convocásti: aures tuæ pietátis Ecclésiæ précibus inclína et concéde; ut quorum prædicatióne te cognóvimus, horum obténtu in confessióne veritátis tuæ fidéliter firmitérque maneámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 10. b.

Fratres: Corde enim créditur ad justítiam: ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis, qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi, et Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes, qui ínvocant illum. Omnis enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem aúdient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt, nisi mittántur? sicut scriptum est: Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona. Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

Graduale. Ps. 44. Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja. ℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 9.

In illo témpore: Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem, et potestátem super ómnia dæmónia, et ut languóres

Digitized by Google

curárent. Et misit illos prædicáre regnum Dei, et sanáre infírmos. Et ait ad illos: Nihil tuléritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecúniam, neque duas túnicas habeátis. Et in quamcúmque domum intravéritis, ibi manéte, et inde ne exeátis. Et quicúmque non recéperint vos: exeúntes de civitáte illa, étiam púlverem pedum vestrórum excútite in testimónium supra illos. Egréssi autem circuíbant per castélla evangelizántes, et curántes ubíque.

Credo.

Offertorium. Ps. 18. In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta.

Glóriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam veneránte, quæsumus: ut eam, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum.

Præfatio de Apost.

Communio. Matth. 19. Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israël.

Postcommunio.

Percéptis, Dómine, sacraméntis supplíciter exorámus: ut intercedéntibus sanctis Apóstolis tuis, quæ pro illórum veneránda gérimus divisióne, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

FESTA AUGUSTI.

Die 5. Augusti.

In Dedicatione **S. Mariæ ad Nives.**

Pro Commemor. S. Oswaldi Regis, Martyris.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus: qui beátum Oswáldum Mártyrem tuum benígnæ largitátis honóre palmáque martýrii decorásti: concéde nobis per ejus virtútem præséntis vitæ necessitátem; ut, cujus memóriam ágimus in terris, ejus apud te patrocínium sentiámus in cœlis. Per Dóminum.

Secreta.

Munéribus nostris, quæsumus Dómine, precibúsque susceptis, et cœléstibus nos munda mystériis, et cleménter exaúdi. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Da, quæsumus Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne sanctórum, temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Die 7. Augusti.

S. Donati Episc., Mart., Patroni Diœcesis.

Introitus. Dan. 3.

Sacerdótes Dei benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde laudáte Deum. Ps. ibid. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte, et superexaltáte eum in sæcula. ℣. Glória Patri.

Digitized by Google

Oratio.

Deus, tuórum glória sacerdótum: præsta, quæsumus; ut sancti Mártyris tui et Epíscopi Donáti, cujus festa gérimus, sentiámus auxílium. Per Dóminum.

In Missis privatis pro Commemor. Ss. Afræ et Sociar. Mm. non Virg.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Dómine Deus noster, sanctárum Mártyrum tuárum Afræ et Sociárum ejus, palmas incessábili devotióne venerári: ut quas digna mente non póssumus celebráre; humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli. Jac. 1.

Caríssimi: Omne gaúdium exístimáte, cum in tentatiónes várias incidéritis: Sciéntes, quod probátio fídei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet: ut sitis perfécti et íntegri in nullo deficiéntes. Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et non impróperat: et dábitur ei. Póstulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur et circumfértur. Non ergo æstimet homo ille, quod accípiat áliquid a Dómino. Vir duplex ánimo incónstans est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua: dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos fœni transíbit: exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit fœnum, et flos ejus décidit, et decor vultus ejus depériit: ita et dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja.

℣. Justus non conturbábitur: quia Dóminus firmat manum ejus. Allel.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vidéte, vigiláte, et oráte: nescítis enim quando tempus sit. Sicut homo, qui péregre profectus relíquit domum suam, et dedit servis suis potestátem cujúsque óperis, et janitóri præcépit ut vígilet. Vigiláte ergo, (nescítis enim, quando dóminus domus véniat: sero, an média nocte, an galli cantu, an mane) ne cum vénerit repénte, invéniat vos dormiéntes. Quod autem vobis dico, ómnibus dico: Vigiláte. Credo.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Præsta, quæsumus Dómine: ut sancti Mártyris tui et Epíscopi Donáti intercessióne, quem ad laudem nóminis tui dicátis munéribus honorámus; piæ nobis fructus devotiónis accréscat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit.

Digitized by Google

Pro Ss. Afra et Soc. Mm.

Secreta.

Inténde, quæsumus Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Mártyrum tuárum Afræ et Sociárum ejus festivitáte propósita: ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum nostrum.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Omnípotens et miséricors Deus, qui nos sacramentórum tuórum et partícipes éfficis et minístros: præsta, quæsumus; ut intercedénte beáto Donáto Mártyre tuo atque Pontífice, ejúsdem proficiámus et fídei consórtio et digno servítio. Per Dóminum.

Pro Ss. Afra et Soc. Mm.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis: ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum nostrum.

Die 19. Augusti.

S. Sebaldi Confessoris.

Missa Os justi. ut in Communi Conf. non Pont., præter Orationes sequentes.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui vitam sancti Sebáldi Confessóris tui per hujus sæculi ærúmnas laudábilem transíre fecísti: quæsumus; ut ejus intercessióne plebem cleméntiæ tuæ supplicántem in præsénti commemoratióne fóveas, et post hujus vitæ cursum ad cœléstia regna perdúcas. Per Dóminum nostrum.

Pro Commem. Octav. Assumpt. B. Mariæ V.

Oratio.

Famulórum tuórum, quæsumus Dómine, delíctis ignósce: ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus; Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur.

Pro Commem. S. Magni Mart.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: et intercedénte beáto Magno Mártyre tuo ab hóstium nos defénde propitiátus incúrsu. Per Dóminum.

Evang. Nemo lucérnam accéndit. ut in Festo S. Martini Episc. die 11. Novembris.

Propter Octav. dicitur Credo.

Secreta.

Propitiáre, quæsumus Dómine, nobis fámulis tuis per sancti Confessóris tui Sebáldi mérita gloriósa: ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Pro Octav. Assumpt. B. M. V.

Secreta.

Subvéniat, Dómine, plebi tuæ Dei Genitrícis orátio: quam etsi pro conditióne carnis migrásse cognóscimus, in cœlésti glória apud te pro nobis intercédere sentiámus.

Digitized by Google

Pro Sancto Magno Mart.

Secreta.

Præsta nobis, quæsumus omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos páriter mente et córpore sanctíficet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Exaúdi Dómine preces nostras: ut sancti Sebáldi Confessóris tui, cujus hódie festa celebrámus; méritis et précibus æternitátis glóriam consequámur. Per Dóminum.

Pro Octav. Assumpt. B. M. V.

Postcommunio.

Mensæ cœléstis partícipes effécti, implorámus cleméntiam tuam, Dómine Deus noster: ut, qui Assumptiónem Dei Genitrícis cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne liberémur.

Pro Sancto Magno Martyre.

Postcommunio.

Tua sancta suméntes, Dómine, quæsumus: ut beáti Magni Mártyris tui nos fóveant continuáta præsídia. Per Dóminum.

FESTA SEPTEMBRIS.

Die 6. Septembris.

S. Albini Episc., Conf.

Missa Státuit. de Communi Conf. Pontif.

Oratio.

Deus, qui ánimam beáti fámuli tui Albíni Confessóris atque Pontíficis per sanctos Angelos tuos ad te perduxísti: præsta, quæsumus; ut ejus méritis et précibus ánimas nostras ad te, qui vere Paradísus es, cleménter suscípere dignéris. Per Dóminum.

Evangel. Homo quidam nóbilis. habetur in Festo S. Ludovici Conf. 25. Augusti.

Secreta.

Súscipe, quæsumus Dómine, hanc oblatiónem, quam tibi ad laudem et honórem sancti Albíni Confessóris tui atque Pontíficis offérimus: ut, qui tibi plácuit in terris, ejus précibus adjuvémur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Súmpsimus Dómine sacraménta cœléstia: præsta, quæsumus; ut beáti Albíni Confessóris tui atque Pontíficis précibus et méritis adjuvémur, cujus hódie festivitáte lætámur. Per Dóminum.

Die 13. Septembris.

Infra Octavam **Nativitatis B. M. V.**

Pro Commem. S. Materni Episc., Confessoris.

Oratio.

Deus, qui beátum Matérnum Confessórem tuum atque Pontíficem per mérita beáti Petri Apóstoli tui quadragésima die a morte resuscitásti, et eúmdem per annos quadragínta pontificáli ínfula laudabíliter decorásti: concéde nobis, quæsumus; ut, quem tot miráculis in terra coruscáre vidémus, ejus apud tuam misericórdiam précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Secreta.

Hæc hóstia, quæsumus Dómine, intercedénte beáto Matérno Pontífice nos ab ómnibus

Digitized by Google

mundet peccátis, et tota virtúte tuis fáciat inhærére mandátis. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut beáti Matérni Pontíficis tui nos semper ádjuvet orátio, et tua semper custódiat protéctio. Per Dóminum.

Die 17. Septembris.

Impressio Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.

Pro Commem. S. Lamberti Episc., Martyris.

Oratio.

Deus, qui hujus diéi venerándam solemnitátem in beáti Lambérti Mártyris tui atque Pontíficis tránsitu decorásti: adésto famíliæ tuæ précibus; et da ut, cujus hódie festa celebrámus, ejus méritis et intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Præséntia múnera, quæsumus Dómine, ita seréna puritáte intuére, ut Sancti Spíritus perfundántur benedictióne, et in nostris córdibus eam dilectiónem valídius infúndant, per quam sanctus Martyr Lambértus ómnia córporis torménta devícit. Per Dóminum .... in unitáte ejúsdem.

Postcommunio.

Súmpsimus, Dómine, in sancti Lambérti Mártyris tui atque Pontíficis solemnitáte cœléstia sacraménta: ejus suffrágiis, quæsumus, largiáris; ut, quod temporáliter gérimus, ætérnis gaúdiis consequámur. Per Dóminum.

Die 22. Septembris.

Ss. Mauritii et **Soc.** Mm.

Missa propr. ut in Missali Rom.

Pro Commemor. S. Emmerami Episc., Mart.

Oratio.

Deus, qui beátum Emmerámum Mártyrem tuum atque Pontíficem inter víncula líberum, inter torménta secúrum, grátiæ tuæ ubertáte fecísti: quæsumus cleméntiam tuam; ut in nobis flammas corporálium passiónum misericórdiæ tuæ imbre exstínguas, et ignem beátæ caritátis cleménter infúndas. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Múnera nostra, Dómine, benígno vultu súscipe et concéde: ut beáti Emmerámi précibus salutária reddántur, pro cujus veneránda passióne ante conspéctum divínæ majestátis tuæ deferúntur. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Grátiam tuam, quæsumus Dómine, hujus virtúte mystérii, intercedénte beáto Emmerámo Mártyre tuo atque Pontífice, córdibus nostris infúnde et præsta: ut in cujus veneránda depositióne hæc percépimus, ejus instruámur exémplis, muniámur et méritis. Per Dñm.

Die 23. Septembris.

S. Victoris Martyris.

Introitus. Ps. 63.

ætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. Ps. ibid. Exaúdi Deus oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Digitized by Google

Oratio.

Adésto Dómine supplicatiónibus nostris: ut, qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus; beáti Victóris Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Pro Commem. S. Theclæ Virginis et Martyris.

Oratio.

Da, quæsumus omnípotens Deus: ut, qui beátæ Theclæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, et ánnua solemnitáte lætémur, et tantæ fídei proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2. Tim. 2. et 3.

Caríssime: Memor esto, Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale. Ps. 36. Justus cum cecíderit, non collidétur: quia Dóminus suppónit manum suam.

℣. Tota die miserétur, et cómmodat: et semen ejus in benedictióne erit.

Allelúja, allelúja.

℣. Joann. 8. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris: sed habébit lumen vitæ ætérnæ. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 16. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta.

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Pro S. Thecla. Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in beátæ Theclæ Vírginis et Mártyris tuæ solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum nostrum.

Communio. Joann. 12. Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit.

Digitized by Google

Postcommunio.

Quæsumus omnípotens Deus: ut, qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Victóre Mártyre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Thecla. Postcommunio.

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et intercedénte beáta Thecla Vírgine et Mártyre tua sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum.

Dominica IV. Septembris.

Gaudiorum B. M. V.

Introitus. Isai. 61.

Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo: quia índuit me vestiméntis salútis, et quasi sponsam ornátam monílibus suis circúmdedit me.

Ps. 144. Exaltábo te Deus meus rex: et benedícam nómini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui hodiérnæ diéi jucunditátem in Jesu Christi et Maríæ laúdibus nos venerári fecísti: præsta quæsumus, ut, qui ejúsdem Matris Gaudiórum memóriam celebrámus; a piíssimi Fílii tui et Matris ejus grátia numquam excidámus. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Prov. 31.

Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas.

Graduale. Ps. 45. Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus non commovébitur.

℣. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Allelúja, allelúja.

℣. Unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. Allel.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1. d.

In illo témpore: Exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda, et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero ejus, et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth, et exclamávit voce magna, et dixit: Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in aúribus meis, exsultávit in gaúdio infans in útero meo. Et beáta quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María: Magníficat ánima mea Dóminum, et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Credo.

Offertorium. Ps. 44. Afferéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia, et exsultatióne: adducéntur in templum regi Dómino.

117

Digitized by Google

Secreta.

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam, atque præséntem hæc oblátio nobis proficiat prosperitátem et pacem: ac post hanc vitam nos ad gaúdia perdúcat ætérna. Per Dóminum.

Communio. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Postcommunio.

Repléti vitálibus alimóniis et divínis reparáti mystériis, súpplices te rogámus omnípotens Deus: et beátæ Maríæ semper Vírginis, cujus lætabúnda celebrámus Gaúdia; pia interventióne, quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Dóminum.

FESTA OCTOBRIS.

Die 2. Octobris.

S. Ottonis Episc., Conf.

Introitus. Eccli. 45.

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dignitas in ætérnum. Ps. 131. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, cujus virtúte beátus Otto Confléssor tuus et Póntifex ad solidándum in fide gentes incrédulas rápidi flúminis cursum prece restrínxit: concéde propítius, ut, qui in terris doctor factus est infidélium populórum; pro nobis pius intercéssor efficiátur ad te in cœlis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 44.

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et inventus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum, et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo.

℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 109. Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 19. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini,

Digitized by Google

dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens cum usúris útique exegíssem illam? Et adstántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Hujus oblatiónis hóstiam, quæsumus Dómine, per mérita sancti Ottónis Confessóris tui atque Pontíficis sanctífica: ut peccatórum nostrórum máculas, ejus apud te déleant meritórum suffrágia. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut hæc indúlta sacraménti cœléstis commúnio beáto Ottóne Confessóre tuo atque Pontífice intercedénte, nobis proficiat ad prosperitátem et pacem; qui fecit idolólatras tuæ fídei cognóscere veritátem. Per Dóminum.

Die 5. Octobris.

S. Hildegardis Virginis.

Missa Dilexísti. de Communi Virg.

Die 10. Octobris.

S. Francisci Borgiæ Conf.

Pro Commem. Ss. Gereonis, Victoris, Cassii, Florentii et Soc. Mm.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Gereónis, Victóris, Cássii, atque Floréntii, Sociorúmque eórum solemnitáte lætíficas: præsta, quæsumus; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Secreta.

Múnera Dómine, quæ pro Mártyrum tuórum Gereónis, Victóris, Sociorúmque eórum solemnitáte deférimus, propítius súscipe: et mala ómnia, quæ merémur, eórum intercessióne avérte. Per Dóminum nostrum.

Digitized by Google

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus, salutáribus repléti mystériis: ut, quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

Die 16. Octobris.

S. Galli Abbatis.

Missa Os justi. de Communi Abbatis.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et **Soc.** Virgg. et Mm.

Introitus. Eccli. 33.

IN multitúdine sapiéntiæ suæ separávit me Dóminus, et immutávit viam meam: Benedíxit mihi, et me ad se applicávit.

Ps. 118. Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Dómine Deus noster: sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus, palmas incessábili devotióne venerári; ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Pro Commem. S. Hilarionis Abb.

Oratio.

Intercéssio nos, quæsumus Dómine, beáti Hilariónis Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 7. e.

Fratres: De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit: tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudéntes: et qui emunt, tamquam non possidéntes: et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: præterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est, quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo, cógitat quæ Dómini sunt; ut sit sancta córpore et spíritu: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 149. Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis. ℣. Cantáte Dómino cánticum novum: laus ejus in Eccléstia Sanctórum.

Allelúja, allelúja.

℣. Adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc:

Digitized by Google

Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes. Sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum. Prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non suffíciat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus; et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem neque horam.

Offertorium. Ps. 44. Afferéntur Regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia, et exsultatióne: adducéntur in templum regi Dómino.

Secreta.

Inténde, quæsumus Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus festivitáte propósita: ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Hilarione Abbate.

Secreta.

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Hilárion Abbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum nostrum.

Communio. Matth. 25. Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit: exíte óbviam Christo Dómino.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Virgínibus et Martýribus tuis Ursula et Sociábus ejus: ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Hilarione Abbate.

Postcommunio.

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Hilárion Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum nostrum.

Die 22. Octobris.

(In Missali Rom. 17. huj.)

B. Margaritæ Mariæ Alacoque

Virginis.

Pro Commem. S. Severi Ep., Conf.

Oratio.

Deus, qui hodiérnam diem sacratíssimam nobis in beáti Sevéri Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte tribuísti: adésto propítius Ecclésiæ tuæ précibus; ut, cujus gloriámur méritis, muniámur et suffrágiis. Per Dóminum.

Digitized by Google

Secreta.

Sacrifícium tibi, Dómine, laudis offérimus pro sancti Confessóris tui Sevéri veneratióne: ut propitiatiónem tuam, quam nostris opéribus non merémur, pii suffragatóris intercessiónibus assequámur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Tua sancta suméntes, quæsumus Dómine Deus noster: ut beáti Sevéri Confessóris tui atque Pontíficis nos fóveant continuáta præsídia. Per Dóminum.

Die 23. Octobris.

Sanctissimi Redemptoris.

Pro Commem. S. Severini Episc., Confessoris.

Oratio.

Misericórdiam tuam nobis Dómine, quæsumus, interveniénte beáto Severíno Confessóre tuo atque Pontífice cleménter impénde: et nobis peccatóribus ipsíus propitiáre suffrágiis. Per Dóminum.

Secreta.

Sancti Confessóris tui atque Pontíficis Severíni, quæsumus Dómine, veneránda solémnitas tuæ pietáti sacrifícium nostrum reddat accéptum: ut per hanc hóstiam salutárem et véniam consequámur et grátiam. Per Dóminum.

Postcommunio.

Beáti Severíni Confessóris tui atque Pontíficis, Dómine, précibus confidéntes quæsumus cleméntiam tuam: ut per ea, quæ súmpsimus, ætérna remédia capiámus. Per Dóminum.

FESTA NOVEMBRIS.

Die 3. Novembris.

S. Huberti Episc., Conf.

Missa Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco, præter Orat.

Oratio.

Deus, qui perénnem glóriam sancti Hubérti Confessóris tui atque Pontíficis ánimæ contulísti: tríbue quæsumus; ejus nos apud te ita patrocíniis adjuvári, ut cum eo vitam possideámus ætérnam. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Octavæ et dicitur Credo. ratione Octavæ.

Secreta.

Hæc hóstia, quæsumus Dómine, quam in sancti Hubérti Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte tibi offérimus: ejus suffragántibus méritis, et víncula peccatórum nostrórum absólvat, et ætérnæ beatitúdinis partícipes effíciat. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Beáti Confessóris tui atque Pontíficis Hubérti interventióne suffúlti: súpplices te Dómine deprecámur; ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum nostrum.

Die 6. Novembris.

S. Leonardi Abbatis.

Missa Os justi. ut in Communi Abbatum, præter Orat. sequ.

Oratio.

Majestáti tuæ, quæsumus Dómine, sancti Confessóris tui Leonárdi nos pia júgiter commendet orátio: ut, quem devóto venerámur obséquio; ipsíus suffrágio sublevémur optáto. Per Dóminum.

Digitized by Google

Deinde fit Commemor. Omnium Sanctorum.

Secreta.

Súscipe, Dómine, sacrifícium placatiónis et laudis: quod nos fámulos tuos intercedénte beáto Leonárdo Confessóre tuo et perdúcat ad véniam et remédia cónferat nobis sempitérna. Per Dóminum nostrum.

2. Secreta de Omnibus Sanctis.

Postcommunio.

Grátiam tuam Dómine implorámus: ut, qui cœlésti nos medéla reparáre dignátus es; des peccátis nostris véniam, sicut beáto Leonárdo Confessóri tuo dedísti vitam perpétuam. Per Dóminum nostrum.

2. Postcommunio de Omnibus Sanctis.

Die 7. Novembris.

Infra Octav. **Omnium Sanctorum.**

Pro Commemoratione S. Willibrordi Episc., Conf.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui es sanctórum tuórum splendor mirábilis, quique hodiérna die beátum Willibrórdum Confessórem tuum atque Pontíficem ætérnæ beatitúdinis glória sublimásti: concéde propítius; ut, qui ejus mérita venerámur in terris, intercessiónis ejus auxílio apud tuam misericórdiam muniámur in cœlis. (Per Dóminum nostrum.)

Secreta.

Propitiáre, quæsumus Dómine, supplicatiónibus nostris, et interveniénte pro nobis sancto Willibrórdo Confessóre tuo atque Pontífice, his sacrifíciis cœléstibus serviéntes, ab omni malo líberos esse concéde: ut purificánte nos grátia tua, hisce, quibus famulámur, mystériis emundémur. (Per Dóminum nostrum.)

Postcommunio.

Sancti tui, Dómine, Confessóris atque Pontíficis Willibrórdi tríbue nos supplicatióne fovéri: ut, cujus depositiónem ánnuo celebrámus obséquio; ejus apud te intercessiónibus et méritis commendémur. (Per Dóminum.)

Die 12. Novembris.

S. Livini Episc., Mart.

Missa In virtúte. ut in Communi unius Mart. non Pont.

Oratio.

Déxtera tua, quæsumus Dómine, nos gráviter corruéntes érigat: et intercessióne beáti Livíni Mártyris tui atque Pontíficis a peccatórum vínculis, quibus stríngimur, éruat; et ab hóstium láqueis, quibus tenémur, poténter erípiat. Per Dóminum nostrum.

℣ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 16. d.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hó-

Digitized by Google

minis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Secreta.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut sancti Livíni Mártyris tui atque Pontíficis précibus piæ devotiónis nobis fructus accréscat; quem ad laudem nóminis tui dicátis munéribus honorámus. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Omnípotens et miséricors Deus, qui nos sacramentórum tuórum et partícipes éfficis et minístros: præsta, quæsumus: ut intercedénte beáto Livíno Mártyre tuo atque Pontífice, ejúsdem proficiámus et fídei consórtio et digno servítio. Per Dóminum.

Die 16. Novembris.

(In Rom. 12. huj.)

S. Martini I. Papæ, Mart.

Pro Commemoratione S. Othmari Abbatis.

Oratio.

Beáti Othmári Confessóris tui supplicatióne, quæsumus Dómine, plebs tua benedictiónem tuam percípiat: ut de ejus méritis et felicitáte gloriétur, et ætérnæ societátis lætítia gratulétur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Oblátis, Dómine, in honóre beáti Othmári Abbátis placáre munéribus: et fámulis tuis, ipsíus intervéntu, cunctórum tríbue indulgéntiam peccatórum. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Percéptis tui Córporis et Sánguinis, Dómine, sacraméntis: concéde nobis supplicánte beáto Othmáro Abbáte ita muníri; ut et temporálibus abundémus cómmodis, et fulciámur ætérnis. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Die 26. Novembris.

S. Silvestri Abbatis.

Pro Commem. S. Conradi Episc., Confessoris.

Oratio.

Deus, qui beátum Conrádum Confessórem tuum atque Pontíficem, sánguinis generositáte præclárum, vitæ sanctitáte et miraculórum vigóre clariórem fecísti: concéde, ut ejus virtútum méritis, de ejus benefíciis gloriémur; et a te, quod nostræ fragilitáti suffragátur, obtinére mereámur. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Conrado Episc.

Secreta.

Súscipe Dómine sacrifícium placatiónis et laudis: quod nos fámulos tuos interveniénte beáto Conrádo Confessóre tuo atque Pontífice et perdúcat ad véniam et remédia nobis cónferat sempitérna. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Conrado Episc.

Postcommunio.

Grátiam tuam Dómine implorámus: ut, qui cœlésti nos medéla reparáre dignátus es, des peccátis nostris véniam; sicut beáto Conrádo Confessóri tuo atque Pontífici dedísti vitam perpétuam. Per Dóminum nostrum.

Digitized by Google

Die 27. Novembris.

S. Nicasii Episc., Mart.

Missa Sacerdótes Dei. ut in Communi unius Mart. Pont.

Oratio.

Deus, qui beátum Nicásium Epíscopum et Mártyrem tuum ætérni lúminis claritáte mirabíliter decorásti: da nobis per ipsíus suffrágia corporális lucis adminículo sic sustentári; ut étiam luce grátiæ suffúlti in cœlésti gaúdio lumen glóriæ percípere mereámur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Munéribus nostris, quæsumus Dómine, precibúsque suscéptis: et intercedénte beáto Nicásio Epíscopo et Mártyre tuo cœléstibus nos munda mystériis, et cleménter exaúdi. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus omnípotens Deus: ut, qui cœléstia aliménta percépimus; intercedénte beáto Nicásio Epíscopo et Mártyre tuo per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Digitized by Google

Concordant cum Originalibus.

Budissæ die 8. Novembris 1910.

Jacobus Skala Can. Cap. Senior.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 12. Novembris 1910.

Dr. Scheglmann
Vicarii Gen. vices gerens.

Digitized by Google

Index alphabeticus.

	fol.
Adalberti Episc., Mart. Commem. 23. Aprilis.	10*
Afræ et Sociar. Mm. non Virg. 7. Augusti.	20*
Albini Episc., Conf. 6. Septembris.	22*
Anastasii Mart. 17. Februarii.	6*
Apolloniæ Virg. et Mart. 9. Februarii.	5*
Barbaræ Virg. et Mart. 4. Decembris.	1*
Bennonis Episc., Conf. Commem. Feria III. post Dominicam in Quinquagesima.	8*
Bennonis Episc., Conf. 16. Junii.	14*
— — Octava. 22. Junii.	15*
Blasii Episc., Mart. 3. Februarii.	4*
Brictii Episc. Martulani, Conf. 11. Julii.	17*
Brigidæ Virg. Commem. 1. Februarii.	4*
Chiliani Episc. et Soc. Mm. 8. Julii.	17*
Clementis Mariæ Hofbauer Conf. 15. Martii.	9*
Conradi Episc., Conf. Commem. 26. Nov.	32*
Cunegundis Imper., Virg. 3. Martii.	9*
Decem millium Militum Mm. 22. Junii.	15*
Dedicatio S. Mariæ ad Nives. 5. Augusti.	19*
Divisionis Ss. Apostolorum. 15. Julii.	18*
Donati Episc., Mart. 7. Augusti.	19*
Dorotheæ Virg. et Mart. 6. Februarii.	5*
Emmerami Episc., Mart. Commem. 22. Sept.	23*
Erasmi Episc., Mart. 2. Junii.	13*
Erhardi Episc., Conf. 13. Februarii.	5*
Francisci Borgiæ Conf. 10. Octobris.	27*
Galli Abbatis. 16. Octobris.	28*
Gereonis, Victoris, Cassii, Florentii et Soc. Mm. Commem. 10. Octobris.	27*
Georgii Mart. 23. Aprilis.	10*
Gertrudis Virg. Commem. 17. Martii.	9*
Gothardi Episc., Conf. Commem. 4. Maji.	12*
Hilarionis Abbatis Commem. 21. Octobris.	28*
Hildegardis Virg. 5. Octobris.	27*
Huberti Episc., Conf. 3. Novembris.	30*
Ignatii Episc., Mart. 1. Februarii.	4*
Impressio Ss. Stigmatum S. Francisci Confessoris. 17. Septembris.	23*
Inventionis Ss. Pueri Jesu. Feria V. post Festum Purificationis B. M. V.	7*
Joannis ante portam Latinam Apost. et Evang., Patroni. 6. Maji.	12*
— — Octava. 13. Maji.	13*
Joannis Sarcander Mart. 14. Martii.	9*
Julianæ Virg. et Mart. 16. Februarii.	6*
Lamberti Episc., Mart. Commem. 17. Septembr.	23*
Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. Feria VI. post Dominicam in Albis.	10*
Lazari a Christo Resuscitati Episc., Conf. 17. Dec.	1*
Leonardi Abbatis. 6. Novembris.	30*
Leonis IX. Papæ, Conf. 19. Aprilis.	10*
Livini Episc., Mart. 12. Novembris.	31*
Magni Mart. Commem. 19. Augusti.	21*
Marcellini et Petri Mm. Commem. 2. Junii.	13*
Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. 22. Octobris.	29*
Margaritæ Virg. et Mart. 13. Julii.	17*
Mariæ B. V. Assumpt. Commem. Oct. 19. Aug.	21*
— — Gaudiorum. Dominica IV. Septembris.	25*
— — Nativitatis infra Octav. 13. Septembris.	22*
Martini I. Papæ, Mart. 16. Novembris.	32*
Materni Episc., Conf. Commem. 13. Septembris.	22*
Mauritii et Soc. Mm. 22. Septembris.	23*
Mechtildis Virg. 26. Februarii.	6*
Monicæ Viduæ. 4. Maji.	12*
Nicasii Episc., Mart. 27. Novembris.	33*
Omnium Sanctorum. Octava. 7. Novembris.	31*
Oswaldi Regis, Mart. Commem. 5. Augusti.	19*
Othmari Abbatis Commem. 16. Novembris.	32*
Othiliæ Virg. 19. Decembris.	3*
Ottonis Episc., Conf. 2. Octobris.	26*
Patricii Episc., Conf. 17. Martii.	9*
Philippi et Jacobi Apost. 1. Maji.	11*
Pii Papæ, Mart. Commem. 11. Julii.	17*
Redemptoris Ssmi. 23. Octobris.	30*
Sebaldi Conf. 19. Augusti.	21*
Severi Episc., Conf. Commem. 22. Octobris.	29*
Severini Episc., Conf. Commem. 23. Octobris.	30*
Servatii Episc., Conf. Commem. 13. Maji.	13*
Sigismundi Regis, Mart. 11. Maji.	12*
Silvestri Abbatis. 26. Novembris.	32*
Theclæ Virg. et Mart. Commem. 23. Septembr.	24*
Udalrici Episc., Conf. 4. Julii.	16*
Ursulæ et Soc. Virgg. et Mm. 21. Octobris.	28*
Victoris Mart. 23. Septembris.	23*
Vincentii Mart. 22. Januarii.	3*
Viti, Modesti et Crescentiæ Mm. 15. Junii.	14*
Walburgis Virg. Commem. 1. Maji.	11*
Wendelini Conf. Commem. 3. Februarii.	4*
Willibrordi Episc., Conf. Commem. 7. Nov.	31*

Digitized by Google

Digitized by Google

Die 7. Septembris.

In Festo

Beati Martyris Marci Crisini

Canonici Strigoniensis.

Introitus. Ps. 63.

LÆtábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

Ps. ibid. Exaúdi Deus oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui hanc diem Beáti Marci Mártyris tui triúmpho consecrásti: exaúdi preces pópuli tui et præsta; ut qui ejus mérita venerámur, fídei constántiam imitémur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2. Tim. 2. et 3.

Caríssime: Memor esto Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale. Ps. 36. Justus cum cecíderit, non collidétur: quia Dóminus suppónit manum suam.

℣. Tota die miserétur, et cómmodat: et semen ejus in benedictióne erit.

Allelúja, allelúja.

℣. Joañ. 8. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris: sed habébit lumen vitæ ætérnæ. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Digitized by Google

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 10. c.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásseres asse véneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo, qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta.

Hanc oblatiónem omnípotens Deus Beáti Marci mérita tibi reddant accéptam: et ipsíus subsídiis adjúti, glóriæ ejus consórtes efficiámur. Per Dóminum.

Communio. Joann. 12. Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit.

Postcommunio.

Súmpsimus, Dómine, ætérnæ vitæ sacraménta, te humíliter deprecántes; ut, Beáto Marco Mártyre tuo pro nobis intercedénte, véniam nobis concílient et grátiam. Per Dóminum nostrum.

Concordat cum Originali. In fidem etc.

Ex Secretaria Sacror. Rituum Congregationis die 5. Septembris 1905.

(L. ✠ S.)

Pro **R. P. D. Diomede Panici,** Archiep. Laodicen. Secretario,
Philippus Can. di Fava, Substitutus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 18. Septembris 1905.

Dr. **Fr. X. Leitner,** Vicarius in Spirit. Gen.

Ratisbonæ. Sumptibus et Typis Fr. Pustet, ~~S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.~~

Digitized by Google

Die 7. Septembris.

In Festo Beatorum Martyrum

Marci Crisini Canonici Strigoniensis, Stephani Pongráczii ac Melchioris Grodeczii Sac. e Soc. Jesu.

Introitus. Ps. 78.

INtret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est.

Ps. ibid. Deus, venérunt Gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Beatórum Mártyrum Marci, Stéphani et Melchióris, quæsumus Dómine, précibus adjuvémur; ut quorum gloriámur triúmpho, fídei constántiam imitémur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Comm. Oct. Ss. Angelorum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 3.

Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori: et æstimáta est afflíctio éxitus illórum: et quod a nobis est iter, extermínium: illi autem sunt in pace. Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti, in multis bene disponéntur: quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocaústi hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Graduale. Exodi 15. Gloriósus Deus in sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.

℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja.

℣. Eccli. 44. Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in generatióne, et generatiónem. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Digitized by Google

Tractus. Ps. 125. Qui séminant in lácrimis, in gaúdio metent.

℣. Eúntes ibant, et flebant, mitténtes sémina sua.

℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 21. b.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prælia et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cœlo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur tradéntes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et præsides propter nomen meum: contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári, quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Credo. ratione Octavæ.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.

Secreta.

Super has hóstias, Dómine, benedíctio larga descéndat; quæ nos ad amórem tuum Beatórum Mártyrum exémplo restaúret. Per Dóminum nostrum.

Communio. Sap. 3. Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: tamquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocaústa accépit eos.

Postcommunio.

Cœléstibus refóctos sacraméntis et gaúdiis, fac nos, Dómine, Beatórum Mártyrum glóriæ consórtes; cujus per hæc mystéria pignus accépimus. Per Dóminum.

Concordat cum Originali. In fidem etc.

Ex Secretaria Sacror. Rituum Congregationis die 5. Septembris 1905.

(L. ✠ S.)

Pro **R. P. D. Diomede Panici,** Archiep. Laodicen. Secretario,
Philippus Can. di Fava, Substitutus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 18. Septembris 1905.

Dr. Fr. X. Leitner, Vic. in Spirit. Gen.

Ratisbonæ. Sumptibus et Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

Digitized by Google

MISSÆ
IN CIVITATE ET DIŒCESI NOVARIENSI
EX INDULTO APOSTOLICO CELEBRANDÆ.

FESTA JANUARII.

Die XV.

Translationis
S. Mauritii Mart., Patroni princ. totius Ditionis Sabaudiæ.
Missa. **In virtúte.** de Communi unius Mart. non Pont., præter sequ.
Oratio.

ANnue, quæsumus omnípotens Deus: ut sancti Mártyris tui Maurítii nos lætíficet festíva solémnitas: ut, cujus suffrágiis nítimur, ejus translatióne gloriémur. Per Dñm.

Evangel. **Si quis venit ad me.** e Missa. **Státuit.** et dicitur **Credo** per totam Octavam.
Secreta.

Réspice, quæsumus Dómine, múnera, quæ in sancti Mártyris tui Maurítii commemoratióne deférimus; et præsta, ut, cujus honóre sunt grata, ejus nobis fiant intercessióne perpétua. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cœléstibus refécti sacraméntis et gaúdiis, súpplices te rogámus, Dómine; ut, cujus gloriámur triúmphis, protegámur auxíliis. Per Dóminum nostrum.

Die XIX.

S. Antheri I. Papæ, Mart.
(Ass. a die 3. huj. mens.)
Missa. **Státuit.** de Communi unius Martyris Pontificis.
Commemor. Octavæ S. Mauritii et Ss. Marii et Soc. Mm., ut in Missali.
Et dicitur **Credo.**

Die XXII.

S. Gaudentii Primi Episc. Novariensis, Conf. ac Patroni principalis Civitatis et Diœcesis.

Introitus. Eccli. 45.

STátuit ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. Ps. 131. **Meménto, Dómine, David, et omnis mansuetúdinis ejus.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Omnípotens, sempitérne Deus, qui hunc diem beáti Gaudéntii Confessóris tui, atque Pontíficis solemnitáte consecrásti: præsta, quæsumus; ut, cujus festa celebrámus in terris, ipsíus patrocínio ad vitam perveniámus ætérnam. Per Dóminum nostrum.

Digitized by Google

Deinde fit Commem. diei Octavæ S. Mauritii Mart., Patroni princip. Ditionis Sabaudiæ.

Oratio.

Annue, quæsumus omnípotens Deus: ut sancti Mártyris tui Maurítii nos lætíficet festíva solémnitas: ut, cujus suffrágiis nítimur, ejus translatióne gloriémur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 13. b.

Fratres: Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri, et hódie: ipse et in sæcula. Doctrínis váriis, et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per Pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est, fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem, et communiónis nolíte oblivísci: tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte præpósitis vestris, et subjacéte eis. Ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

Graduale. Eccli. 44. **Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo.**

℣. **Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.**

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 109. **Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.**

Post Septuagesimam, omissis **Allelúja**, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 111. **Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.**

℣. **Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.**

℣. **Glória, et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.**

Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 24. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti: quia qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Credo. et dicitur per totam Octav.

Offertorium. Ps. 88. **Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliá-**

Digitized by Google

bitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Sancti tui, quæsumus Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Pro S. Mauritio Martyre.

Secreta.

Réspice, quæsumus Dómine, múnera, quæ in sancti Mártyris tui Maurítii commemoratióne deférimus: et præsta; ut, cujus honóre sunt grata, ejus nobis fiant intercessióne perpétua. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Gaudéntio Confessóre tuo, atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Pro S. Mauritio Martyre.

Postcommunio.

Cœléstibus refécti sacraméntis, et gaúdiis: súpplices te rogámus, Dómine, ut, cujus gloriámur triúmpho, protegámur auxílio. Per Dóminum nostrum.

Die XXIX.

Octava **S. Gaudentii** Episc.

Missa, ut supra die 22. Januarii (omissa Commem. S. Mauritii).

Die XXX.

B. Sebastiani Valfrè Conf.

Missa. Os justi. de Cõmuni Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Dómine, ita pro animárum subsídio in tua dilectióne manére; sicut beátum Sebastiánum Confessórem tuum, ad multórum salútem, novum tibi sacerdótem fidélem suscitásti. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Secreta.

Beáti Sebastiáni Confessóris tui, Dómine, vestígiis inhæréntes, fac nos sacri altáris mystérium et pura tractáre manu, et digno prósequi piæ devotiónis afféctu. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Vitáli, Dómine, sacraménto refóctos beáti Sebastiáni Confessóris tui méritis, ita protegéndo confírma; ut, quibus dedísti grátiam, largiáris et glóriam. Per Dóminum nostrum.

Die XXXI.

S. Julii Presbyt., Confess.

Missa. Os justi. de Communi Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus refúgium paúperum, spes humílium, salúsque miserórum: supplicatiónes pópuli tui cleménter exaúdi; et interveniénte beáto Júlio Confessóre tuo, quos justítia vérberum fecit afflíctos, abundántia remediórum fáciat consolátos. Per Dóminum.

Evangelium. Ecce nos relíquimus ómnia. ex Missa pro Abbatibus.

Digitized by Google

FESTA FEBRUARII.

Die VI.

S. Hyacinthæ de Mariscottis Virginis.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die IX.

S. Juliani Diaconi, Confessoris.

(Ass. ex die 7. Januarii.)

Missa. **Justus ut palma.** de Communi Conf. non Pont., præt. sequ.

Oratio.

Concéde, quæsumus omnípotens Deus; ut qui beáti Juliáni Confessóris tui solémnia cólimus, ipsíus vestígia sectándo, gaudiórum étiam ejus partícipes esse mereámur. Per Dóminum nostrum.

Evangelium. Ecce nos relíquimus ómnia. ex Missa pro Abbatibus.

Die XV.

S. Telesphori I. Papæ, Martyris.

(Ass. ex die 5. Jan. vel 12. huj. mens.)

Missa. Sacerdótes Dei. de Coñuni unius Mart. Pont.

Die XXVIII.

S. Ephysii Martyris.

(Ass. ex die 15. Jan.)

Introitus. Ps. 16.

Probásti, Dómine, cor meum, et visitásti nocte: igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ps. 33. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui per crucem et passiónem tuam mundum vicísti, eodémque signo mirábili beátum Ephýsium Mártyrem tuum, fídei prædcónem deléctum ad converténdas infidélium gentes, cœlitus vocáre dignátus es: præsta, quæsumus; ut, quem fídei propagatórem habúimus in terris, intercessórem gloriósum habére mereámur in cœlis. Qui vivis.

In Quadragesima fit Coñemoratio Feriæ, cujus Evang. leg. in fine.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 10. b.

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam, Dóminus Deus noster.

Graduale. Exod. 15. Gloriósus Deus in sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.

℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

Digitized by Google

Post Septuagesimam, omissis **Allelúja**, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. **Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.**

℣. **Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis.**

℣. **Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.**

Sequéntia sancti Evangélii secúndũ **Matthæum.** Matth. 10. d.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, et fíliam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suam: et inimíci hóminis, doméstici ejus. Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus: et qui amat fílium, aut fíliam super me, non est me dignus. Et qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus. Qui invénit ánimam suam, perdet illam: et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam.

Offertorium. Ps. 112. **Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me: non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.**

Secreta.

Sancti Ephýsii Mártyris tui précibus hæc oblátio, Dómine, ad perpétuam ac præséntem nobis proficiat prosperitátem et pacem. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ps. 20. **Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.**

Postcommunio.

Refécti participatióne múneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster: ut cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Ephýsio Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dñm.

FESTA MARTII.

Die IV.

B. Humberti III. Sabaudiæ Comitis, Confessoris.

Introitus. Ps. 36.

OS justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Ps. ibid. **Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.** ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Humbértum cœlésti regno terrénum postpónere, et Crucis mortificatiónem amplécti docuísti: da nobis, quæsumus, ejus intercessióne et exémplo terréna despícere, atque ætérna sectári. Per Dóminum.

In Quadragesima fit Commemor. Feriæ, cujus Evang. legitur in fine.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 31.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesaúris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus

Digitized by Google

in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja.

℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória, et divítiæ in domo ejus, et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 19. b.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini, dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge, bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Hóstia, quam tibi offérimus, Dómine, Unigéniti Fílii tui Passiónis mystéria renovántes, amórem tuum nostris pectóribus ínserat, quo beáti Humbérti cor æstuábat. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Cœlésti dape refécti, te, Dómine, deprecámur: ut beáti Humbérti méritis et exémplo, mundánis cupiditátibus expedíti, gaúdia cum

Digitized by Google

ipso cónsequi mereámur ætérna. Per Dóminum nostrum.

Die VI.

S. Lucii I. Papæ, Martyris.

(Ass. a die 4. Martii.)

Missa. Sacerdótes Dei. de Comuni unius Mart. Pont.

Die XVIII.

Apparitionis B. Mariæ Virg. de Misericordia.

Introitus. Hebr. 4.

Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

Ps. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo, in generatiónem, et generatiónem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos mira Unigéniti Fílii tui Matris apparitióne lætificáre dignátus es, concéde; ut, ipsíus misericórdiam humíliter implorántes, tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Quadrages. cujus Evangelium legitur in fine.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes, qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini: spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum: memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale. Tob. 13. Aspícite quæ fecit nobíscum, et cum timóre, et tremóre confitémini illi.

℣. Osténdit majestátem suam: convertímini, et fácite justítiam, credéntes, quod fáciat vobíscum misericórdiam.

Tractus. Luce spléndida fulgébis, et omnes fines terræ adorábunt te.

℣. Terram tuam in sanctificatiónem habébunt, nomen magnum invocábunt in te.

℣. Tu autem lætáberis in fíliis tuis, quóniam benedicéntur, et congregabúntur ad Dóminum.

Temp. Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Isai. 66. Lætámini, et exsultáte omnes, qui dilígitis eam. Allelúja.

℣. Gaudéte gaúdio univérsi. Allel.

Infra annum post Graduale dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Eccli. 50. Fecit nobíscum secúndum suam misericórdiam; dedit nobis jucunditátem cordis. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. c. 1.

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave,

Digitized by Google

grátia plena: Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat, qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María; invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Credo.

Offertorium. Recordáre, Virgo Mater, dum stéteris in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatiónem suam a nobis.

Secreta.

Hóstias tibi, Dómine, in mira Fílii tui Matris apparitióne deférimus; ut, sicut ipse nostrórum auctor est múnerum, ita sit ipse nobis miséricors, et suscéptor Jesus Christus Dóminus noster: Qui tecum vivit et regnat.

Præfatio de B. M. V. Et te in Apparitióne.

Communio. Isai. 63. Miseratiónum Dómini recordábor, laudem Dómini super ómnibus quæ réddidit nobis Dóminus, et super multitúdinem bonórum, quæ largítus est secúndum indulgéntiam suam, et secúndum multitúdinem misericordiárum suárum.

Postcommunio.

Deus, qui nos pretióso Córpore, et Sánguine Unigéniti tui satiáre dignátus es: concéde propítius; ut Matris ejus précibus et protectióne suffúlti misericórdiæ sempitérnæ salutárem consequámur efféctum. Per eúmdem Dñm.

Die XXX.

B. Amedei Ducis Sabaudiæ III., Confessoris.

Missa ut supra in Festo B. Humberti, fol. 5, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Amedéum Confessórem tuum de terréno principátu ad cœléstem glóriam transtulísti: da nobis, quæsumus; ut, ejus méritis et imitatióne, sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per Dóminum.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Postcommunio.

Refécti cibo, potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus; ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

FESTA APRILIS.

Die VI.

B. Catharinæ a Palantia Virginis.

Missa. Dilexísti. de Coñuni Virg., præter sequ.

Oratio.

Exaúdi, quæsumus, Dómine, preces nostras: et, intercessióne beátæ Catharínæ Vírginis tuæ, præsta; ut Domínicæ Passiónis mystéria recoléntes, ad Christi patiéntis sequénda vestígia, grátiæ tuæ dono et virtúte, excitémur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Die XIII.

S. Eliæ Confessoris.

Missa. Os justi. de Coñuni Conf. non Pont.

Digitized by Google

Die XXIX.

Translat. **S. Agabii** Episc., Conf. Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pont. (ex Calen. appr. a S. Sede) cum Orat. sequ. (sine **Credo**).

Oratio.

Deus, qui beátum Agábium Pontíficem ad cœléstem glóriam transtulísti: præsta, quæsumus; ut, qui ejus translatiónem celebrámus, ipsíus intercessióne, ad ejúsdem glóriæ consórtium transíre mereámur. Per Dóminum nostrum.

Credo. in Eccles. Cathedr. tant.

Die XXX.

S. Laurentii Presbyt., Mart. Missa. **Protexísti.** de Cōmuni Mart. tempore Paschali, præter sequentia.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui hodiérna die gloriósum Mártyrem tuum Lauréntium cum multitúdine parvulórum ad palmam martýrii vocáre dignátus es: tríbue nobis, quæsumus, fidélibus tuis, stabilitátem in fide, quam dócuit, et perseveránti am in ópere, quod perfécit. Per Dóminum.

Evangel. **Ego sum vitis.** ex Missa. **Sancti tui.**

Credo. in Eccles. Cathedr. tant.

Secreta.

Munéribus nostris, quæsumus Dómine, precibúsque suscéptis: et cœléstibus nos munda mystériis, et cleménter exaúdi. Per Dñm.

Postcommunio.

Da, quæsumus Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne sanctórum, temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

Dominica II. post Pascha.

B. Mariæ V. a Sanguine nuncupata de Rhe.

Missa. **Salve sancta Parens.** Evang. **Loquénte Jesu.** Glória, Credo, Præfatio de B. M. V. **Et te in Festivitáte.**

Dominica IV. post Pascha.

B. Mariæ V. sub titulo **Providentiæ Matris.**

Introitus. Joann. 19.

Mulier, ecce fílius tuus, dixit Jesus Matri; deínde dixit discípulo quem diligébat: ecce Mater tua, allelúja, allelúja.

Ps. 105. **Confitémini Dómino quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus.** ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, cujus providéntia in sui dispositióne non fállitur, te súpplices exorámus: ut, intercedénte beáta Vírgine ac Genitríce Fílii tui María, nóxia cuncta submóveas, et ómnia nobis profutúra concédas. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Dominicæ.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 24.

Sapiéntia laudábit ánimam suam, et in Deo honorábitur, et in médio pópuli sui gloriábitur. Et in multitúdine electórum habébit laudem, et inter benedíctos benedicétur, dicens: Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram: Ego feci in cœlis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram: Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cœli cir-

Digitized by Google

cuívi sola, et profúndum abýssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti: et in omni pópulo, et in omni gente primátum hábui: et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi: et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israël hæreditáre, et in eléctis meis mitte radíces.

Tempore Paschali:

Allelúja, allelúja.

℣. Is. 66. Lætámini et exsultáte omnes qui dilígitis eam. Allelúja.

℣. Quómodo si cui mater blandiátur, ita ego consolábor vos. Allelúja.

Extra tempus Paschale:

Graduale. Isai. 49. Numquid oblivísci potest múlier infántem suum, ut non misereátur fílio úteri sui?

℣. Ibid. Et si illa oblíta fúerit, ego tamen non oblivíscar tui.

Allelúja, allelúja.

℣. Tob. 13. Tu autem lætáberis in fíliis tuis, quóniam benedicéntur, et congregabúntur ad Dóminum. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Prov. 8. Nunc ergo fílii audíte me: Beáti qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam.

℣. Beátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei.

℣. Qui me invénerit, invéniet vitam, et haúriet salútem a Dómino.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 2.

IN illo témpore: Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat mater Jesu ibi. Vocátus est autem et Jesus, et discípuli ejus ad núptias. Et deficiénte vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi, et tibi est múlier? nondum venit hora mea. Dicit mater ejus minístris: Quodcúmque díxerit vobis, fácite. Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purificatiónem Judæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel ternas. Dicit eis Jesus: Impléte hýdrias aqua. Et implevérunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus: Hauríte nunc, et ferte architriclíno. Et tulérunt. Ut autem gustávit architriclínus aquam vinum factam, et non sciébat unde esset, minístri autem sciébant qui haúserant aquam, vocat sponsum architriclínus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriáti fúerint, tunc id quod detérius est. Tu autem servásti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit inítium signórum Jesus in Cana Galilææ: et manifestávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli ejus.

Credo.

Offertorium. Sap. 14. Tua autem, Pater, providéntia gubérnat, quóniam dedísti et in mari viam, et inter fluctus sémitam firmíssimam. Allelúja.

Secreta.

Adeúntibus cum fidúcia ad thronum grátiæ, propitiáre nobis, Dómine Deus: ut benigníssima divínæ providéntiæ Matre intercedénte, misericórdiam consequámur, et

Digitized by Google

grátiam inveniámus in auxílio opportúno. Per Dóminum.

Præfatio de B. M. V. Et te in Festivitáte.

Communio. Ps. 127. Fílii tui sicut novéllæ olivárum in circúitu mensæ tuæ. Allelúja.

Postcommunio.

Cœléstis mensæ virtus, miséricors Deus, in fámulis tuis júgiter persevéret: ut, divínæ providéntiæ Matris intercessióne, regnum et justítiam tuam ante ómnia quæréntes, temporálibus non destituántur auxíliis. Per Dóminum.

FESTA MAJI.

Dominica I.

Beatæ Mariæ Virginis titulo **Divini Pastoris Jesu Matris.**

Introitus.

Audeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Divíni Pastóris Matris, de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei, allelúja, allelúja.

Ps. 63. Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium: a multitúdine operántium iniquitátem.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui univérsum mundum, ineffábili tua providéntia regis atque gubérnas: præsta nobis fámulis tuis; ut intercedénte beáta María semper Vírgine, quæ vígili custódia nos pascit, ab hóstibus defénsi, et fructus tui dulcédine satiáti, ad cœléstem pátriam secúri perducámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei fructus honóris, et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ, et veritátis: in me omnis spes vitæ, et virtútis. Transíte ad me omnes, qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel, et favum: memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale. Cant. 1. Si ignóras te, o pulchérrima inter mulíeres, egrédere, et abi post vestígia gregum.

℣. Pasce hœdos tuos juxta tabernácula pastórum.

Allelúja, allelúja.

℣. Is. 53. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit. Allelúja.

Tempore Paschali, omisso Graduali, et Versu sequenti, dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Is. 53. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit. Allelúja.

℣. Virgo gloriosíssima, Mater misericórdiæ, réspice in nos, et dírige nos in viam rectam. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 19.

In illo témpore: Stabat juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror

Digitized by Google

Matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus Matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit Matri suæ: Múlier, ecce Fílius tuus. Deínde dicit discípulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Credo.

Offertorium. Prov. 9. Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est: Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum, quod míscui vobis. Allelúja.

Secreta.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus, ut précibus beátæ Maríæ semper Vírginis fidéles tui hóstiam salutárem tibi fervéntius ófferant, et efféctum consequántur. Per Dóminum nostrum.

Præfatio de B. Maria V. Et te in Festivitáte.

Communio. Ps. 137. Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me, et super iram inimicórum meórum exténdes manum tuam, et salvum me fáciet déxtera tua. Allelúja.

Postcommunio.

Grátias tibi referímus, Dómine, sacro múnere vegetáti, tuam misericórdiam deprecántes; ut ab illécebris carnis, et mundánis oblectaméntis sub custódia semper Vírginis Maríæ segregáti, cœléstia gaúdia indesinénter appetámus. Per Dóminum nostrum.

Die IV.

Ssmæ Sindonis D. N. J. C.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis. Feria VI. post Dominicam II. Quadragesimæ ritu tamen Paschali, addito nempe in Introitu ante Psalmum duplici, et in fine Offertorii et Communionis uno Allelúja, et loco Gradualis et Tractus, dicitur sequ.

Tempore Paschali:

Allelúja, allelúja.

℣. Ave, Rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres. Allelúja.

℣. Tibi glória, hosánna: tibi triúmphus et victória: tibi summæ laudis et honóris coróna. Allelúja.

Extra tempus Paschale in Missis votivis dicitur:

Graduale. Ps. 68. Impropérium exspectávit cor meum, et misériam: et sustínui, qui simul mecum contristarétur, et non fuit: consolántem me quæsívi, et non invéni.

℣. Dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto.

Allelúja, allelúja.

℣. Ave, Rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obédiens ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansuétus ad occisiónem. Allelúja.

In Missis votivis legitur eadem Missa: a Septuag. vero ad Domin. Passionis, prout in dicta Feria VI. post Dominicam II. Quadragesimæ.

Die XI.

Octava

Ssmæ Sindonis D. N. J. C.

Ut in die Festo.

Die XII.

B. Panexiæ Virginis, Martyris Nuncupatæ.

Missa. Me exspectavérunt. de Communi Virg. et Mart., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátam Panéxiam Vírginem et Mártyrem tuam inter

Digitized by Google

domésticas persecutiónes admirábili mansuetúdine et patiéntia decorásti: præsta, quæsumus; ut ejus exémplo et intercessióne, miti et æquo ánimo advérsa patiámur. Per Dóminum nostrum.

Die XXII.

S. Demetrii Martyris.

Missa. Protexísti. Extra tempus Paschale. In virtúte. Evangel. Si quis venit ad me. de Cōmuni unius Mart. Pont.

Die XXIX.

S. Eleutherii I. Papæ, Martyris.

(Ass. ex die 26. Maji.)

Ut in Missali.

Dominica I.
non impedita post Pentecosten.

B. Mariæ V. de Bono Consilio.

(Ass. ex die 26. Aprilis.)

Ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

FESTA JUNII.

Die I.

S. Joannis Papæ, Martyris.

(Ass. ex die 27. Maji.)

Ut in Missali.

Die II.

S. Felicis I. Papæ, Martyris.

(Ass. ex die 30. Maji.)

Ut in Missali.

Die V.

B. Pacifici a Ceredano Conf.

Missa. Os justi. de Communi Conf. non Pont., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Pacíficum Confessórem tuum verbo, atque exémplo clarére fecísti: præsta, quæsumus; ut ejúsdem vestígia sectántes, ad cœléstem pátriam perducámur. Per Dóminum.

Die VI.

Insignis Miraculi Ss. Corporis D. N. J. C.

Introitus. Isai. 12.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit, allelúja: annuntiáte hoc in univérsa terra, allelúja. Exsúlta et lauda, habitátio Sion, quia magnus in médio tui sanctus Israël, allelúja, allelúja.

Ps. 97. Cantáte Dómino cánticum novum: quia mirabília fecit.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui, ad augéndam inter nos fámulos tuos erga fídei mystérium pietátem, dilectiónis tuæ mirábile signum relínquere disposuísti: concéde propítius; ut Unigénitum tuum, quem in hoc Sacraménto pio afféctu venerámur, ætern áliter in cœlis possidére mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 62.

Propter Sion non tacébo, et propter Jerúsalem non quiéscam, donec egrediátur ut splendor justus ejus, et salvátor ejus ut lampas accendátur. Et vidébunt gentes justum tuum, et cuncti reges ínclytum tuum: et vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominábit. Et eris coróna glóriæ in manu Dó-

Digitized by Google

mini, et diadéma regni in manu Dei tui. Non vocáberis ultra derelícta: et terra tua non vocábitur ámplius desoláta: sed vocáberis volúntas mea in ea, et terra tua inhabitáta, quia complácuit Dómino in te: et terra tua inhabitábitur.

Graduale. Ps. 117. Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me.

℣. Ps. 115. Tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Allelúja, allelúja.

℣. Eucharística Hóstia descéndit, et in cálice, a sacri Antístitis mánibus porrécto, plácide sistit. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 99. Jubiláte Deo, omnis terra: servíte Dómino in lætítia.

℣. Intráte in conspéctu ejus in exsultatióne: scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus.

℣. Ipse fecit nos, et non ipsi nos: nos autem pópulus ejus, et oves páscuæ ejus.

Tempore Paschali, omissis Graduali, et Tractu, et Versibus, dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. 1. Paralip. 16. Narráte in géntibus glóriam ejus: in cunctis pópulis mirabília ejus. Allelúja.

℣. Labénte ipsa hierothéca, stat sola orbiculáris panis spécies in áëre péndula, atque, attónitis cívibus spectántibus, sole clárior effúlget. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10. c.

IN illo témpore: Dixit Jesus: Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quod abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Etiam Pater: quóniam sic plácuit ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo scit quis sit Fílius, nisi Pater; et quis sit Pater, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Et convérsus ad discípulos suos, dixit: Beáti óculi, qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis, quod multi prophétæ et reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, et non vidérunt; et audíre quæ audítis, et non audiérunt. Credo.

Offertorium. Isaiæ 25. Dómine, Deus meus es tu, exaltábo te, et confitébor nómini tuo, quóniam fecísti mirabília. Allelúja.

Secreta.

Clementíssime Deus, hæc múnera tibi obláta propítius réspice: ut, dum Unigéniti Fílii tui sacra renovámus mystéria, eórum copiósum fructum cónsequi valeámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Præfatio de Nativitate.

Comunio. Ps. 117. Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. Allelúja.

Postcommunio.

Dómine Deus, qui ab hæresi minitánte patrum nostrórum fidem singulári prodígio defendísti: rénova super nos consuétam misericórdiam tuam; et advérsus late grassántem incredulitátem, fidem nostram sub tégmine alárum tuárum propítius custódi. Per Dñm.

Die XIV.

Translationis

S. Gaudentii Episcopi, Patroni.

Missa. Sacerdótes tui. Credo.

Digitized by Google

Die XV.

S. Bernardi a Menthona

Confessoris.

Missa. **Os justi.** de Comuni Conf. non Pont., præter sequ.

Oratio.

Exténde, quæsumus Dómine, super plebem tuam déxteram cœléstis auxílii, et intercedénte beáto Bernárdo Confessóre tuo, cunctas diáboli nequítias ab ea longe repélle. Per Dóminum nostrum.

Credo. in Eccles. Cathedr. tant.

Die XVI.

Ss. Quirici et **Julittæ** Mm.

Missa. **Intret.** Orationes ex Missa. **Sapiéntiam.**

Die XVIII.

S. Limbaniæ Virginis.

Missa. **Dilexísti.**

Et fit Commem. Ss. Marci et Marcelliani Martyrum.

Die XX.

S. Silverii Papæ, Martyris.

Missa. **Státuit.** de Communi unius Mart. Pont., præter Epistolam ut in Missali.

Die XXIX.

Commemoratio

Omnium Ss. Apostolorum.

Ut inter Festa pro aliquibus locis. Orationes dicendæ. **Exaúdi nos, Deus.** 3. loco.

Dominica ultima Junii.

B. Mariæ Virg. de Succursu.

Missa. **Salve sancta Parens.** votiva a Pentecoste ad Adventum. Ut in Missali. Evang. **Stabant juxta crucem.** ex Missa votiva a Pascha ad Pentecosten, præter sequ.

Oratio.

Omnípotens et miséricors Deus, qui ad succurréndum humáno géneri beátam Vírginem Maríam unigéniti Fílii tui matrem esse voluísti: da nobis, quæsumus; ut ea intercedénte, diabólica vitáre contágia, et sincéra tibi mente servíre valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Et dic. Glória, Credo, et Præfatio de B. Maria V. Et te in Festivitáte.

FESTA JULII.

Die X.

Ss. Silvani et **Fratrum** Mm.

Missa ut in Missali.

Die XI.

S. Pii I. Papæ, Martyris.

Missa. **Státuit.** de Communi unius Martyris Pontif.

Die XIII.

S. Anacleti Papæ, Martyris.

Missa. **Sacerdótes.** de Communi unius Mart. Evang. **Si quis venit.** ex Missa. **Státuit.**

Die XX.

Translationis

S. Laurentii Presbyt., Martyris Novariensis.

Missa. **Lætábitur.** Evangelium ex Missa. **Sacerdótes Dei.**

Credo. in Eccles. Cathedr. tant.

Die XXI.

Translationis

S. Bernardi a Menthona

Archidiac., Confess.

Missa. **Justus.**

Credo. in Eccles. Cathedr. tant.

132

Digitized by Google

Die XXVII.

Ss. Rufinæ et **Secundæ** Virginum et Martyrum.

(Ass. a die 10. hujus mensis.)

Missa. Loquébar. Orationes de Communi Virgg. et Mm. Epistola ex Missa. Vultum tuum.

Die XXX.

S. Felicis II. Papæ, Martyris.

(Ass. ex die 29. Julii.)

Ut in Missali.

FESTA AUGUSTI.

Die II.

S. Eusebii Episc., Mart.

Introitus. Ps. 20.

IN virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Ps. ibid. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens, clementíssime Deus, qui beáto Eusébio Pontífici et Mártyri tuo dedísti Ariánam perfídiam destrúere, et rectam fidem deféndere: præsta, quæsumus; ut ejus muníti suffrágiis, fidem, quam dócuit, tenére, et ópere complére valeámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2. Timoth. 2. et 3.

Caríssime: Memor esto, Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale. Ps. 20. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúja, allelúja.

℣. Dómine, in virtúte tua lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 10. c.

IN illo témpore: Dixit Jesus pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit; et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus; et cognósco meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam

Digitized by Google

pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli; et illas opórtet me addúcere, et vocem meam aúdient, et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera propítius obláta, quæ majestáti tuæ beátus Eusébius Póntifex tuus, et Martyr comméndet. Per Dóminum.

Communio. Ps. 20. Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam, et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut qui cœléstia alimenta percépimus; intercedénte beáto Eusébio Mártyre tuo, atque Pontífice, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Die III.

Depositionis

S. Gaudentii I. Novar. Episc., Conf. et Patroni Princ.

Missa. Sacerdótes tui.
Dicitur Credo.

Die XI.

S. Stephani Papæ, Mart.

(Ass. ex die 2. Augusti.)

Ut in Missali.

Die XIII.

B. Bonifacii VII. a Sabaudia

Archiepisc. Cantuariensis, Confess.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui in Ecclésia tua per beátum Bonifácium, Confessórem atque Pontíficem, mirábilis caritátis ac pastorális sollicitúdinis exémpla instauráre dignátus es: ejus méritis concéde; ut, ad animárum salútem júgiter inténti, veram felicitátem cónsequi mereámur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Sacrifíciis præséntibus, quæsumus Dómine, inténde placátus; et vivo caritátis igne cor nostrum inflámma, quo beátus Bonifácius exársit. Per Dóminum.

Postcommunio.

Angelórum esca refécti, supplíciter te, Dómine, deprecámur; ut, beáti Bonifácii Confessóris tui atque Pontíficis, précibus et exémplo, puritátem mentis et córporis custodiéntes, ad gaúdia cum ipso perveniámus ætérna. Per Dóminum.

Die XIV.

B. Ludovicæ a Sabaudia

Viduæ.

Missa. Cognóvi. de Communi, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui in beáta Ludovíca, per omnes vitæ sémitas tradúcta, singuláre virtútis exémplum proposuísti: concéde; ut in via, qua nos vocásti, ejúsdem vestígia sequámur, et cum ipsa ad te pervenire mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Beátæ Ludovícæ solemnitáte hæc tibi múnera deferéntes, quæsumus, Dómine: ut ipsíus précibus et exémplo terréna despiciámus, et inquirámus ætérna. Per Dóminum.

133

Digitized by Google

Postcommunio.

Angelórum esca nutríti, concéde, quæsumus Dómine; ut amóris tui flamma, qua beáta Ludovíca æstuábat, veheméntior in córdibus nostris quotídie augeátur. Per Dóminum nostrum.

Die XVI.

S. Rochi Confessoris.

Missa. **Justus.** de Communi Conf. non Pont., 1. Oratio propr. **Pópulum tuum.** ut inter Festa pro aliquibus locis, eadem die.

Evang. **Homo quidam nóbilis,** ut in Festo S. Ludovici Regis in Missali die 25. Augusti.

Die XX.

S. Philiberti Abbatis.

Missa. **Os justi.** pro Abbatibus ut in Missali.

Die XXV.

S. Genesii Martyris.

Missa. **In virtúte.,** præt. sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos præcláram hanc diem in beáti Mártyris tui Genésii solemnitáte celebráre concédis: præsta, quæsumus, plebi tuæ, ut, ipso pro nobis interveniénte, ab ómnibus mereámur adversitátibus liberári. Per Dóminum.

Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 10. c.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Amen dico vobis, non consummábitis civitátes Israël, donec véniat Fílius hóminis. Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Súfficit discípulo, ut sit sicut magíster ejus; et servo, sicut dóminus ejus. Si patremfamílias Beélzebub vocavérunt: quanto magis domésticos ejus? Ne ergo timuéritis eos. Nihil enim est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam, et corpus pérdere in gehénnam.

Die XXVI.

S. Zephirini Papæ, Martyris.

Missa ut in Missali.

FESTA SEPTEMBRIS.

Dominica I.

B. M. V. Gratiarum Matris.

(Ass. ex die 9. Junii.)

Ut inter Festa pro aliquibus locis, die 9. Junii.

Die VI.

S. Xysti II. Papæ, Martyris.

(Ass. ex die 6. Augusti.)

Missa. **Státuit.** de Communi Mart. Pont.

Die X.

S. Agabii II. Episc. Novar., Conf. et Patroni minus Princip.

Missa. **Sacerdótes tui.** de Cõmuni Conf. Pont. ut in Missali, præter sequentia.

Digitized by Google

Oratio.

Deus, qui hodiérna die beátum Agábium Confessórem tuum atque Pontíficem, de mundi hujus naufrágio ad cœléste regnum vocáre dignátus es: tríbue, quæsumus; ut, cujus veneránda celebrámus solémnia, précibus ejus delictórum ómnium véniam consequámur. Per Dóminum.

Evang. Homo péregre. ex Missa. Státuit. de eodem Communi.

Et dicitur Credo. ratione Octavæ.

Secreta.

Sancti Agábii Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum nostrum.

Præfatio de B. Maria V. Et te in Nativitáte.

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum, præsta: ut beáti Agábii Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Die XII.

B. Mariæ Victoriæ de Furnariis Strata Viduæ.

Missa. Cognóvi. de Communi nec Virg. nec Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui ad cœléstis Agni núptias Virgínibus comparándas novam in Ecclésia tua per beátam Maríam Victóriam congregásti famíliam; ejus nobis méritis et précibus concéde terréna cuncta despícere, et cœléstia semper inquírere. Per Dóminum.

Secreta.

Da nobis, clementíssime Deus, ut imménsæ tuæ caritátis pignora offeréntes eo accendámur ardóre, quo beáta María Victória tuis mystériis réfici consuévit. Qui vivis et regnas.

Postcommunio.

Dómine Jesu, qui beátam Maríam Victóriam divíni Sacraménti Córporis, et Sánguinis tui dilectióne admirábilem effecísti: quæsumus; ut, eísdem nos quoque refécti, Redemptiónis tuæ fructus consequámur. Qui vivis et regnas.

Die XVI.

S. Euphemiæ Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Comuni Virg.

FESTA OCTOBRIS.

Die VI.

S. Adalgisii

XXXII. Episc. Novarien., Confess.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont.

Die VII.

S. Marci Papæ, Martyris.

Missa ut in Missali.

Die XXI.

Ss. Ursulæ et **Sociarum** Virginum et Martyrum.

Missa. Loquébar. de Comuni Virg.

Epistola ex Missa. Vultum tuum.

Digitized by Google

Die XXIII.

S. Alexandri I. Papæ, Martyris.

(Ass. a die 3. Maji.)

Missa. Státuit. de Communi unius Mart. Pont.

Die XXV.

Ss. Gavini, Proti et Januarii Martyrum.

Missa. Intret. de Communi plurimorum Mm., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui per beátos Mártyres tuos Gavínum, Protum et Januárium Ecclésiam tuam mirabíliter illustráre dignátus es: concéde nobis fámulis tuis; ut, quos patrónos venerámur in terris, intercessóres habére mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Die XXVI.

S. Evaristi Papæ, Martyris.

Missa. Státuit. de Communi unius Mart. Pont.

Die XXIX.

S. Urbani I. Papæ, Martyris.

(Ass. a die 28. Maji.)

Ut inter Festa pro aliquibus locis, die 28. Maji.

FESTA NOVEMBRIS.

Dominica
infra Octav. Omnium Sanctorum.

Commemoratio Sanctorum, quorum Corpora, seu Reliquiæ in Eccles. Urbis et Diœc. asservantur.

Missa. Sapiéntiam. de Communi plurimor. Martyrum ut in Missali, præter sequentia.

Oratio.

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pignora venerámur. Per Dóminum.

Secreta.

Implorámus, Dómine, cleméntiam tuam: ut Sanctórum tuórum, quorum relíquias venerámur, suffragántibus méritis, hóstia, quam offérimus, nostrórum sit expiátio delictórum. Per Dóminum.

Postcommunio.

Multíplica super nos, quæsumus Dómine, per hæc sancta, quæ súmpsimus, misericórdiam tuam: ut, sicut in tuórum solemnitáte Sanctórum, quorum relíquias cólimus, pia devotióne lætámur; ita eórum perpétua societáte, te largiénte, fruámur. Per Dóminum.

Die IV.

S. Caroli Episc., Conf.

Introitus. Eccli. 45.

IN bonitáte et alacritáte ánimæ suæ plácuit Deo: ídeo státuit illi testaméntum pacis, príncipem sanctórum et gentis suæ, ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 72. Quam bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Ecclésiam tuam, Dómine, sancti Cároli Confessóris tui atque Pontíficis, contínua protectióne custódi: ut sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit; ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre ferventes. Per Dóminum.

Digitized by Google

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 50.

Ecce Sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. Qui præváluit amplificáre civitátem; qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis: et ingréssum domus et átrii amplificávit. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília, quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus ardens in igne. Quasi olíva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens, in accipiéndo ipsum stolam glóriæ, et vestíri eum in consummatiónem virtútis.

Graduale. Consummátus in brevi, explévit témpora multa: plácita enim erat Deo ánima illíus.

℣. Propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

Allelúja, allelúja.

℣. Induit eum stolam glóriæ, et coronávit eum in vasis virtútis. Allel.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Induit eum stolam glóriæ, et coronávit eum in vasis virtútis. Allelúja.

℣. Qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas ætérnitátes fulgébunt. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. c. 10.

IN illo témpore: Dixit Jesus pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit; et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus; et cognósco meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam aúdient, et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Offertorium. Sap. 8. Amávit sapiéntiam a juventúte sua, et quæsívit sibi sponsam eam assúmere, et amátor factus est formæ illíus. Allelúja.

Secreta.

Sancti Cároli Confessóris tui atque Pontíficis pastorális offícii vigilántiam et præcláras virtútes admirántibus: præsta, quæsumus; ut ipsíus inhæréntes vestígiis, tibi digne múnera deferámus. Per Dóminum nostrum.

Communio. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem.

135
Digitized by Google

Postcommunio.

Sanctíficent nos, quæsumus Dómine, sumpta mystéria, et sancto Cárolo Confessóre tuo atque Pontífice intercedénte, nostrórum purífícent máculas delictórum. Per Dóminum nostrum.

Dominica II. Novembris.

B. Mariæ Virginis de Oropa.

Introitus.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis, de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei.

Ps. 47. 10. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui præséntem diem honorábilem nobis in solémni coronatióne salutíferæ Imáginis gloriosíssimæ Genitrícis tuæ Maríæ reddidísti; da fámulis tuis ita ipsam venerári in terris, ut glória et honóre coronári mereámur in cœlis. Qui vivis et regnas.

Et fit Commem. Dominicæ.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 24.

IN ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israël hæreditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion. Quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

Graduale. Cantic. 4, 8. Veni de Líbano, sponsa mea, veni de Líbano, veni: coronáberis de cápite Amana, de vértice Sanir, et Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum.

℣. Cantic. 4. 7. Tota pulchra es, amíca mea, et mácula non est in te.

Allelúja, allelúja.

℣. 1. Mach. 7. 48. Lætátus est pópulus valde, et egérunt diem illam in lætítia magna, et constítuit agi ómnibus annis diem istam. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1.

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galiláeæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat, qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María; invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Credo.

Digitized by Google

Offertorium. Prov. 9. 4. 5. Si quis est párvulus véniat ad me. Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum, quod míscui vobis.

Secreta.

Cónscii, Dómine, indignitátis nostræ, audémus ad treméndam Agni tui mensam accédere, beatíssimæ ejus Matris gratíssima meritórum recordatióne suffúlti: ne repéllas, quæsumus, suspiránium desidéria animárum: sed præsénti oblatióne, ac solemnitáte placátus, tam mirándæ fac nos partícipes sanctitátis. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Præfatio de B. M. V. Et te in Solemnitáte.

Communio. Prov. 8. 34. 35. Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et haúriet salútem a Dómino.

Postcommunio.

Sacraméntis, Dómine, et gaúdiis optátæ celebritátis explétis, tuam misericórdiam súpplices deprecámur: ut erróribus sæculi, et carnis illécebris exémpti, protegénte beáta María semper Vírgine Unigéniti tui Matre, et in fide inveniámur stábiles, et in ópere efficáces. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In fine Missæ legitur Evangelium Dominicæ occurrentis.

Die XXVI.

S. Audentii Confessoris.

Missa. **Os justi.** de Communi Conf. non Pont.

Die XXVII.

B. Margaritæ a Sabaudia

Viduæ.

Missa. **Cognóvi.** ut in Communi nec Virg. nec Mart., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátam Margarítam a sæculi pompa ad húmilem tuæ crucis sequélam, toto corde transíre docuísti: concéde; ut, ejus méritis et exémplo, discámus perítúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ crucis ómnia nobis adversántia superáre: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Secreta.

Múnera, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: ut tibi grata et nobis salutária, beátæ Margarítæ pia supplicatióne, reddántur. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus: ut quos salutáribus dignátus es erudíre mystériis, beátæ Margarítæ intercessióne gloriósa, cœléstibus refícias aliméntis. Per Dóminum.

Die XXVIII.

S. Pontiani I. Papæ, Martyris.

(Ass. ex die 15. Novembris.)

Ut in Missali.

Dominica ultima post Pentecosten.

Anniversarii Dedicationis Basilicæ Cathedralis et Ecclesiarum consecratarum Diœcesis.

Ut in Missali.

Digitized by Google

FESTA DECEMBRIS.

Die IX.

S. Syri Episc., Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont., præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Pontíficis Syri glorióso tránsitu præstitísti: concéde propítius; ut cujus protectióne lætámur, ejúsdem intercessióne indulgéntiam misericórditer consequámur. Per Dóminum.

Die XII.

S. Melchiadis I. Papæ, Martyris.

(Ass. ex die 10. hujus mensis.)

Ut in Missali.

Die XVII.

B. Arialdi Levitæ, Martyris.

Missa. In virtúte. de Communi unius Mart. non Pont.

Evangel. Si quis venit. ex Missa. Státuit. de Communi unius Mart. Pont., præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui beátum Ariáldum sacri cœlibátus adsertórem invíctum et simoníacæ labis insectatórem fortíssimum martýrii laúrea decorásti: concéde propítius; ut castitáte morum fídei integritátem custodiámus, et Ecclésia tua sacerdotális órdinis semper sanctitáte refúlgeat. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Omnípotens ætérne Deus, tuórum hæréditas levitárum et coróna Mártyrum, múnera, quæ in beáti Levítæ et Mártyris tui Ariáldi festivitáte offérimus, réspice benígnus, nobísque concéde: ut immaculátum exhibeámus ministérium nostrum, puríssimam majestáti tuæ hóstiam immolántes. Per Dóminum.

Postcommunio.

Angélica esca, quam hódie beátum Ariáldum commemorántes, in gaúdio percépimus, cordis, corporísque in nobis puritátem confírmet: ut ad cœléstis Agni dapes perveniámus ætérnas. Per Dñm.

Die XXVI.

Coñemoratio Omnium Sanctorum Martyrum.

Facienda in Missa S. Stephani. Orationes. Deus, qui glorificáris. ut in Appendice Missalis 4. loco.

Digitized by Google

APPENDIX.

MISSÆ PER HEBDOMADAM

RESPONDENTES OFFICIIS VOTIVIS HUIC DIŒCESI NOVARIENSI EX INDULTO APOSTOLICO JAM CONCESSIS, ET FIRMIS REMANENTIBUS EX DECRETO URBIS S. R. C. DIE V. JULII MDCCCLXXXIII.

Feria Quinta.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Ut in Missa ex supradicto Decreto edita, in Append. Missalis.

Feria Sexta.

De Sacr. Sindone D. N. J. C.

Ut adnotatur supra Festo die 4. Maji, cum Glória.

Sabbato.

De Immaculata Conceptione Beatæ Mariæ Virginis.

Ut in Missa ex supradicto Decreto edita, in Append. Missalis.

Concordat cum approbatis exemplaribus.

Novariæ, die 27. Aprilis 1909.

Canonicus Thomas Rossi Rev. Eccl.

Imprimatur.

Novariæ, e Palat. Episc. III. Kal. Maji, anno MCMIX.

(L. S.) ✠ **Joseph** Episcopus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 26. Augusti 1909.

Dr. Scheglmann, Vicarii Generalis Substitutus.

Digitized by Google

KALENDARIUM ET INDEX FESTORUM

QUÆ IN HAC ADDITIONE CONTINENTUR.

Januarius. fol.

15. Translationis S. Mauritii Mart., Patroni princ. totius Ditionis Sabaudiæ. 1
19. S. Antheri I. Papæ, Martyris. 1
22. S. Gaudentii Primi Episc. Novariensis, Conf. ac Patroni principalis Civitatis et Diœcesis. 1
29. Octava S. Gaudentii Episc. 3
30. B. Sebastiani Valfrè Conf. 3
31. S. Julii Presbyt., Confess. 3

Februarius.

6. S. Hyacinthæ de Mariscottis Virginis. 4
9. S. Juliani Diaconi, Confessoris. 4
15. S. Telesphori I. Papæ, Martyris. 4
28. S. Ephysii Martyris. 4

Martius.

4. B. Humberti III. Sabaudiæ Comitis, Conf. 5
6. S. Lucii I. Papæ, Martyris. 7
18. Apparitionis Beatæ Mariæ Virginis de Misericordia. 7
30. B. Amedei Ducis Sabaudiæ III., Conf. 8

Aprilis.

6. B. Catharinæ a Palantia Virginis. 8
13. S. Eliæ Confessoris. 8
29. Translationis S. Agabii Episc., Conf. 9
30. S. Laurentii Presbyt., Mart. 9
Dominica II. post Pascha. B. Mariæ Virg. a Sanguine nuncupata de Rhe. 9
Dominica IV. post Pascha. B. Mariæ Virg. sub titulo Providentiæ Matris. 9

Majus. fol.

Dominica I. Beatæ Mariæ Virginis titulo Divini Pastoris Jesu Matris. 11
4. Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C. 12
11. Octava Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C. 12
12. B. Panexiæ Virg., Mart. nuncupatæ. 12
22. S. Demetrii Martyris. 13
29. S. Eleutherii I. Papæ, Martyris. 13
Dominica I. non impedita post Pentecosten. B. Mariæ Virg. de Bono Consilio. 13

Junius.

1. S. Joannis Papæ, Martyris. 13
2. S. Felicis I. Papæ, Martyris. 13
5. B. Pacifici a Ceredano Conf. 13
6. Insignis Miraculi Ss. Corporis D. N. J. C. 13
14. Translationis S. Gaudentii Episc., Patroni. 14
15. S. Bernardi a Menthona Conf. 15
16. Ss. Quirici et Julittæ Mm. 15
18. S. Limbaniæ Virginis. 15
20. S. Silverii Papæ, Martyris. 15
29. Cõmemoratio Omnium Ss. Apostolorum. 15
Dominica ultima Junii. B. Mariæ Virg. de Succursu. 15

Julius.

10. Ss. Silvani et Fratrum Martyrum. 15
11. S. Pii I. Papæ, Martyris. 15
13. S. Anacleti Papæ, Martyris. 15
20. Translationis S. Laurentii Presbyt., Martyris Novariensis. 15
21. Translationis S. Bernardi a Menthona Archidiac., Confess. 15
27. Ss. Rufinæ et Secundæ Virgg. et Mm. 16
30. S. Felicis II. Papæ, Martyris. 16

Digitized by Google

Augustus.	fol.
2. S. Eusebii Episc., Mart.	16
3. Depositionis S. Gaudentii I. Novar. Episc., Conf. et Patroni Princ.	17
11. S. Stephani Papæ, Martyris.	17
13. B. Bonifacii VII. a Sabaudia Archiepisc. Cantuariensis, Confess.	17
14. B. Ludovicæ a Sabaudia Viduæ.	17
16. S. Rochi Confessoris.	18
20. S. Philiberti Abbatis.	18
25. S. Genesii Martyris.	18
26. S. Zephirini Papæ, Martyris.	18
September.	
Dominica I. B. Mariæ V. Gratiarum Matris.	18
6. S. Xysti II. Papæ, Martyris.	18
10. S. Agabii II. Episc. Novar., Conf. et Patroni minus Princip.	18
12. B. Mariæ Victoriæ de Furnariis Strata Viduæ.	19
16. S. Euphemiæ Virg. et Mart.	19
October.	
6. S. Adalgisii XXXII. Episc. Novar., Conf.	19
7. S. Marci Papæ, Martyris.	19
21. Ss. Ursulæ et Sociarum Virgg. et Mm.	19
23. S. Alexandri I. Papæ, Martyris.	20
25. Ss. Gavini, Proti et Januarii Mm.	20
26. S. Evaristi Papæ, Martyris.	20
29. S. Urbani I. Papæ, Martyris.	20

November.	fol.
Dominica infra Octavam Omnium Sanctorum. Commemoratio Sanctorum, quorum Corpora, seu Reliquiæ in Eccles. Urbis et Dicec. asservantur.	20
4. S. Caroli Episc., Conf.	20
Dominica II. Novembris. B. Mariæ Virginis de Oropa.	22
26. S. Audentii Confessoris.	23
27. B. Margaritæ a Sabaudia Viduæ.	23
28. S. Pontiani I. Papæ, Martyris.	23
Dominica ultima post Pentecosten. Anniversarii Dedicationis Basilicæ Cathedralis et Ecclesiarum consecratarum Dicœcesis.	23
December.	
9. S. Syri Episc., Conf.	24
12. S. Melchiadis I. Papæ, Martyris.	24
17. B. Arialdi Levitæ, Martyris.	24
26. Commemoratio Omnium Sanctorum Martyrum.	24

Appendix.

Missæ Votivæ per Hebdomadam.	
Feria Quinta. De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.	25
Feria Sexta. De Sacr. Sindone D. N. J. C.	25
Sabbato. De Imaculata Conceptione B. M. V.	25

Digitized by Google

Ratisbonæ. 1909. Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

Digitized by Google

Dominica I. Maji.

In Festo

B. M. V. Immaculatæ vulgo de Apparecida.

Introitus. Isai. 61.

GAudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo: quia índuit me vestiméntis salútis: et induménto justítiæ circúmdedit me, quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Ps. 29. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: nec delectásti inimícos meos super me.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui per Immaculátam Unigéniti tui Matrem in nos fámulos tuos grátiæ tuæ dona multíplicas: concéde propítius; ut qui ejúsdem Vírginis laudes celebrámus in terris, ipsíus matérnis précibus præmia cónsequi mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 12.

Signum magnum appáruit in cœlo. Múlier amícta sole et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. Et péperit fílium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes in virga férrea: et raptus est fílius ejus ad Deum et ad thronum ejus. Et datæ sunt mulíeri alæ duæ áquilæ magnæ ut voláret in desértum in locum suum. Et misit serpens ex ore suo post mulíerem aquam tamquam flumen, ut eam fáceret trahi a flúmine. Et adjúvit terra mulíerem, et apéruit terra os suum, et absórbuit flumen, quod misit draco de ore suo.

Graduale. Judith 13. Benedícta es tu, Virgo María, a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram.

℣. Ibid. 15. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

Allelúja, allelúja.

℣. Cant. 4. Tota pulchra es, María: et mácula originális non est in te. Allelúja.

In Missis votivis post Septuages., omissis Allelúja, et ℣. sequ., dicitur:

Tractus. Ps. 86. Fundaménta ejus in móntibus sanctis: díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

℣. Ibid. Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

℣. Ibid. Homo natus est in ea, et ipse fundávit eam Altíssimus.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri. Allelúja. ℣. Tota pulchra es, María: et mácula originális non est in te. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1. c.

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galiléæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et no-

Digitized by Google

men Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus.

Credo.

Offertorium. Lucæ 1. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, allelúja.

Secreta.

Salutárem hóstiam, quam in solemnitáte immaculátæ Conceptiónis beátæ Vírginis Maríæ tibi, Dómine, offérimus, súscipe et præsta: ut sicut illam tua grátia præveniénte ab omni labe immúnem profitémur; ita ejus intercessióne a culpis ómnibus liberémur. Per Dóminum nostrum.

Præfatio de B. Maria V. Et te in Conceptióne immaculáta.

Communio. Gloriósa dicta sunt de te, María: quia fecit tibi magna qui potens est.

Postcommunio.

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster: illíus in nobis culpæ vúlnera réparent; a qua immaculátam beátæ Maríæ Conceptiónem singuláriter præservásti. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit.

Concordat cum Originali.

In fidem etc.

Ex Secretaria Sacror. Rituum Congregationis die 24. Aprilis 1906.

+D. Panicii Archiep. Laodicen. S. R. C. Secretarius

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 9. Maji 1906.

Dr. **Fr. X. Leitner**, Vic. in Spir. Gen.

Ratisbonæ 1906. Ex Officina Friderici Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr.

Digitized by Google

Die 13. Septembris.

In Festo

Beatæ Mariæ Virginis a Miraculo.

Introitus. Sedulius.

SAlve, sancta parens, enixa puérpera regem: qui cœlum, terrámque regit in sæcula sæculórum. Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui sub beatíssimæ Vírginis Maríæ singulári patrocínio constitútos, perpétuis beneficiis nos cumulári voluísti: præsta supplícibus tuis; ut, cujus hódie commemoratióne lætámur in terris, ejus conspéctu perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

Et non fit Comem. de Octava Nativitatis B. M. V.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 24. c.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ, et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale. Cant. 6. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol?

℣. Eccli. 50. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis.

Allelúja, allelúja.

℣. Cant. 2. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Gaude María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti.

℣. Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti.

℣. Dum Virgo Deum et hóminem genuísti: et post partum Virgo invioláta permansísti.

℣. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Tempore Paschali, omisso Graduali, dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Num. 17. Virga Jesse flóruit: Virgo Deum et hóminem génuit: pacem Deus réddidit, in se reconcílians ima summis. Allelúja.

℣. Luc. 1. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1. d.

IN illo témpore: Exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne, in civitátem Juda: et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero ejus: et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth: et exclamávit voce magna, et dixit: Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in aúribus meis, exsultávit in gaúdio infans in útero meo. Et beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María: Magnificat ánima mea Dóminum: et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

Credo.

Offertorium. 2. Paralip. 7. Elégi, et sanctificávi locum istum, ut sit ibi no-

Digitized by Google

men meum, et permáneant óculi mei et cor meum ibi cunctis diébus.

Secreta.

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam, atque præséntem hæc oblátio nobis prosíciat prosperitátem et pacem. Per Dóminum nostrum.

Præf. de B. M. V. Et te in Festivitáte.

Communio. Ps. 147. Non fecit táliter omni natióni: et judícia sua non manifestávit eis.

Postcommunio.

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis: da, quæsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi; in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum nostrum.

Die 15. Septembris.

In Festo

Ssmi Redemptoris a Miraculo.

Introitus. Isai. 61.

Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo: quia índuit me vestiméntis salútis: et induménto justítiæ circúmdedit me. Ps. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo: in generatiónem et generatiónem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui Unigénitum tuum mundi Redemptórem constituísti, et per eum, devícta morte, nos misericórditer ad vitam reparásti: concéde; ut hæc benefícia recoléntes, tibi perpétua caritáte adhærére, et ejúsdem redemptiónis fructum percípere mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Comem. diei Octavæ Nativitatis B. M. V.

Oratio.

Fámulis tuis, quæsumus Dómine, cœléstis grátiæ munus impertíre: ut quibus beátæ Vírginis partus éxstitit salútis exórdium, Nativitátis ejus votíva solémnitas, pacis tríbuat increméntum.

In Missis privatis tantum fit Comem. S. Nicomedis Mart.

Oratio.

Adésto, Dómine, pópulo tuo: ut beáti Nicomédis Mártyris tui mérita præclára suscípiens, ad impetrándam misericórdiam tuam semper ejus patrocíniis adjuvétur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 1.

Benedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli, in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum: secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia, et prudéntia. Ut notum fáceret nobis sacraméntum voluntátis suæ, secúndum beneplácitum ejus, quod propósuit in eo.

Graduale. Ps. 85. Omnes gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dómine: et glorificábunt nomen tuum.

℣. Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília: tu es Deus solus.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 73. Deus autem, rex noster ante sæcula: operátus est salútem in médio terræ. Allelúja.

Digitized by Google

Post Septuagesimam, omissis **Allelúja,** et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Isai. 53. **Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit.**
℣. **Et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum.**
℣. **Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras: attrítus est propter scélera nostra.**
℣. **Disciplína pacis nostræ super eum: et livóre ejus sanáti sumus.**

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.
℣. **Ave rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obédiens, ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansuétus ad occisiónem. Allelúja.**
℣. **Tibi glória, hosánna: tibi summæ laudis et honóris coróna. Allelúja.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 3. b.

IN illo témpore: Dixit Jesus Nicodémo: Nemo ascéndit in cœlum, nisi qui descéndit de cœlo, Fílius hóminis, qui est in cœlo. Et sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto; ita exaltári opórtet Fílium hóminis; ut omnis, qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. Non enim misit Deus Fílium suum in mundum, ut júdicet mundum: sed ut salvétur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicátur: qui autem non credit, jam judicátus est: quia non credit in nómine unigéniti Fílii Dei. Credo.

Offertorium. **Salus pópuli ego sum, dicit Dóminus: de quacúmque tribulatióne clamáverint ad me, exaúdiam eos: et ero illórum Deus in perpétuum, allelúja.**

Secreta.

Súscipe, quæsumus Dómine, oblátum redemptiónis ætérnæ mystérium: et præsta; ut unigéniti Fílii tui gloriósis méritis intercedéntibus, vivíficet nos semper, et múniat. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Pro Octava Nativitatis B. M. V.

Secreta.

Unigéniti tui, Dómine, nobis succúrrat humánitas: ut qui natus de Vírgine, matris integritátem non mínuit, sed sacrávit; in Nativitátis ejus solémniis, nostris nos piáculis éxuens, oblatiónem nostram tibi fáciat accéptam Jesus Christus Dóminus noster.

Pro S. Nicomede Mart.

Secreta.

Súscipe Dómine múnera propítius obláta: quæ majestáti tuæ beáti Nicomédis Mártyris comméndet orátio. Per Dóminum.

Præfatio de Cruce. **Qui salútem.**

Communio. Ps. 106. **Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, et mirabília ejus fíliis hóminum, allelúja.**

Postcommunio.

Córporis tui sacri, ac pretiósi sánguinis, quo redémpti sumus, Dómine Jesu Christe, partícipes effécti: quæsumus; ut in nobis tua múnera tueáris, atque a præséntis vitæ malis eréptos, ad bona perdúcas sempitérna: Qui vivis.

Pro Octava Nativitatis B. M. V.

Postcommunio.

Súmpsimus, Dómine, celebritátis ánnuæ votíva sacraménta: præsta quæsumus; ut et temporális vitæ nobis remédia præbeant, et ætérnæ.

Pro S. Nicomede Mart.

Postcommunio.

Purificent nos, Dómine, sacraménta quæ súmpsimus: et intercedénte beáto Nicoméde Mártyre tuo, a cunctis effíciant vítiis absolútos. Per Dóminum nostrum.

Digitized by Google

SALTEN.

Cupiens Rmus Dnus Mathias Linares, Episcopus Salten., ut binis extrinsecis solemnitatibus, alteri de Ssmo Crucifixo, alteri de Beatissima Virgine Deipara, quæ magno et constanti avitæ pietatis studio a fideli Plebe sibi commissæ Diœceseos quotannis celebrari consueverunt, ecclesiasticus ritus accedat, quo devotio magis magisque foveatur, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X. enixis precibus rogavit, ut in Kalendario perpetuo ac Proprio ad usum Diœceseos Salten. diei 13. Septembris affigi valeat festum B. M. V. a Miraculo sub ritu duplici primæ classis cum Octava, adhibendo Officium et Missam festi B. M. V. de Guadalupe, præter brevem propositam additionem ad sextam Lectionem: itemque diei 15 ejusdem mensis sub eodem ritu absque Octava festum Ssmi Redemptoris a Miraculo, cum Officio ac Missa uti in Appendice Breviarii et Missalis Romani die 23. Octobris, festo ipsius Ssmi Redemptoris: nonnullis exhibitis verbis ad calcem sextæ Lectionis addendis. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Præfecto, benigne precibus annuere dignata est, verum sub ritu duplici tantum secundæ classis absque Octava pro utroque enuntiato festo: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28. Martii 1906.

L. ✠ S.

A. Card. Tripepi Pro-Præf.
† **D. Panici** Archiepisc. Laodicen. Secret.

Concordant cum Originalibus.

Saltæ, die 1. Maji 1906.

✠ **Mathias,** Episcopus.

TYPIS FRIDERICI PUSTET, RATISBONAE.

Digitized by Google

PROPRIUM SANCTORUM

METROPOLITANÆ ECCLESIÆ

ET

ARCHIDIŒCESIS SALISBURGENSIS.

RATISBONÆ, ROMÆ, NEO EBORACI ET CINCINNATI.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOST. ET SACR. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI.
MDCCCCII.

Digitized by Google

Approbatio.

Revisione rite peracta omnia cum originalibus concordare reperta sunt, ideoque imprimi possunt.

Ex Curia Principi-Archiepiscopali Salisburgi die V. Martii 1902.

(L. S.) **Bl. Holaus,** K.-Präses.

Sebastianus Danner, Cancellarius.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 21. Martii 1902.

Dr. **Fr. X. Leitner,** Vicarius in Spirit. Gen.

Digitized by Google

PROPRIUM SANCTORUM
METROPOLITANÆ ECCLESIÆ ET ARCHIDIŒCESIS
SALISBURGENSIS.

Die 1. Decembris.

Commemor. **S. Eligii** Episc. Conf.

Orationes ex Missa. **Sacerdótes tui.** de Comũni Conf. Pont. 2. loco.

Die 4. Decembris.

Octava **S. Virgilii** Episc. Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Die 5. Decembris.

S. Barbaræ Virg. et Mart.

Missa. **Loquébar.** de Comm. Virg. et Mart. Evang. **Símile est regnum cœlórum thesaúro.** ex Missa. **Me exspectavérunt.** de eodem Comm. 2. loco.

Die 13. Decembris.

Commemoratio **S. Othiliæ** Virg.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua beátæ Othíliæ Vírginis tuæ solemnitáte lætíficas: da, quæsumus; ut quam veneramur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera, quæ tibi in beátæ Othíliæ Vírginis tuæ solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Postcommunio.

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et intercedénte beáta Othília Vírgine tua, sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum.

Die 18. Decembris.

Exspectatio Partus B. M. V.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 26. Decembris.

Commemoratio

Omnium Ss. Martyrum

in Festo S. Stephani post Comm. Octav. Nativitatis facienda.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum commemoratióne lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Digitized by Google

Secreta.

Oblátis, quæsumus Dómine, placáre munéribus: et, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et intercedéntibus sanctis Martýribus tuis, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Die 23. Januarii.

Desponsatio B. Mariæ V.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 6. Februarii.

S. Amandi Episc. Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Die 9. Februarii.

S. Apolloniæ Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Communi Virg. et Mart.

Die 12. Februarii.

S. Titi Episcopi, Confessoris.

Missa ut in Missali die 6. hujus, omissa Commemor. S. Dorotheæ Virg. et Mart.

Die 13. Februarii.

S. Severini Abbatis.

Missa. Os justi. de Communi Abbatum.

Die 14. Februarii.

S. Meinradi Eremit. Mart.

Missa. In virtúte tua. de Communi unius Mart. non Pont. 1. loco. Evang. Si quis vult. ex Missa. Sacerdótes Dei. de Communi unius Mart. Pont. 2. loco.

Et fit Coñem. S. Valentini Mart.

Die 15. Februarii.

S. Ildefonsi Episc. Conf.

Missa. In médio. de Comm. Doct. Et non dicitur Credo.

Oratio.

Deus, qui per gloriosíssimam Fílii tui Matrem, beátum Ildefónsum, Confessórem tuum atque Pontíficem, misso de thesaúris cœléstibus múnere decorásti: concéde propítius; ut per ejus preces et mérita múnera capiámus ætérna. Per eúmdem Dóminum.

Secreta et Postcoñunio ex Missa. Sacerdótes tui. de Communi Conf. Pont. 2. loco.

Die 16. Februarii.

Ss. XXVI Mm. Japonens.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis die 5. hujus.

Et fit Commem. S. Julianæ Virg. et Mart. ex Missa. Loquébar. de Communi 1. loco.

Die 25. Februarii.

S. Walburgæ Virginis.

Missa. Dilexísti. de Coñuni Virg.

Oratio.

Deus, qui inter innúmera grátiæ tuæ dona, étiam in sexu fœmíneo tua operáris magnália: concéde propítius; ut beátæ Walbúrgæ Vírginis tuæ apud misericórdiam tuam patrocínia sentiámus, cujus non solum castitátis illustrámur exémplis, verum étiam

Digitized by Google

miraculórum glória jucundámur. Per Dóminum.

Die 26. Februarii.

S. Margaritæ de Cortona Pœnitentis.

Missa. Cognóvi. ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die 1. loco.

Die 28. Februarii.

S. Romani Abbatis.

Missa. Os justi. de Coñuni Abbat.

℣ Missæ Passionis et Instrumentorum Domini ut inter Festa pro aliquibus locis iisdem Feriis.

Die 3. Martii.

S. Cunegundis Virginis.

Missa. Vultum tuum. de Communi Virg. 2. loco.

Die 14. Martii.

S. Mathildis Viduæ.

Missa. Cognóvi. de Communi nec Virg. nec Mart.

Die 18. Martii.

S. Gertrudis Virginis.

Missa. Dilexísti. de Coñuni Virg.

Die 22. Martii.

B. Nicolai de Flue Conf.

Missa. Os justi. de Coñuni Conf. non Pont. 1. loco præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Nicoláum Eremítam Angelórum esca mirabíliter nutríre, et sanctíssimæ Trinitátis visióne illustráre voluísti: concéde, quæsumus; ut ejus intercessióne domínicum Corpus et Sánguinem digne súmere in terris, et gloriósum conspícere mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Evangel. Ecce nos relíquimus. de Communi Abbatum.

Die 24. Martii.

S. Gabriëlis Archangeli.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis die 18. hujus.

Die 26. Martii.

S. Ludgeri Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Die 27. Martii.

Obitus **S. Ruperti** Episc. Conf. et Patroni primarii.

Missa ut infra, in Festo Translat. die 24. Sept., præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui nos prædicatióne beáti Rupérti Confessóris tui atque Pontíficis, ad agnitiónem sancti Nóminis tui vocáre dignátus es: concéde propítius; ut cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Die 2. Aprilis.

Commemoratio

S. Mariæ Ægyptiacæ Pœnit.

Orationes ex Missa. Cognóvi. de Communi nec Virg. nec Mart.

Die 6. Aprilis.

B. Julianæ Cornelionensis Virginis.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis die 5. hujus.

Die 7. Aprilis.

B. Hermanni Joseph Conf.

Missa. Os justi. de Coñuni Conf. non Pont. 1. loco.

Digitized by Google

Die 15. Aprilis.

S. Lidwinæ Virginis.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg., præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua beátæ Lidwínæ Vírginis tuæ solemnitáte lætíficas: da, quæsumus; ut quam venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Helenæ Viduæ ex Missa. Cognóvi. de Communi nec Virg. nec Mart.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in beátæ Lidwínæ Vírginis tuæ solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Postcommunio.

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et intercedénte beáta Lidwína Vírgine tua, sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum.

Die 23. Aprilis.

Commemoratio

S. Adalberti Episc. Mart.

Orationes ex Missa. Státuit. de Communi unius Mart. Pont. 1. loco.

Die 26. Aprilis.

Commemoratio

S. Trudberti Martyris.

Orationes ex Missa. Lætábitur. de Communi unius Mart. non Pont. 2. loco.

Die 27. Aprilis.

B. Petri Canisii Conf.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 1. Maji.

Commemoratio

S. Sigismundi Regis, Mart.

Orationes ex Missa. In virtúte. de Com̃. unius Mart. non Pont. 1. loco.

Die 4. Maji.

S. Floriani Martyris.

Missa. Protexísti. de Comm. unius Mart. temp. Paschali, præter sequ.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Floriáni Mártyris tui gloriósæ passiónis ánnua solemnitáte lætíficas: sólita pietátis tuæ largitáte concéde benígnus; ut cujus hódie famósum victóriæ triúmphum pio amóre venerámur in terris, societátis ejus lætítiam adipísci te largiénte mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Secreta.

Munéribus nostris, quæsumus Dómine, precibúsque suscéptis: et cœléstibus nos munda mystériis, et cleménter exaúdi. Per Dóminum.

Postcommunio.

Da, quæsumus Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne sanctórum, temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur adspéctu. Per Dóminum.

Si hoc Festum transferendum sit post Pentecosten, Missa erit. In virtúte. de Communi unius Mart. non Pont. 1. loco, præter Orationes ut supra, et Evangel. Si quis vult. ex Missa. Sacerdótes Dei. de Com̃uni unius Mart. Pont. 2. loco.

Die 11. Maji.

S. Peregrini Latiosi Conf.

Missa. Justus ut palma. de Communi Conf. non Pont. 2. loco.

Digitized by Google

Oratio.

Deus, qui beáto Peregríno Angelum cómitem, magístram Deíparam, Jesum tetri úlceris médicum mire dedísti: da per mérita ipsíus, obsecrámus; ut sanctum Angelum, Vírginem, Salvatórem singuláriter amémus in terris, et collaudémus in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Evangel. Ecce nos relíquimus. de Communi Abbatum.

Die 15. Maji.

S. Isidori Agricolæ, Conf.

Missa. Justus. ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die 1. loco.

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni

Martyris et Patroni.

Missa. Dedit. ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die 2. loco. Oratio autem sumitur ex Missa 1. loco ibid. Et dicitur Credo.

Die 18. Maji.

S. Felicis a Cantalicio Conf.

Missa. Justus ut palma. de Communi Conf. non Pont. 2. loco.

Oratio.

Deus, qui beátum Felícem Confessórem tuum evangélica simplicitáte, vitæque innocéntia in Ecclésia tua claréscere voluísti: fac nos ejus exémplis erudítos et suffrágiis adjútos, ad Christum Jesum, quem ipse in terris inter ulnas accépit, felíciter perveníre. Qui tecum.

Die 23. Maji.

Octava

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Missa ut in Festo.

Die 24. Maji.

B. Mariæ Virginis

sub Titulo

Auxilium Christianorum.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 30. Maji.

Inventio Manus Dexteræ S. Stephani Regis Hung. Conf.

Introitus. Ps. 72.

Tenuísti manum déxteram meam, et in voluntáte tua deduxísti me, et cum glória suscepísti me. (Temp. Paschali. Allelúja, allelúja.)

Ps. 40. Beátus, qui intélligit super egénum, et paúperem, in die mala liberábit eum Dóminus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui es Sanctórum tuórum splendor mirábilis: quique hodiérna die beáti Stéphani Regis et Confessóris tui gloriósam Déxteram revelásti; da nobis fámulis tuis, de ejus semper protectióne gaudére. Per Dóminum.

Et fit Comm. S. Felicis Papæ, Mart. Oratio. Infirmitátem. ex Missa. Státuit. de Communi Mart. Pont. 1. loco.

Léctio libri Tobíæ.

Cap. 4.

Omnibus diébus vitæ tuæ in mente habéto Deum, et cave, ne aliquándo peccáto consséntias, et prætermíttas præcépta Dómini Dei nostri: ex substántia tua fac eleemósynam, et noli avértere fáciem tuam ab ullo paúpere: ita enim fiet, ut nec a te avertátur fácies Dómini. Quómodo potúeris, ita esto misséricors: si multum tibi fúerit, abundánter tríbue: si exíguum tibi fúe-

Digitized by Google

rit, étiam exíguum libénter impertíri stude. Prǽmium enim bonum tibi thesaurízas in die necessitátis, quóniam eleemósyna ab omni peccáto et a morte líberat, et non patiétur ánimam ire in ténebras. Fidúcia magna erit coram summo Deo eleemósyna, ómnibus faciéntibus eam.

Graduale. Isai. 58. Frange esuriénti panem tuum, et egénos, vagósque induc in domum tuam.

℣. Cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris.

Allelúja, allelúja.

℣. Tunc erúmpet quasi mane lumen tuum, et glória Dómini cólliget te. Allelúja.

Temp. Paschali omisso Graduali dicitur Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 40. Beátus, qui intélligit super egénum et paúperem, in die mala liberábit eum Dóminus. Allelúja.

℣. Ps. 36. Tota die miserétur, et cómmodat. Semen illíus in benedictióne erit. Allelúja.

℟ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite, quæ possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesaúrum non deficiéntem in cœlis: quo fur non apprópiat, neque tínea corrúmpit. Ubi enim thesaúrus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium. Ps. 111. Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltábitur in glória. (T. P. Allelúja.)

Secreta.

Múnera, tibi Dómine, nostræ devotiónis offérimus, quæ et pro sancti Stéphani Regis, et Confessóris tui tibi grata sint honóre, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio. 2. Cor. 9. Qui adminístrat semen seminánti, et panem ad manducándum præstábit, et augébit increménta frugum justítiæ ejus. (Tempore Paschali. Allelúja.)

Postcommunio.

Súmpsimus Dómine cœléstia Sacraménta, beáti Stéphani Regis et Confessóris tui solémnia celebrántes: præsta, quæsumus; ut ipso intercedénte, quod temporáliter géssimus, ætérnis gaúdiis consequámur. Per Dóminum.

Feria VI. post Oct. Corporis Christi.

Sacratissimi Cordis Jesu.

Missa. Miserébitur. ut in Missali eadem Feria.

Die 16. Junii.

S. Bennonis Episc. Conf.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 17. Junii.

S. Joañis Francisci Regis Conf.

Missa. Os justi. de Comuni Conf. non Pont. 1. loco.

Oratio.

Deus, qui ad plúrimos pro salúte animárum perferéndos labóres beátum Joánnem Francíscum, Confessórem tuum, mirábili caritáte et invícta patiéntia decorásti: concéde propítius; ut, ejus exémplis instrúcti et intercessiónibus adjúti, ætérnæ vitæ prǽmia consequámur. Per Dóminum.

Digitized by Google

Die 21. Junii.

Commemoratio **S. Albani** Mart. Orationes ex Missa. Lætábitur. de Communi Mart. non Pont. 2. loco.

Die 22. Junii.

Ss. Achatii et Socior. Mm.

Introitus. Eccl. 44.

Apiéntiam Sanctórum narrent pópuli, et laudes eórum núntiet Ecclésia; nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi.

Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Achátii et Sociórum ejus natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dñm.

Et fit Comm. S. Paulini Episc. Conf.

Oratio.

Da, quæsumus omnípotens Deus: ut beáti Paulíni Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis aúgeat, et salútem. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 11. c.

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt ácies gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos: álii autem distenti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem: álii vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula, et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti: quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errántes, in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti, invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 123. Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium. ℣. Láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum et terram.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 67. Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei, et delecténtur in lætítia. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 5.

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et apériens os suum, docébat eos, dicens: Beáti paúperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti mites: quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent: quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt et sítiunt justítiam: quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes: quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti estis cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter

Digitized by Google

me: gaudéte, et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlis.

Offertorium. Ps. 149. Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiónes Dei in faúcibus eórum, allelúja.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Pro S. Paulino. Secreta.

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Dico autem vobis amícis meis: ne terreámini ab his, qui vos persequúntur.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus, Dómine, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Achátio et Sóciis ejus: ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Pro S. Paulino. Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Paulíno Confessóre tuo atque Pontífice benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Die 29. Junii.

Commemoratio

Omnium Ss. Apostolorum.

Oratio.

Da, quæsumus omnípotens Deus: ut beatórum Apostolórum tuórum, quorum hódie commemoratiónem cólimus, veneránda solémnitas et devotiónem nobis aúgeat et salútem. Per Dóminum.

Secreta.

Apostólici reveréntia cúlminis offeréntes tibi sacra mystéria, Dómine, quæsumus: ut beatórum Apostolórum tuórum suffrágiis plebs tua semper et sua vota deprómat, et desideráta percípiat. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sanctórum Apostolórum tuórum, quæsumus Dómine, supplicatióne placátus, et véniam nobis tríbue, et remédia sempitérna concéde. Per Dóminum.

Die 3. Julii.

S. Irenæi Episc. Mart.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis die 4. hujus.

Die 4. Julii.

S. Udalrici Episc. Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Cōmuni Conf. Pont. 2. loco.

Die 7. Julii.

S. Willibaldi Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco, præter sequ.

Oratio.

Deus, qui glorióSum Pontíficem tuum Willibáldum, Anglórum regni hærédem, hodiérna die ad ætérnam Angelórum hæreditátem transtulísti: concéde propítius; ut ejus méritis et intercessióne cohærédes ipsíus in tua glória esse mereámur. Per Dóminum.

Evang. Ecce, nos relíquimus. de Communi Abbatum.

Die 9. Julii.

Ss. XIX Mm. Gorcomiensium.

Missa. Intret. de Communi, præter Orationem sequentem.

Digitized by Google

Oratio.

Deus, qui sanctórum Mártyrum tuórum Nicolái et Sociórum ejus gloriósum pro fide tua certámen æternitátis laúrea decorásti: concéde propítius; ut eórum méritis et imitatióne certántes in terris, cum ipsis coronári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Die 20. Julii.

S. Margaritæ Virg. et Mart.

Missa. Me exspectavérunt. de Communi Virg. et Mart. 2. loco.

Dominica III. Julii.

Sanctissimi Redemptoris.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis die 23. Octobris.

Et fit Commem. Dominicæ occurr.

Die 5. Augusti.

In Festo

Dedicationis B.M.V. ad Nives

fiunt sequentes Commemorationes:

Pro S. Oswaldo Martyre.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut qui beáti Oswáldi Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur.

Pro S. Paride Episc. Conf.

Oratio.

Da, quæsumus omnípotens Deus: ut beáti Páridis Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis aúgeat et salútem. Per Dóminum.

Pro S. Oswaldo Martyre.

Secreta.

Munéribus nostris, quæsumus Dómine, precibúsque suscéptis: et cœléstibus nos munda mystériis, et cleménter exaúdi.

Pro S. Paride Episc. Conf.

Secreta.

Sancti tui, quæsumus Dómine, nos ubíque lætíficent: ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Pro S. Oswaldo Mart.

Postcommunio.

Da, quæsumus Dómine Deus noster: ut sicut tuórum commemoratióne Sanctórum temporáli gratulámur offício, ita perpétuo lætémur adspéctu.

Pro S. Paride Episc. Conf.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Páride Confessóre tuo atque Pontífice benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Die 9. Augusti.

Ss. Afræ et Sociarum Mm.

Missa. Me exspectavérunt. de Communi Mart. non Virg.

Oratio. Da nobis, quæsumus. ibid.

Et fit Commem. Vigiliæ S. Laurentii et S. Romani Mm. ut in Missali eadem die.

In fine ultimum Evang. de Vigilia.

Die 13. Augusti.

S. Cassiani Episc. Mart.

Introitus. Dan. 3.

Sacerdótes Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum.

Ps. ibid. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte, et superexaltáte eum in sæcula.

℣. Glória Patri.

Digitized by Google

Oratio.

Deus, qui nos beáti Cassiáni Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Et fit Coñem. S. Laurentii Mart.

Oratio.

Da nobis, quæsumus omnípotens Deus: vitiórum nostrórum flammas exstínguere; qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre.

Deinde Coñem. S. Hippolyti Mart.

Oratio.

Da, quæsumus omnípotens Deus: ut beáti Mártyris tui Hippólyti veneránda solémnitas et devotiónem nobis aúgeat et salútem. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2. Cor. 1.

Fratres: Benedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra: ut possímus et ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatiónem, qua exhortámur et ipsi a Deo. Quóniam sicut abúndant passiónes Christi in nobis: ita et per Christum abúndat consolátio nostra. Sive autem tribulámur pro vestra exhortatióne et salúte, sive consolámur pro vestra consolatióne, sive exhortámur pro vestra exhortatióne et salúte, quæ operátur tolerántiam earúmdem passiónum, quas et nos pátimur: ut spes nostra firma sit pro vobis: sciéntes quod sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatiónis: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 8. Glória et honóre coronásti eum.

℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Allelúja, allelúja.

℣. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Amen dico vobis, non consummábitis civitátes Israël, donec véniat Fílius hóminis. Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Súfficit discípulo, ut sit sicut magíster ejus: et servo, sicut dóminus ejus. Si patremfamílias Beélzebub vocavérunt: quanto magis domésticos ejus? Ne ergo timuéritis eos. Nihil enim est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et intercedénte beáto Cassiáno Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Digitized by Google

Pro S. Laurentio Mart.

Secreta.

Accipe, quæsumus Dómine, múnera dignánter obláta: et beáti Lauréntii suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium provenire concéde.

Pro S. Hippolyto Mart.

Secreta.

Réspice, Dómine, múnera pópuli tui, sancti Hippólyti festivitáte votíva: et tuæ testificátio veritátis nobis proficiat ad salútem. Per Dóminum.

Communio. Ps. 20. **Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.**

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et intercedénte beáto Cassiáno Mártyre tuo atque Pontífice, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Laurentio Mart.

Postcommunio.

Sacro múnere satiáti, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut quod débitæ servitútis celebrámus offício, intercedénte beáto Laurénti Mártyre tuo, salvatiónis tuæ sentiámus augméntum.

Pro S. Hippolyto Mart.

Postcommunio.

Sacramentórum tuórum, Dómine, commúnio sumpta nos salvet: et in tuæ veritátis luce confírmet. Per Dóminum.

Die 16. Augusti.

S. Rochi Confessoris.

Missa. **Justus ut palma.** de Communi 2. loco.

Oratio.

Pópulum tuum, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi: et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum nostrum.

Die 19. Augusti.

Commemoratio **S. Magni** Mart.

Orationes ex Missa. **Lætábitur.** de Communi Mart. non Pont. 2. loco.

Die 30. Augusti.

S. Hermetis Martyris.

Missa. **In virtúte.** de Comuni unius Mart. non Pont. 1. loco, præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Hermétem Mártyrem tuum virtúte constántiæ in passióne roborásti: ex ejus nobis imitatióne tríbue, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Felicis et Adaucti Martyrum.

Oratio.

Majestátem tuam, Dómine súpplices exorámus: ut sicut nos júgiter Sanctórum tuórum commemoratióne lætíficas; ita semper supplicatióne deféndas. Per Dñm.

Evangel. **Si quis venit.** ex Missa. **Státuit.** de Communi unius Mart. Pont. 1. loco.

Secreta.

Sacrifícium tibi, Dómine, laudis offérimus in tuórum commemoratióne sanctórum: da, quæsumus; ut, quod illis cóntulit glóriam, nobis prosit ad salútem. Per Dóminum nostrum.

Digitized by Google

Pro Ss. Felice et Adaucto Mart.
Secreta.

Hóstias, Dómine, tuæ plebis inténde: et quas in honóre Sanctórum tuórum devóta mente célebrat, profícere sibi séntiat ad salútem. Per Dóminum.

Postcommunio.

Repléti, Dómine, benedictióne cœlésti, quæsumus cleméntiam tuam: ut, intercedénte beáto Herméte Mártyre tuo, quæ humíliter gérimus, salúbriter sentiámus. Per Dóminum.

Pro Ss. Felice et Adaucto Mart.
Postcommunio.

Repléti, Dómine, munéribus sacris, quæsumus: ut intercedéntibus Sanctis tuis, in gratiárum semper actióne maneámus. Per Dóminum.

Dom. post Oct. Assumpt. B. M. V.

Purissimi Cordis B. M. V.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis Domin. III. post Pentecosten.

Die 4. Septembris.

Translatio **S. Erentrudis** Virg.

Missa. Dilexísti. de Comúni Virg.

Die 9. Septembris.

S. Corbiniani Episc. Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Die 13. Septembris.

B. Nothburgæ Virginis.

Missa. Dilexísti. de Comúni Virg., præter Orationes sequ.

Oratio.

Præténde, Dómine, fidélibus tuis déxteram cœléstis auxílii: ut méritis et exémplo beátæ Nothbúrgæ Vírginis te toto corde perquírant; et quæ digne póstulant, cónsequi mereántur. Per Dóminum.

Secreta.

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Digitized by Google

Die 24. Septembris.

Translatio

Sancti Ruperti

Episcopi, Confessoris et Patroni Primarii.

Introitus. Eccli. 45.

Tátuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum, ut sit illi sacerdótii dignitas in ætérnum. Ps. 131. Meménto Dómine David, et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Propitiáre, quæsumus Dómine, nobis fámulis tuis, per sancti Rupérti Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa: ut ejus pia intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 44. et 45.

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum, et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Graduale. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 109. Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

Post Septuagesimam omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum; in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus, et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 109. Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

℣. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 19.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem

Digitized by Google

decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

Credo.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Suscípiat cleméntia tua, Dómine, quæsumus, de mánibus nostris munus oblátum: ut per hujus sancti Confessóris tui, atque Pontíficis Rupérti intercessiónem, ab ómnibus nos emúndet peccátis. Per Dóminum nostrum.

Communio. Matth. 25. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum: euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gaúdium Dómini tui.

Postcommunio.

Divína libántes mystéria, quæ pro sancti Confessóris tui atque Pontíficis Rupérti veneratióne tuæ obtúlimus majestáti: præsta, quæsumus Dómine; ut per ea véniam mereámur peccatórum, et cœléstis grátiæ donis reficiámur. Per Dóminum.

In Ecclesia Metropolitana fit die 24. Septembris Commemoratio Ss. **Chunialdi** et **Gislarii** Confessorum.

Oratio.

Deus tuórum glória sacerdótum: præsta, quæsumus; ut qui beatórum Confessórum tuórum Chuniáldi et Gislárii natalítia cólimus, eórum auxílium sentiámus. Per Dóminum.

Secreta.

Præsta nobis, quæsumus omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio et pro tuórum tibi grata sit honóre sanctórum; et nos páriter córpore et mente purificet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus omnípotens Deus: ut qui cœléstia alimenta percépimus, intercedéntibus beátis Chuniáldo et Gislário Confessóribus tuis, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Digitized by Google

Die 26. Septembris.

Translatio **S. Virgilii** Episc. Conf. Compatroni.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Die 1. Octobris.

Octava Translationis **S. Ruperti** Episc. Conf. Patroni Primarii.

Missa ut in Festo.

Die 11. Octobris.

Ss. Gereonis et **Socior.** Mm.

Missa. Salus autem. de Communi plurim. Mm. 3. loco. Evangel. vero Cum audiéritis. ex Missa. Intret. de eodem Communi 1. loco.

Die 12. Octobris.

S. Maximiliani Episc. Mart.

Missa. Sacerdótes Dei. de Communi unius Mart. Pont. 2. loco. Sed Evang. Si quis venit. ex Missa. Státuit. de eodem Communi 1. loco.

Die 13. Octobris.

Coñemoratio **S. Colomañi** Mart.

Orationes ex Missa. In virtúte. de Comm. unius Mart. non Pont. 1. loco.

Die 16. Octobris.

S. Galli Abbatis.

Missa. Os justi. de Coñuni Abb.

Die 20. Octobris.

S. Vitalis Episc. Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Coñuni Conf. Pont. 2. loco. Orationes autem ex Missa. Státuit. de eodem Communi 1. loco.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et **Soc.** Virgg. et Mm.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die 1. loco.

Die 23. Octobris.

S. Joannis a Capistrano Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont., præter Orationem sequ.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Joánnis, Confessóris tui, méritis et doctrínis mirabíliter sublimásti, et per eum fidéles tuos in virtúte sanctíssimi nóminis Jesu de pérfidis hóstibus triumpháre fecísti: præsta, quæsumus; ut ejus intercessióne de inimícis nostris prævaléntes in terris prémia cùm ipso cónsequi mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Severini Episc. Conf. ex Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Die 24. Octobris.

S. Raphaëlis Archangeli.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 25. Octobris.

Ss. Crysanthi et **Dariæ, Crispini** et **Crispiniani** Mm.

Missa. Sapiéntiam. de Communi plurim. Martyrum 2. loco.

Die 26. Octobris.

Translatio **S. Amandi** Episc. Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Coñuni Conf. Pont., præter Orationem sequ.

Oratio.

Læta nos, quæsumus Dómine, beáti Amándi Confessóris tui atque Pontíficis festívitas semper excípiat: quæ et jucunditátem nobis suæ glorificatiónis infúndat, et tibi nos reddat accéptos. Per Dóminum nostrum.

Digitized by Google

Die 27. Octobris.

B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virginis.

Missa. **Dilexísti.** de Comm. Virg. præter Orat. sequ.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui investigábiles divítias cordis tui beátæ Margarítæ Vírgini mirabíliter revelásti: da nobis ejus méritis et imitatióne; ut te in ómnibus, et super ómnia diligéntes, jugem in eódem corde tuo mansiónem habére mereámur: Qui vivis.

Secreta.

Accépta tibi sint, Dómine, plebis tuæ múnera: et concéde; ut ignis ille divínus nos inflámmet, quo de corde Fílii tui emísso beáta Margaríta veheménter æstuávit. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Córporis et sánguinis tui, Dómine Jesu, sumptis mystériis: concéde nobis, quæsumus, beáta Margaríta Vírgine intercedénte; ut supérbis sæculi vanitátibus exútis, mansuetúdinem et humilitátem cordis tui indúere mereámur: Qui vivis.

Die 31. Octobris.

S. Wolfgangi Episc. Conf.

Missa. **Sacerdótes.** de Communi Conf. Pont. 2. loco. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui nobis ætérnæ salútis beátum Wolfgángum Epíscopum minístrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Et fit Com̃. Vig. Omnium Sanctorum, ac legitur ejus Evang. in fine.

Dominica II. Octobris.

Maternitatis B. Mariæ V.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Dominica.

Dominica IV. vel die 29. Octobris.

Puritatis B. Mariæ V.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis Dominica III. Octobris.

Die 5. Novembris.

Sacrarum Reliquiarum.

Missa. **Multæ tribulatiónes.** ut in fine Festorum pro aliquibus locis.

Die 6. Novembris.

S. Leonardi Abbatis.

Missa. **Os justi.** de Com̃uni Abb.

Die 13. Novembris.

S. Stanislai Kostkæ Conf.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 15. Novembris.

S. Leopoldi March. Austriæ Conf.

Missa. **Os justi.** de Com̃uni Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Leopóldum a sæculi curis ad cœléstem glóriam transvexísti: concéde, quæsumus; ita nos per hæc temporália pertransíre, ut ætérnæ vitæ consórtia mereámur. Per Dóminum.

Evang. **Homo quidam nóbilis.** ut fol. 15* hujus Supplementi.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum, quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Postcommunio.

Deus, qui beátum Leopóldum Confessórem tuum mirificá-

Digitized by Google

sti in terris, et gloriósum in cœlis fecísti: eúmdem, quæsumus, Ecclésiæ tuæ constítue defensórem. Per Dóminum.

Die 16. Novembris.

Commemor. **S. Othmari** Abbatis.

Orationes ex Missa. Os justi. de Communi Abbatum.

Die 26. Novembris.

S. Conradi Episc. Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Cõmuni Conf. Pont. 2. loco.

Die 27. Novembris.

Obitus **S. Virgilii** Episc. Conf. Compatroni.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Die 28. Novembris.

S. Josaphat Episc. Mart.

Missa ut in Missali die 14. hujus.

Dominica III. Novembris.

Patrocinii B. Mariæ Virginis.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis Dominica II. Novembris.

Digitized by Google

Index alphabeticus.

Achatii et Socior. Mm. 22. Junii. pag. 9*
Adalberti Episc. Mart. Commem. 23. Aprilis. 6*
Afræ et Socior. Mm. 9. Augusti. 11*
Albani Mart. Commem. 21. Junii. 9*
Amandi Episc. Conf. Obitus. 6. Februarii. 4*
Amandi Episc. Conf. Translatio. 26. Octobris. 17*
Apolloniæ Virg. et Mart. 9. Februarii. 4*
Apostolorum Omnium Commem. 29. Junii. 10*

Barbaræ Virg. et Mart. 5. Decembris. 3*
Bennonis Episc. Conf. 16. Junii. 8*

Cassiani Episc. Mart. 13. Augusti. 11*
Chrysanthi et Socior. Mm. 25. Octobris. 17*
Colomanni Mart. Commem. 13. Octobris. 17*
Commem. Omnium Ss. Apostolorum. 29. Junii. 10*
Commemoratio Omnium Ss. Mm. 26. Decembris. 3*
Conradi Episc. Conf. 26. Novembris. 19*
Corbiniani Episc. Conf. 9. Septembris. 14*
Cordis Jesu Ss. Feria VI. post Oct. Corp. Christi. 8*
Cunegundis Virg. 3. Martii. 5*

Eligii Episc. Conf. Commem. 1. Decembris. 3*
Erentrudis Virg. Translatio. 4. Septembris. 14*

Felicis a Cantalicio Conf. 18. Maji. 7*
Floriani Mart. 4. Maji. 6*

Gabriëlis Archangeli. 24. Martii. 5*
Galli Abbatis. 16. Octobris. 17*
Gereonis et Socior. Mm. 11. Octobris. 17*
Gertrudis Virg. 18. Martii. 5*
Gorcomiensium XIX Mm. 9. Julii. 10*

Hermanni Joseph Conf. 7. Aprilis. 5*
Hermetis Mart. 30. Augusti. 13*

Japonensium XXVI Mm. 16. Februarii. 4*
Joannis a Capistrano Conf. 23. Octobris. 17*
Joannis Francisci Regis Conf. 17. Junii. 8*
Joannis Nepomuceni Mart. 16. Maji. 7*
— — Octava. 23. Maji. 7*
Josaphat Episc. Mart. 28. Novembris. 19*
Julianæ Cornelionensis Virg. 6. Aprilis. 5*

Ildefonsi Episc. Conf. 15. Februarii. 4*
Inventio Manus Dexteræ S. Stephani Regis Hung. Conf. 30. Maji. 7*
Irenæi Episc. Mart. 3. Julii. 10*
Isidori Agricolæ, Conf. 15. Maji. 7*

Leonardi Abbatis. 6. Novembris. 18*
Leopoldi March. Austriæ Conf. 15. Novembris. 18*
Lidwinæ Virg. 15. Aprilis. 6*
Ludgeri Episc. Conf. 26. Martii. 5*

Magni Mart. Commem. 19. Augusti. 13*
Margaritæ Cortonæ Pœnit. 26. Februarii. pag. 5*
Margaritæ Virg. et Mart. 20. Julii. 11*
Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. 27. Octobris. 18*
Mariæ B. V. sub titulo Auxilium Christianorum. 24. Maji. 7*
— — Desponsatio. 23. Januarii. 4*
— — Exspectatio Partus. 18. Decembris. 3*
— — Maternitatis. Dominica II. Octobris. 18*
— — Patrocinii. Dominica III. Novembris. 19*
— — Purissimi Cordis. Dominica post Oct. Assumptionis. 14*
— — Puritatis. Domin. IV. vel die 29. Oct. 18*
Mariæ Ægyptiacæ Pœnit. Commem. 2. Aprilis. 5*
Martyrum Omnium Commem. 26. Decembris. 3*
Mathildis Viduæ. 14. Martii. 5*
Maximiliani Episc. Mart. 12. Octobris. 17*
Meinradi Eremit. Mart. 14. Februarii. 4*

Nicolai de Flue Conf. 22. Martii. 5*
Nothburgæ Virg. 13. Septembris. 14*

Oswaldi Mart. Commem. 5. Augusti. 11*
Othiliæ Virg. Commem. 13. Decembris. 3*
Othmari Abbatis Commem. 16. Novembris. 19*

Paridis Episc. Conf. Commem. 5. Augusti. 11*
Peregrini Latiosi Conf. 11. Maji. 6*
Petri Canisii Conf. 27. Aprilis. 6*

Raphaëlis Archangeli. 24. Octobris. 17*
Redemptoris Sanctissimi. Dominica III. Julii. 11*
Reliquiarum Sacrarum. 5. Novembris. 18*
Rochi Conf. 16. Augusti. 13*
Romani Abbatis. 28. Februarii. 5*
Ruperti Episc. Conf. et Patroni primarii Obitus. 27. Martii. 5*
— — Translatio. 24. Septembris. 15*
— — Octava Translationis. 1. Octobris. 17*

Severini Abbatis. 13. Februarii. 4*
Sigismundi Regis, Mart. Commem. 1. Maji. 6*
Stanislai Kostkæ Conf. 13. Novembris. 18*

Titi Episc. Conf. 12. Februarii. 4*
Trudberti Mart. Commem. 26. Aprilis. 6*

Udalrici Episc. Conf. 4. Julii. 10*
Ursulæ et Sociar. Virgg. et Mm. 21. Octobris. 17*

Virgilii Episc. Conf. Compatroni Obitus. 27. Nov. 19*
— — Octava. 4. Decembris. 3*
— — Translatio. 26. Septembris. 17*
Vitalis Episc. Conf. 20. Octobris. 17*

Walburgæ Virg. 25. Februarii. 4*
Willibaldi Episc. Conf. 7. Julii. 10*
Wolfgangi Episc. Conf. 31. Octobris. 18*

Digitized by Google

IN UNIVERSA AUSTRIÆ DITIONE

loco Orationis pro Imperatore Romano sequens dicitur pro Imperatore et Rege juxta decis. S. R. C. 10. Febr. 1860.

In Missa Præsanctificatorum Feria VI. in Parasceve inter Orationem pro cunctis Ordinibus et aliam pro Catechumenis hæc pro Imperatore dicetur:



O-ré-mus et pro glo-ri-o-



sís-si-mo Impe-ra-tó-re et



Re-ge nostro N.: ut De-us et



Dó-mi-nus noster det il-li sé-



di-um su-á-rum assistrí-cem



sa-pi-én-ti-am; qua pó-pu-



lum si-bi commís-sum gu-

bérnet, in omni ju-stí-ti-a



et sancti-tá-te, ad di-ví-



nam gló-ri-am et nostram per-



pé-tu-am pa-cem.

Orémus.

Flectámus génua.

℟. Leváte.

Omnípotens, sempitérne Deus, qui regnis ómnibus ætérna potestáte domináris: réspice ad Austríacum benígnus Impérium; ut et Imperátor et Rex juste imperándo, et pópulus fidéliter obediéndo, ad glóriam Tui nóminis et regni tranquillitátem unánimi pietáte conspírent. Per Dóminum.

℟. Amen.

Digitized by Google

Præconium Paschale

Sabbato sancto hac ratione concludetur:



Concordat cum Originali.

Ratisbonæ, die 23. Aprilis 1902.

Dr. **Fr. X. Leitner**, Vic. in Spirit. Gen.

Ratisbonæ. Typis Fr. Pustet, S. ~~Sedis Apost. et S. Rit. Congr.~~ Typogr.

Digitized by Google

Die 15. Martii.

In Festo

B. Clementis Mariæ Hofbauer

Confessoris.

Introitus. Ps. 91.

Ustus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini: in átriis domus Dei nostri.

Ps. ibid. Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Cleméntem Maríam miro fídei róbore et invíctæ constántiæ virtúte decorásti; ejus méritis et exémplis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide et caritáte fervéntes; ut prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 4. b.

Fratres: Spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infírmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur, et benedícimus: persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut fílios meos caríssimos móneo: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesaúrum non deficiéntem in cœlis: quo fur non apprópiat, neque tínea corrúmpit.

Digitized by Google

Ubi enim thesaúrus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium. Ps. 20. In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

Ille nos, quæsumus Dómine, devotiónis ignis accéndat; quo beátus Clemens María, dum salutárem offérret hóstiam, júgiter flagrávit. Per Dóminum.

Communio. Matth. 19. Amen dico vobis: quod vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio.

Cœlésti pane refóctis concéde nobis, omnípotens Deus; ut beáti Cleméntis exémplo in fortitúdine cibi illíus usque ad montem qui Christus est, felíciter perveniámus: Qui tecum vivit et regnat.

DECRETUM.

In Apostolicis litteris in forma Brevis propediem expediendis ad assequendam formalem Beatificationem Ven. Servi Dei **Clementis Mariæ Hofbauer**, sacerdotis professi e Congregatione Ss. Redemptoris et Propagatoris insignis ejusdem Congregationis, quum ex Majorum præscripto et praxi Sacræ Rituum Congregationis apponendæ sint Orationes propriæ in officio et Missa de Communi in honorem novi Beati legendæ ab iis omnibus, quibus in Brevi recensito officium ipsum persolvendi Missamque celebrandi facultas impertitur, Sacra eadem Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Ssmo Domino nostro Leone PP. XIII. tributis, ad humillimas preces R. P. Adami Pfab sacerdotis professi memoratæ Congregationis Ss. Redemptoris, Causæ Postulatoris, suprascriptas Orationes proprias a R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore revisas benigne approbavit atque ab omnibus quibus officium cum Missa concessum est, post expletam formalem Beatificationem recitari posse indulsit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9. Decembris 1887.

Aug.us Card. Bianchi S. R. C. Prefectus

Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius

Concordat cum Originali.

Ratisbonæ, die 10. Februarii 1888.

M. Dandl, Vic. in Spirit. Gen.

Ratisbonæ. Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

Digitized by Google

MISSÆ PROPRIÆ

IN USUM ECCLESIARUM

TOTIUS

INSULÆ SARDINIÆ

A S. RITUUM CONGREG. DECRET. 8. JULII 1908.

ADPROBATÆ

ET DE MANDATO ILL. ET REV. PRÆSULUM

IPSIUS INSULÆ EDITÆ



MECHLINIÆ.
H. DESSAIN,
SUMMI PONTIFICIS, SS. CONGREG. RITUUM ET DE PROPAGANDA FIDE NECNON ARCHIEP. MECHLINIEN. TYPOGRAPHUS.
MCMIX.

Digitized by Google

PROPRIETAS LITTERARIA VINDICABITUR.

Digitized by Google

DECRETA

SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS.

I. Provinciarum Ecclesiasticarum Sardiniæ

Quo magis magisque in sacræ Liturgiæ ordinatione uniformitas habeatur in Ecclesiis totius Insulæ Sardiniæ Rmi Sacrorum Antistites præeuntibus tribus ejusdem Provinciarum Metropolitis, unicum Kalendarium perpetuum in usum singularum Diœcesium sibi creditarum concinnandum curarunt, omni studio adhibito ac diligentia, ut cuncta in eo novissimis Rubricarum placitis atque Apostolicæ Sedis decretis apprime responderent : illudque supremæ Ssmi Domini Nostri Pii Papæ Decimi sanctioni demississime subjecerunt. Quum vero, de mandato ejusdem Sanctissimi Domini nostri, exhibitum Kalendarium Sacra Rituum Congregatio sedulo expenderit, ac probari posse censuerit, sub modo tamen ac forma quibus a se revisum ac dispositum huic præjacet Decreto ; Sanctitas Sua sententiam ipsius Sacri Consilii, ab infrascripto Cardinali eidem Sacro Cœtui relatam, ratam habens, suprascriptum Kalendarium perpetuum in usum totius Insulæ Sardiniæ Diœceseon Suprema Auctoritate Sua approbavit, illudque ab universo Clero sæculari trium Provinciarum Ecclesiasticarum Sardiniæ, necnon a Regularibus Familiis Diœcesano Kalendario utentibus in Horis Canonicis persolvendis Sacroque litando in posterum servari mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 Julii 1908.

S. CARD. CRETONI PRÆF.

Loco ✠ sigilli

† D. PANICI ARCHIEP. LAODICEN. *Secret.*

II. Provinciarum Ecclesiasticarum Sardiniæ

Ad humillimas enixasque preces Rmorum Sacrorum Antistitum totius Insulæ Sardiniæ, ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Præfecto relatas, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa Decimus benigne indulgere dignatus est :

I. Pro universa Insula Sardiniæ :

A. Officium proprium de S. Nicolao Episcopo, Confessore, una cum Missa absque tamen Præfatione propria, hucusque adhibitum in Archidiœcesi Turritana.

B. Officium proprium cum Missa de S. Eusebio Episcopo Martyre, prouti concessum fuit Ecclesiæ Vercellensi, unica tamen cum Oratione de Laudibus, omissa altera de Vesperis.

C. Octavam privilegiatam festi Ssmi Corporis Christi, cum clausula quod infra ipsam celebrentur Duplicia primæ classis tam occurrentia quam translata, et secundæ classis tantum occurrentia.

D. Privilegium transferendi omnia festa duplicia impedita, primæ vel secundæ classis, in dies immediate ac respective sequentes, tanquam in sedes proprias, servatis ceterum Rubricis.

E. Facultatem redigendi ad ritum simplicem festa Translationum vel Inventionum Sanctorum.

II. Pro universis Ecclesiis Sardiniæ, exceptis Ecclesiis Cathedralibus, pro quibus in Kalendario jam provisum fuit, privilegium celebrandi prima die, quæ invenitur libera in Directorio annuali, Officia impedita a festis Sanctorum Titularium.

III. Tandem, pro Ecclesiis Sardiniæ, nulla excepta, ut ad Commemorationes Communes seu Suffragia, post Ss. Apostolos, unica Commemoratio abhibeatur de Sanctis Patronis locorum et Sanctis Titularibus, ad Vesperas et ad Laudes prouti suo loco ponitur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 Julii 1908.

S. CARD. CRETONI PRÆF.

Loco ✠ sigilli

† D. PANICI ARCHIEP. LAODICEN. *Secret.*

SS. D. N. PII PP. X. RESCRIPTUM.

BEATISSIMO PADRE,

Il Sacerdote Pietro Piacenza Protonotario della Congregazione dei sacri Riti, incaricato dai Revmi Arcivescovi e Vescovi dell' isola di Sardegna al riordinamento del Calendario unico e del Proprio per tutte le Chiese Sarde, prostrato al Trono della S. V. umilmente implora che sia permesso al Clero di tutte le Diocesi della Sardegna di celebrare la memoria della Consecrazione di tutti i Vescovi dell' isola in un sol giorno, cioé nella Domenica in cui si recita l'officio e la Messa di tutti i Santi Pontefici Romani, col canto della Messa seguita dal canto del *Te Deum* in tutte le Cattedrali, e con la commemorazione in tutte le Messe. Cosl pure di celebrare l' anniversario della morte di tutti i Vescovi dell' isola in un solo giorno, cioé nel lune dl dopo la predetta festa di tutti i Ss. Pontefici, nell' intento di ottenere una maggiore uniformità nell' unico Calendario, che ogni anno verrà compilato ad uso di tutte le Diocesi della Sardegna.

Che della grazia ecc.

Juxta preces in Domino die 11 Sextilis 1908.

PIUS PP. X.

Digitized by Google

ADPROBATIO.

Proprium Missarum pro tota Insula Sardiniæ opera et typis H. Dessain editoris Mechliniensis excusum cum originali a S. RR. Congregatione reviso convenire reperimus, ideoque adprobavimus, et evulgandi licentiam dedimus, prout per præsentes adprobamus ac licentiam damus.

In quorum fidem hæc signavimus, die 22 Octobris 1908.

† FR. PETRUS **Archiep. Calaritanus,**
Administrator Apostolicus Uxellensis et Terralbensis.

† SALVATOR, **Archiep. Arborensis.**

† ÆMILIUS, **Archiep. Turritanus,**
Administrator Apostolicus Ampuriensis et Templensis.

† PHILIPPUS, **Episc. Bisarchiensis.**

† LUCAS, **Episc. Galtellinensis et norensis.**

† JOANNES BAPTISTA, **Episc. Bosanensis,**
Administrator Apostolicus Ecclesiensis.

† ERNESTUS, **Episc. Algarensis.**

Canonicus Joannes Basilius Murgia,
Vicarius Capitularis Oleastrensis.

Imprimatur. — Mechliniæ, die 5 Decembris 1908.

H. J. DE CLERCK, **Vic. Gen.**

Digitized by Google

MISSÆ PROPRIÆ

TOTIUS

INSULÆ SARDINIÆ

FESTA NOVEMBRIS.

DIE 27. NOVEMBRIS.

MANIFEST. IMMAC. B. V. M.
VULGO A SACRO NUMISMATE.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 28. NOVEMBRIS.
(d. a. e 19. hujus.)

S. ELISABETH, VIDUÆ.

Missa ut in Missali die 19. Nov.

DIE 29. NOVEMBRIS.
(d. a. e 20. hujus.)

B. MARGARITÆ A SABAUDIA VIDUÆ.

Missa. **Cognóvi.** de Comm. nec Virg. nec Mart. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui beátam Margarítam a sæculi pompa ad húmilem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuísti: concéde; ut ejus méritis, et exémplo, discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adversántia superáre. Qui vivis.

Secreta.

Múnera, Dómine, nostræ devotiónis offérimus, ut tibi grata, et nobis salutária, beátæ Margarítæ pia supplicatióne reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut quos salutáribus dignátus es erudíre mystériis, beátæ Margarítæ intercessióne gloriósa, cœléstibus refícias aliméntis. Per Dñum.

EADEM DIE 29.

Calaris.

OCTAVA S. CÆCILIÆ, VIRG. MART.

Missa ut in die.

DIE 30. NOVEMBRIS.

Oleastræ

S. ANDREÆ APOST. TITUL. ECCL. CATHEDR.

Missa ut in Missali.

DOM. II. NOVEMBRIS.

PATROCINIUM B. MARIÆ V.

Missa. **Salve, sancta parens.** ut in Missis votivis a Pentec. ad Adventum.

FESTA DECEMBRIS.

DIE 1.
(d. a. e 13. Novembris.)

S. DIDACI CONFESSORIS.

Missa ut in Missali die 13. Nov.

DIE 4. DECEMBRIS.

S. BARBARÆ, VIRG. ET MART.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 5. DECEMBRIS.
(d. a. ex heri.)

S. PETRI CHRYSOLOGI EPISC. CONF. DOCT.

Missa ut in Missali ex heri.

DIE 6. DECEMBRIS.

S. NICOLAI EPISC. ET CONF.,
Turribus
TITULARIS ECCLESIÆ METROPOL.

Introitus. Is. 58.

Cum effúderis esuriénti ánimam tuam, oriétur sicut merídies lux tua, et ossa tua Dóminus liberábit, erísque sicut hortus irríguus et sicut fons, cujus non

Digitized by Google

deficiunt aquæ. Ps. 12. Cantáte Dómino quóniam magnífice fecit ; annuntiáte hoc in univérsa terra. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beatíssimum Nicoláum, gloriósum Confessórem tuum atque Pontíficem, innúmeris decorásti, et quotídie non cessas decoráre miráculis : tríbue, quæsumus ; ut ejus méritis et précibus a gehénnæ incéndiis et periculis ómnibus liberémur. Per Dóminum.

Léctio Isaíæ Prophétæ. Isaiæ 49.

Dóminus dixit ad me : Servus meus es tu, quia in te gloriábor. In témpore plácito exaudívi te, et in die salútis auxiliátus sum tui : et servávi te, et dedi te in fœdus pópuli, ut suscitáres terram, et possidéres hæreditátes dissipátas : ut díceres his qui vincti sunt : Exíte : et his, qui in ténebris : Revelámini. Super vias pascéntur, et in ómnibus planis páscua eórum. Non esúrient, neque sítient, et non percútiet eos æstus et sol : quia miserátor eórum reget eos, et ad fontes aquárum potábit eos. Et ponam omnes montes meos in viam, et sémitæ meæ exaltabúntur. Ecce isti de longe vénient, et ecce illi ab Aquilóne et mari, et isti de terra Austráli. Laudáte cœli, et exsúlta terra, jubiláte montes laudem : quia consolátus est Dóminus pópulum suum, et páuperum suórum miserébitur.

Graduale. Is. 22. Vocábo servum meum, et confortábo eum ; et potestátem dabo in manu ejus, et erit quasi pater pópulo suo. ℣. Quia factus est fortitúdo páuperi, fortitúdo egéno in tribulatióne sua.

Allelúia, allelúia. ℣. ibid. 11. Stat in signum populórum, ipsum gentes deprecabúntur, et erit sepúlchrum ejus gloriósum. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia. et versu sequenti, dicitur :

Tractus. Matth. 6. Te faciénte eleemósynam nésciat sinístra tua quid fáciat déxtera tua : ut sit eleemósyna tua in abscóndito, et pater tuus, qui videt in abscóndito, reddet tibi. ℣. Tob. 14. Bona est orátio cum jejúnio et eleemósyna magis quam auri thesáuros recóndere. ℣. Quóniam eleemósyna a morte líberat, et facit invenire misericórdiam et vitam ætérnam.

Temp. Pasch. omittitur Graduale, et ejus loco dicitur : Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 34. Anima mea exsultábit in Dómino, et delectábitur super salutári suo : ómnia ossa mea dicent : Dómine quis símilis tibi. Allelúia. ℣. Phil. 1. Magnificábitur Christus in córpore meo sive per vitam, sive per mortem. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 10.

In illo témpore misit Jesus duódecim discípulos suos, præcípiens eis, dicens : In viam Géntium ne abiéritis et in civitátes Samaritanórum ne intravéritis, sed pótius ite ad oves, quæ periérunt domus Israël. Eúntes autem prædicáte, dicéntes : Quia appropinquávit regnum cœlórum. Infírmos curáte, mórtuos suscitáte, leprósos mundáte, dæmones ejícite : gratis accepístis, gratis date. Nolíte possidére aurum, neque argéntum, neque pecúniam in zonis vestris : non peram in via neque duas túnicas, neque calceaménta, neque virgam : dignus est enim operárius cibo suo.

Turribus dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 117. Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me, déxtera Dómini fecit virtútem : non móriar, sed vivam et narrábo ópera Dómini.

Digitized by Google

Secreta.

Multiplicátis circa nos miseratiónibus tuis grátias ágimus, Dómine, humíliter deprecántes, ut, sicut beatíssimum Nicoláum virtútum et miraculórum glória sublimásti, ita bonórum óperum testimónio nos prælucére concédas. Per Dóminum.

Communio. Hebr. 2. Misericors factus est et fidélis Póntifex ad Deum, ut repropitiáret delícta pópuli, potens et eis qui tentántur, auxiliári.

Postcommunio.

Deus, qui beátum Nicoláum spíritus sciéntia illustrátum caritátis incéndio æstuáre fecísti : da nobis, ipsíus intercessióne, eámdem fidei et caritátis virtútem ; ut temporália despiciéntes, ad cœléstia tota mentis intentióne festinémus. Per Dóminum.

DIE 7. DECEMBRIS.

Oleastræ.

OCTAVA S. ANDREÆ APOST.

Missa ut in die.

DIE 9. DECEMBRIS.

Bisarchii et *Sulci.*

(d. a. e 20. Novembris.)

S. FELICIS DE VALOIS CONF.

Missa ut in Missali die 20. Nov.

EADEM DIE 9.

Calaris.

(d. a. e 29. Novembris.)

B. MARGARITÆ A SABAUDIA VIDUÆ.

Missa ut supra die 29. Nov.

EADEM DIE 9.

Oleastræ.

(d. a. e 7. hujus.)

S. AMBROSII EPISC. CONF. DOCT.

Missa ut in Missali die 7. Decembris.

DIE 10. DECEMBRIS.

TRANSLATIO DOMUS LAURETANÆ B. M. V.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 13. DECEMBRIS.

Turribus.

OCTAVA S. NICOLAI EPISCOPI CONFESSORIS.

Missa ut in die.

DIE 14. DECEMBRIS.

Turribus.

(d. a. ex heri.)

S. LUCIÆ VIRG. MART.

Missa ut in Missali die 13. Decembris.

DIE 16. DECEMBRIS.

ORDINATIO S. EUSEBII IN EPISC.

Introitus. Psalm. 131.

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum, ut sit illi sacerdótii dignitas in ætérnum. Ps. ibid. Meménto Dómine David, et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Sancti Eusébii Confessóris tui atque Pontíficis ánnua festa Ordinatiónis recoléntes ; quæsumus Dómine, ut quæ tuórum nobis sunt instruménta præséntium, fiat æternórum patrocínia gaudiórum. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 10.

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum : descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum

Digitized by Google

deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam, Dóminus Deus noster.

Graduale. Eccli. 44. Ecce Sacérdos magnus qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem excélsi.

Allelúia, allelúia. ℣. Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit, et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus, et cognósco oves meas: et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem; et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient; et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum; óleo sancto meo unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera propítius obláta, quæ Majestáti tuæ beátus Eusébius Conféssor tuus et Póntifex comméndet. Per Dóminum.

Communio. Lucæ 12. Fidélis servus, et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Eusébio Confessóre tuo atque Pontífice, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

DIE 17. DECEMBRIS.

S. LAZARI RESUSCITATI EPISC. CONF.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 18. DECEMBRIS.

EXPECTATIO PARTUS B.M.V.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 23. DECEMBRIS.

S. VICTORIÆ, VIRG. MART.

Missa. **Loquébar.** de Comm. Virg. et Mart.

Oratio.

Deus, qui beátam Victóriam Vírginem tuam virtúte constántiæ, miraculórum glória, et martyrii palma decorásti: concéde propítius; ut cujus lætámur triúmphis, adjuvémur auxíliis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

FESTA JANUARII.

DIE 15.

S. EPHYSII MARTYRIS.

Introitus. Psalm. 16.

Probásti, Dómine, cor meum, et visitásti nocte: igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas. Ps. ibid. Exáudi Dómine justítiam meam: inténde deprecatiónem meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui signo crucis tuæ beátum mártyrem Ephysium fídei præcónem ad converténdas infidélium gentes cœlitus vocáre dignátus es: præsta, quæsumus; ut quem fidei propagatórem habúimus in terris, intercessórem gloriósum habére mereámur in cœlis. Qui vivis et regnas.

Digitized by Google

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 1.

Fratres : Verbum crucis pereúntibus quidem stultítia est ; iis autem qui salvi fiunt, idest nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim : perdam sapiéntiam sapiéntium et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens ? ubi scriba ? ubi conquisítor hujus sæculi ? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi ? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum ; plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judæi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt : nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam, ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem, et Dei sapiéntiam.

Graduale. Exod. 15. Gloriósus Deus in Sanctis suis : mirábilis in majestáte, fáciens prodígia. ℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte : déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúia, allelúia. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 10.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram : non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, et fíliam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suam : et inimíci hóminis doméstici ejus. Qui amat patrem, aut matrem, plus quam me, non est me dignus ; et qui amat fílium, aut fíliam super me, non est me dignus. Qui invéniet ánimam suam, perdet illam, et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam.

Offertorium. Ps. 112. Déxtera Dómini fecit virtútem ; déxtera Dómini exaltávit me ; non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Secreta.

Sancti Ephysii Mártyris tui précibus hæc oblátio, Dómine, ad perpétuam, ac præséntem proficiat prosperitátem, et pacem. Per Dóminum.

Communio. Ps. 20. Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

Refécti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster, ut cujus exéquimur cultum, intercedénte beáto Ephysio Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

DIE 17. JANUARII.

Ampuriæ.

S. ANTONII ABB. CONF. PATRONI PRINC. ET TITUL. ECCL. CATHEDR.

Missa ut in Missali hac die.

DIE 19. JANUARII.

S. FULGENTII EPISC. CONF.

Missa. Sacerdótes. de Communi Conf. Pont.

DIE 23. JANUARII.

DESPONSATIO B. MARIÆ V. CUM S. JOSEPH.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 24. JANUARII.

Ampuriæ.

OCTAVA S. ANTONII ABBATIS.

Missa ut in die.

DIE 28. JANUARII.

S. JULIANI EPISC. CONF.

Missa ut in fine Missalis.

DOM. III. POST EPIPHANIAM.

S. FAMILIÆ JESU, MARIÆ, JOSEPH.

Missa ut in fine Missalis.

Digitized by Google

FESTA FEBRUARII.

DIE 3.

S. BLASII EPISC. MART.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 6. FEBRUARII.

S. POTITI MART. SARD.

Missa. **In virtúte tua.** de Comm. unius Mart. præter Orationem.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Mártyris tui Potíti ánnua celebritáte lætíficas : concéde propítius ; ut de cujus triumpháli agóne lætámur in terris, ad ejus glóriæ consórtium pervenire felíciter mereámur in cœlis. Per Dóminum.

DIE 13. FEBRUARII.

(d. a. e 15. Januarii.)

S. PAULI PRIMI EREMITÆ CONF.

Missa ut in Missali die 15. Jan.

DIE 14. FEBRUARII.

(d. a. e 6. Februarii.)

S. TITI EPISC. CONF.

Missa ut in Missali die 6. Febr.

DIE 15. FEBRUARII.

(d. a. ex 11. hujus.)

SS. MART. TURRITANORUM.

Missa. **Sapiéntiam.**

Oratio.

Præsta quæsumus, omnípotens Deus, ut qui sanctórum tuórum Mártyrum Turritanórum natalítia cólimus ; a cunctis malis imminéntibus eórum intercessiónibus liberémur. Per Dóminum.

DIE 16. FEBRUARII.

(d. a. ex 23. Januarii.)

S. RAYMUNDI DE PENNAFORT CONF.

Missa ut in Missali die 23. Jan.

DIE 17. FEBRUARII.

Ampuriæ.

(d. a. ex 24. Januarii.)

S. TIMOTHEI EPISC. MART.

Missa ut in Missali, die 24. Januarii.

DIE 25. VEL 26. FEBRUARII.

S. ALEXANDRI EP. ALEXANDRINI CONFESSORIS.

Missa. **Sacerdótes.** de Communi ij. loco.

DIE 26. VEL 27. FEBRUARII.

S. MARGARITÆ CORTONEN. PŒNIT.

Missa ut in fine Missalis die 23. hujus.

MISSÆ

Oratiónis D. N. J. C., Feria iij. post Dom. Septuag. ; **Commem. Passionis,** Fer. iij. post Dom. Sexag.; **Spineæ Coronæ,** Fer. vj. post Cineres ; **Lanceæ et Clavor.** Fer. vj. post Dom. I. Quadrag. ; **Sindonis,** Fer. vj. post Dom. II. Quadrag. ; **Quinque Vulnerum,** Fer. vj. post Dom. III. Quadrag. ; **Pretios. Sanguinis.** Fer. vj. post Dom. IV. Quadrag. inveniuntur in fine Missalis, iisdem Feriis.

FESTA MARTII.

DIE 4.

B. HUMBERTI III. A SABAUDIA CONFESSORIS.

Missa. **Os justi.** de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

Deus, qui beátum Humbértum cœlésti regno terrénum postpónere, et Crucis mortificatiónem amplécti docuísti ; da nobis, quæsumus, ejus intercessióne et exémplo, terréna despícere atque ætérna sectári. Per Dóminum.

Evang. **Homo quidam.** in Missali, die 25. Augusti.

Secreta.

Hóstia, quam tibi offérimus, Dómine, Unigéniti Fílii tui Passiónis mystéria renovántes, amórem tuum nostris pectóribus ínserat, quo beáti Humbérti cor æstuábat. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Digitized by Google

Postcommunio.

Cœlésti dape refécti, te, Dómine, deprecámur, ut beáti Humbérti méritis et exémplo, mundánis cupiditátibus expediti, gáudia cum ipso cónsequi mereámur ætérna. Per Dóminum.

DIE 5. MARTII.

(d. a. ex heri.)

S. CASIMIRI CONFESSORIS.

Missa ut in Missali, ex heri.

DIE 18. MARTII.

B. SALVATORIS AB HORTA CONFESSORIS.

Missa. **Justus ut palma.** de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Salvatóris Confessóris tui memóriam recoléntes; ipsíus intercessióne a cunctis malis liberémur in terris et ad gáudia sempitérna pervenire mereámur in cœlis. Per Dóminum.

DIE 20. MARTII.

(d. a. ex 18. hujus.)

S. CYRILLI JEROSOL. EPISC. CONF. DOCT.

Missa ut in Missali, die 18. hujus.

DIE 22. MARTII.

S. CATHARINÆ FLISCÆ VIDUÆ.

Missa. **Sitívit.** ut in fine Missalis.

DIE 24. MARTII.

S. GABRIELIS ARCHANGELI.

Missa ut in fine Missalis, die 18. hujus.

DIE 30. MARTII.

B. AMEDEI IX A SABAUDIA CONFESSORIS.

Missa. **Os justi.** de Comm. Conf. non Pont. Evang. **Homo quidam.** ut in festo S. Ludovici, 25. Augusti.

Oratio.

Deus, qui beátum Amedéum Confessórem de terréno principátu ad cœléstem glóriam transtulísti; da nobis, quæsumus: ut ejus méritis, et imitatióne, sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per Dóminum.

Et fit com. Feriæ occurr.

FESTA APRILIS.

DIE 2. APRILIS.

Calaris.

S. FRANCISCI A PAULA CONF. PATRON. MIN. PRINC.

Missa ut in Missali hac die.

DIE 23. APRILIS.

S. GEORGII MARTYRIS.

Missa ut in Missali hac die.

DIE 24. APRILIS.

B. MARIÆ VIRG. TITULO DE BONARIA PATRONÆ MAXIMÆ TOTIUS SARDINIÆ.

Introitus.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis, de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Allelúia, allelúia. Ps. 44. **Eructávit cor meum verbum bonum, dico ego ópera mea Regi.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Omnípotens et misércors Deus, qui Genitrícis Fílii tui Imáginem per maris undas mirabíliter traduxísti, præsta, quæsumus, ut ipsíus beátæ Maríæ Vírginis patrocínio, e præséntis vitæ flúctibus edúcti, ad portum vitæ ætérnæ pervenire felíciter mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Libri Sapiéntiæ.

Eccl. 24. 7. et seq.

Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis Gyrum cœli circuívi sola, et profúndum abyssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti. Et in omni pópulo, et in omni gente primátum hábui, et ómnium

Digitized by Google

excelléntium et humílium corda virtúte calcávi: et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium, et qui creávit me requiévit in tabernáculo meo et dixit mihi in Jacob inhábita et in Israël hæreditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi. Et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion: quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi, quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

Graduale. Allelúia, allelúia. ℣. Cant. 4. 8. 1. Veni de Líbano Sponsa mea, veni: coronáberis de cápite Amana, de vértice Sanir et Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum. Allelúia. ℣. Luc. 1. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 1.

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam dixit: Ave grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: ne tímeas María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries Fílium, et vocábis nomen ejus Jesum.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Hebr. 4. 16. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno. Allelúia.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera quæ in Genitrícis Fílii tui solemnitáte deférimus, cujus nos confídimus patrocínio ab ómnium errórum collúvie liberári. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de B. M. V. Et te in solemnitáte.

Communio. Prov. 8. 34. Beátus homo qui audit me et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino. Allelúia.

Postcommunio.

Fidéles tuos, Dómine, custódiant sumpta mystéria, et Unigéniti tui Matre intercedénte, ab omni hujus sæculi corruptióne eréptos ad cœléstem pátriam felíciter perdúcant. Per eúmdem Dóminum.

DIE 26. APRILIS.

B. M. V. DE BONO CONSILIO.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 27. APRILIS.

(d. a. ex 24. hujus.)

S. FIDELIS A SIGMARINGA MARTYRIS.

Missa ut in Missali, die 24. Aprilis.

FESTA MAJI.

DIE 1.

SS. PHILIPPI ET JACOBI APOST.

Missa ut in Missali.

Et fit commem. diei Octavæ B. Mariæ de Bonaria, cum Orationibus Missæ de die.

Digitized by Google

DIE 11. MAJI.

(d. a. ex 26. Aprilis.)

SS. CLETI ET MARCELLINI

PONT. MART.

Missa ut in Missali, die 26. Aprilis.

DIE 14. MAJI.

SS. JUSTÆ, JUSTINÆ ET HENEDINÆ VIRG. ET MART. SARD.

Alesii.

PATRON. PRINCIP.

Introitus. Ps. 118.

Me exspectavérunt peccatóres, ut pérderent me; testimónia tua, Dómine, intelléxi: omnis consummatiónis vidi finem : latum mandátum tuum nimis. Allelúia, allelúia. Ps. ibid. **Beáti immaculáti in via : qui ámbulant in lege Dómini.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Da nobis, quæsumus Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Justæ, Justínæ et Henedínæ palmas incessábili devotióne venerári : ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

1. Cor. 7. e.

Fratres : De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit : tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico fratres : Tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint : et qui flent, tamquam non flentes : et qui gaudent, tamquam non gaudéntes : et qui emunt, tamquam non possidéntes : et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur : præterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est, quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo, cógitat quæ Dómini sunt; ut sit sancta córpore, et spíritu: in Christo Jesu Dómino nostro.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 44. **Adducéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia.** Allelúia. ℣. **Spécie tua, et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna.** Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes : sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum. Prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt : Date nobis de óleo vestro : quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes : Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem

Digitized by Google

irent émere, venit sponsus : et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes : Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait : Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem neque horam. *Alesii* dicitur **Credo.**

Offertorium. Ps. 44. **Afferéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne : adducéntur in templum Regi Dómino, allelúia.**

Secreta.

Intende, quæsumus, Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Justæ, Justínæ et Henedínæ festivitáte propósita : ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Communio. Matth. 23. **Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus : média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam Christo Dómino, allelúia.**

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus, Dómine, intercedéntibus sanctis Virgínibus et Martyribus tuis : ut, quod ore contingimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

DIE 15. MAJI.

S. SIMPLICII EP. MART. SARD.

Templi.

PATRON. PRINCIP.

Missa. **Protexísti.** de Comm. Temp. Pasch. Oratio. **Infirmitátem.** Extra Temp. Pasch. **Státuit.** j. loco. *Templi* dicitur **Credo.**

DIE 16. MAJI.

S. JOANNIS NEPOMUCENI MARTYRIS.

Missa de Comm. pro diversitate temporum, cum Orationibus propriis ut in fine Missalis.

DIE 21. MAJI.

S. FELICIS A CANTALICIO CONFESSORIS.

Missa ut in fine Missalis.

EADEM DIE 21.

Alesii.

OCTAVA SS. JUSTÆ ET SOC. VIRG. MART.

Missa ut in die.

DIE 22. MAJI.

(d. a. ex 15. hujus.)

S. JOANNIS BAPTISTÆ DE LA SALLE CONF.

Missa ut in Missali, die 15. Maji.

EADEM DIE 22.

Templi.

OCTAVA S. SIMPLICII EPISC. MART.

Missa ut in die.

DIE 23. MAJI.

(d. a. ex 15. hujus.)

S. ISIDORI AGRICOLÆ CONF.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 24. MAJI.

B. MARIÆ V. AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 28. MAJI.

SS. ÆMILII ET PRIAMI MART.

Bosæ. PATRON. PRINCIP.

Missa. **Sancti tui.** de Comm. plur. Mart. Temp. Pasch.

Extra Temp. Pasch. **Intret.** cum sequentibus Orationibus.

Oratio.

Præsta quæsumus omnípotens Deus, ut intercedéntibus beátis Martyribus tuis Æmílio ac Priámo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum. *Bosæ* dicitur **Credo.**

Secreta.

Oblátis, quæsumus Dómine, placáre munéribus, et intercedéntibus sanctis martyribus tuis Æmílio

Digitized by Google

ac Priámo, a cunctis nos deténde periculis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Refécti participatióne múneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster; ut quorum exséquimur cultum, intercedéntibus beátis martyribus tuis Æmílio ac Priámo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

DIE 29. MAJI.

SS. FELICIS ET LUCIANI
MART. SARD.

Missa. **Sancti tui.** de Comm. plur. Mart. Temp. Pasch. Oratio. **Deus qui nos concédis.** Secreta. **Múnera.** Postcomm. **Præsta nobis.** Extra Temp. Pasch. **Sapiéntiam.**

DIE 30. MAJI.

SS. GABINI ET CRISPULI
MART. SARD.

Missa. **Sancti tui.** de Comm. Temp. Pasch. Oratio. **Deus qui nos ánnua.** Secreta. **Oblátis.** Postcomm. **Hæc nos.** Extra Temp. Pasch. **Intret.**

DIE 31. MAJI.

S. CRESCENTIANI MART.
TURRITANI.

Missa. **Protexísti.** de Comm. unius Mart. Temp. Pasch. Oratio. **Præsta... ut qui.** Secreta. **Munéribus.** Postcomm. **Da, quæsumus.** Extra Temp. Pasch. **In virtúte.** Evang. **Si quis venit.** ex Missa. **Státuit ei.**

FESTA JUNII.

DIE 1.

B. M. V. TITULO GRATIARUM

Missa ut in fine Missalis, die 9. Junii.

DIE 2. JUNII.

(d. a. ex 28. Maji.)

S. AUGUSTINI EPISC. CONF.

Missa ut in Missali, die 28. Maji.

DIE 3. JUNII.

(d. a. ex 29. Maji.)

S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS VIRG.

Missa ut in Missali, die 29. Maji.

DIE 4. JUNII.

Bosæ.

OCTAVA SS. ÆMILII ET PRIAMI MARTYRUM.

Missa ut in die.

DIE 7. JUNII.

(d. a. ex 31. Maji.)

S. ANGELÆ MERICI VIRG.

Missa ut in Missali, die 31. Maji.

DIE 8. JUNII.

S. SALLUSTIANI CONF. SARD.

Missa. **Os justi.** de Comm. j. loco.

DIE 15. JUNII.

Alesii.

(d. a. ex 21. Maji.)

S. FELICIS A CANTALICIO CONFESSORIS.

Missa ut in fine Missalis, die 21. Maji.

EADEM DIE 15.

Templi.

(d. a. ex 15. Maji.)

S. JOANNIS BAPTISTÆ DE LA SALLE CONF.

Missa ut in Missali, die 15. Maji.

EADEM DIE 15.

Bosæ.

(d. a. ex 4. hujus.)

S. FRANCISCI CARACCIOLO CONFESSORIS.

Missa ut in Missali, die 4. Junii.

DIE 29. JUNII.

SS. APOST. PETRI ET PAULI PATRONORUM PRINC. TOTIUS INSULÆ SARDINIÆ. *Alesii et Templi* TITUL. ECCL. CATHEDR.

Missa ut in Missali.

FESTA JULII.

DIE 19.

B. SYMMACHI PAPÆ ET CONF.

Missa. **Státuit.** de Comm. Conf. Pont.

DIE 21. JULII.

B. BONIFACII A SABAUDIA ARCHIEP. CANTUAR. CONF. PONT.

Missa. **Státuit.** de Comm. Conf. Pont. præter seq.

Digitized by Google

Oratio.

Deus, qui in Ecclésia tua per beátum Bonifácium Confessórem atque Pontíficem mirábilis charitátis, ac pastorális sollicitúdinis exémpla instauráre dignátus es; ejus méritis concéde, ut ad animárum salútem júgiter inténti, veram felicitátem cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Et fit com. S. Pii I Papæ Mart.

Secreta.

Sacrificiis præséntibus,quæsumus, Dómine,inténde placátus et vivo charitátis igne cor nostrum inflámma, quo beátus Bonifácius exársit. Per Dóminum.

Postcommunio.

Angelórum esca refécti supplíciter te, Dómine, deprecámur, ut beáti Bonifácii Confessóris tui atque Pontíficis précibus et exémplo, puritátem mentis et córporis caute custodiéntes, ad gáudia cum ipso perveniámus ætérna. Per Dóminum nostrum.

DIE 24. JULII.

B. LUDOVICÆ A SABAUDIA VIDUÆ.

Missa. Cognóvi. de Comm. nec Virginis nec Martyris, præter Orationes.

Oratio.

Deus, qui in beáta Ludovíca per omnes vitæ sémitas tradúcta singuláre virtútis exémplum proposuísti : concéde; ut in vita, qua nos vocásti, ejúsdem vestígia sequámur, et cum ipsa ad te pervenire mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Beátæ Ludovícæ solemnitáte hæc tibi múnera deferéntes, quæsumus, Dómine, ut ipsíus précibus et exémplo terréna despiciámus, et inquirámus ætérna. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Angelórum esca nutríti concéde, quæsumus, Dómine, ut amóris tui flamma, qua beáta Ludovíca æstuábat, veheméntior in córdibus nostris quotídie augeátur. Per Dóminum.

DIE 27. JULII.

S. PANTALEONIS MART.

Missa ut in Missali.

DOMINICA II. JULII.

ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS OMNIUM ECCLESIARUM INSULÆ SARDINIÆ.

Missa. Terríbilis. de Communi.

¶ In ecclesiis quæ revera non sunt consecratæ in Secreta omittuntur verba parenthesis.

DOMINICA III. JULII.

OCTAVA DEDICATIONIS OMNIUM ECCLESIARUM INSULÆ SARDINIÆ.

Missa. Terríbilis.

DOMINICA IV. JULII.

COM. OO. SS. SUMMORUM PONTIFICUM.

Missa ut in fine Missalis.

¶ In hac Missa fit ab omnibus sacerdotibus sæcularibus et regularibus celebrantibus in ecclesiis insulæ Sardiniæ commemoratio electionis et consecrationis omnium Rev. Archiepiscoporum et Episcoporum insulæ Sardiniæ, ex speciali rescripto Pii Papæ X. dato die 11. Junii 1908.

Oratio.

Deus ómnium fidélium pastor et rector, fámulos tuos quos pastóres ecclesiárum ínsulæ Sardíniæ præésse voluísti, propítius réspice : da eis quæsumus verbo et exémplo quibus præsunt proficere ut ad vitam una cum grégibus sibi créditis pervéniant sempitérnam. Per Dóminum.

Secreta.

Oblátis, quæsumus Dómine, placáre munéribus : et fámulos

Digitized by Google

tuos quos pastóres ecclesiárum ínsulæ Sardíniæ præésse voluísti, assídua protectióne gubérna. Per Dóminum.

Postcommunio.

Hæc nos, quæsumus Dómine, divíni Sacraménti percéptio prótegat : et fámulos tuos quos pastóres ecclesiárum ínsulæ Sardíniæ præésse voluísti : una cum commíssis sibi grégibus, salvet semper et múniat. Per Dóminum.

℣ In unaquaque ecclesia metropolitana et cathedrali non vacante, post Missam conventualem cantatur hymnus **Te Deum,** cum oratione seq.

Oratio.

Deus ómnium fidélium pastor et rector fámulum tuum N. quem pastórem ecclésiæ N. præésse voluísti, propítius réspice : da ei quæsumus, verbo et exémplo, quibus præest proficere ; ut ad vitam, una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam. Per Dóminum.

In casu impedimenti transfertur officium SS. Summ. Pontificum, non autem commemoratio Archiepiscoporum et Episcoporum.

FERIA II. POST DOM. II. JULII.

ANNIVERSARIUM OMNIUM ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM INSULÆ SARDINIÆ DEFUNCT.

Celebratur juxta regulas Cæremonialis Episcoporum Lib. II. c. 37.

Si occurrat festum S. Jacobi Apost. vel S. Annæ, Anniversarium celebratur feria iij. vel iv. sequenti.

FESTA AUGUSTI.

DIE I.

S. EUSEBII, EPISC. ET MART. SARD.

Introitus. Ps. 20.

In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus : et super salutáre tuum exultábit veheménter : desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, allelúia, allelúia. Ps. ibid. **Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Sancti Eusébii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua festa recoléntes, quæsumus Dómine, ut, quæ tuórum nobis sunt instruménta præséntium, fiant æternórum patrocínia gaudiórum. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2. Tim. 2.

Carissime, Memor esto Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis, ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans : sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu cum glória cœlésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes ; quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris : quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale. Ps. 20. **Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.** ℣. **Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.**

Allelúia, allelúia. ℣. **Dómine, in virtúte tua lætábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter. Allelúia.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Cap. 10.

In illo témpore : Dixit Jesus pharisæis : Ego sum pastor bonus,

Digitized by Google

Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit : et lupus rapit, et dispérgit oves : mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus, et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem, et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli : et illas opórtet me addúcere : et vocem meam áudient : et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Offertorium. Ps. 20. **Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso : vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúia.**

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera propítius obláta, quæ Majestáti tuæ beátus Eusébius Póntifex tuus et Martyr comméndet. Per Dóminum.

Communio. Ps. 20. **Magna est glória ejus in salutári tuo ; glóriam, et magnum decórem impónes super eum, Dómine, allelúia.**

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus, ut qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Eusébio Mártyre tuo atque Pontífice, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

DIE 5. AUGUSTI.

Norii.

B. MARIÆ AD NIVES PATRONÆ PRINCIP. ET ECCL. CATHEDR. TITULARIS.

Missa ut in Missali.

DIE 8. AUGUSTI.

OCTAVA S. EUSEBII EPISC. MART.

Missa ut in die.

DIE 9. AUGUSTI.

(D. a. ex 1. hujus.)

S. PETRI AD VINCULA.

Missa ut in Missali die 1. Augusti.

DIE 11. AUGUSTI.

(D. a. ex 8. hujus.)

SS. CYRIACI ET SOC. MART.

Missa ut in Missali die 8. Augusti.

DIE 12. AUGUSTI.

Sulci.

S. CLARÆ VIRG. TITUL. ECCL. CATHEDR.

Missa ut in Missali hac die.

EADEM DIE 12.

Norii.

OCTAVA B. MARIÆ AD NIVES.

Missa ut in die.

DIE 13. AUGUSTI.

Sulci.

DE DIE II. INFRA OCT. S. CLARÆ

Missa de die. Com. Oct. S. Laurentii et Soc. Mart.

EADEM DIE 13.

Norii.

(D. a. ex heri.)

S. CLARÆ VIRGINIS.

Missa ut heri in Missali.

DIE 14. AUGUSTI.

Sulci.

DE DIE III. INFRA OCT. S. CLARÆ.

Missa de Vigilia. Com. Octavarum S. Claræ et S. Laurentii ac S. Eusebii.

DIE 16. AUGUSTI.

S. ROCHI CONFESSORIS.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 18. AUGUSTI.

(D. a. ex 16. hujus.)

S. HYACINTHI CONFESSORIS.

Missa ut in Missali, die 16. Augusti.

DIE 19. AUGUSTI.

Sulci.

OCTAVA S. CLARÆ VIRG.

Missa de die.

Digitized by Google

DIE 21. AUGUSTI.

SS. LUXORII, CISELLI ET CAMERINI MART. SARD.

Missa. **Sapiéntiam.** de Communi 2. loco.

DIE 28. AUGUSTI.

S. AUGUSTINI EPISC. CONF. DOCT. INSULÆ SARDINIÆ PATRONI MINUS PRINCIPALIS.

Missa ut in Missali hac die.

DOMINICA POST OCTAV. ASSUMPTIONIS B. M. PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Missa ut in fine Missalis.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE 1.

S. ARCHELAI PRESB. MART. ARBOREN.

Missa. **In virtúte.** de Comm.

Evang. **Si quis vult.** e Missa. **Státuit.**

Arboreæ. Dies 1. Septembris est vacua.

DIE 3. SEPTEMBRIS.

(D. a. e 15. Aug.)

S. THARSICII ACOLYTHI MARTYRIS.

Introitus. Ps. 72.

Mihi autem adhærére Deo bonum est : pónere in Dómino Deo spem meam. Ps. ibid. **Quam bonus Israel Deus qui recto sunt corde.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus : ut sicut divína laudámus in sancti Tharsícii passióne magnália : sic indulgéntiam tuam piis ejus précibus assequámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 8.

Fratres : Quis nos separábit a caritáte Christi ? tribulátio ? an angústia ? an fames ? an núditas ? an períeulum ? an persecútio ? an gládius ? Sicut scriptum est : quia propter te mortificámur tota die : æstimáti sumus sicut oves occisiónis. Sed in his ómnibus superámus propter eum qui diléxit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 88. **Quam dilécta tabernácula tua Dómine virtútum : concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.** ℣. **Cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum.**

Allelúia, allelúia. Ps. 29. **Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, nec delectásti inimícos meos super me. Allelúia.**

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.** Joan. 6. f.

In illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descéndit. Non sicut manducavérunt patres vestri manna, et mórtui sunt. Qui mandúcat hunc panem, vivet in ætérnum.

Offertorium. Sap. 3. **Justórum ánimæ in manu Dei sunt : visi sunt óculis insipiéntium mori : illi autem sunt in pace.**

Secreta.

Intende, Dómine, múnera, quæsumus, altáris tui pro sancti Tharsícii Mártyris commemoratióne propósita : ut, sicut per hæc beáta mystéria illi glóriam contulísti, nobis

Digitized by Google

indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Communio. Joann. 6. **Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in eo.**

Postcommunio.

Sit nobis, quæsumus Dómine, cibus sacer potúsque salutáris : qui, intercedénte sancto Tharsício Mártyre tuo, et temporálem vitam múniat, et præstet ætérnam. Per Dóminum.

DIE 4. SEPTEMBRIS.

S. ROSALIÆ PANORM. VIRG.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 10. SEPTEMBRIS.

S. HILARI PAPÆ CONF. SARD.

Missa. **Sacerdótes.** de Communi 2. loco.

DIE 11. SEPTEMBRIS.

(D. a. ex heri.)

S. NICOLAI DE TOLENTINO CONFESSORIS.

Missa ut in Missali die 10. Sept.

DIE 22. SEPTEMBRIS.

SS. MAURITII ET SOC. MART.

Missa ut in Missali hac die.

DIE 25. SEPTEMBRIS.

(D. a. e 22. hujus.)

S. THOMÆ A VILLANOVA EPISC. CONF.

Missa ut in Missali die 22. Sept.

DIE 29. SEPTEMBRIS.

Algarii.

S. MICHAELIS ARCHANGELI PATRONI PRINC.

Missa ut in Missali, eadem die.

DOMINICA I. SEPTEMBRIS.

Arboreæ.

S. ARCHELAI PRESB. MART. ARBOREN. PATRON. PRINC. ET ECCL. CATHEDR. TITULARIS.

Missa ut supra die 1. hujus.

DOM. II. SEPTEMBRIS.

Arboreæ.

OCTAVA S ARCHELAI MART.

Missa ut in die.

FESTA OCTOBRIS

DIE 1.

Algarii.

DE III. DIE INFRA OCTAVAM

S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Missa ut in die.

DIE 3. OCTOBRIS.

Algarii.

DE V. DIE INFRA OCTAVAM

S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Missa ut in die.

DIE 5. OCTOBRIS.

Algarii.

DE VII. DIE INFRA OCTAVAM

S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Missa ut in die.

DIE 6. OCTOBRIS.

Algarii.

OCTAVA S. MICHAELIS ARCH.

Missa ut in die.

DIE 7. OCTOBRIS.

Algarii.

(D. a. ex heri.)

S. BRUNONIS CONF.

Missa ut in Missali heri.

DIE 11. OCTOBRIS.

TRANSLATIO S. AUGUSTINI EPISC. CONF.

Missa. **In médio Ecclésiæ.** de Comm. Doct.

Oratio.

Deus, ómnium largítor donórum, qui hunc diem beáti Augustíni, Confessóris tui atque Pontíficis, veneránda Translatióne jucúndas ; quæsumus, ut ejus précibus nos de terrénis tránsferas ad consórtia Beatórum. Per Dóminum.

Et fit commem. omnium inventionum seu translationum Sanctorum Sardiniæ.

Oratio.

Vota pópuli supplicántis, quæsumus Dómine, sanctórum tuórum intercessióne impleántur, pro quorum inventiónis seu translatiónis

Digitized by Google

commemoratióne lætántur. Per Dóminum.

Secreta.

Præsta nobis, quæsumus omnípotens Deus : ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre sanctórum, et nos córpore páriter et mente purificet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine : et intercedéntibus sanctis tuis, quorum inventiónem seu translatiónem commemorámus, cœlésti remédii fáciat esse partícipes. Per Dóminum.

DIE 12. OCTOBRIS.

(D. a. ex heri.)

S. ALEXANDRI SAULI

EPISC. ET CONF.

Missa ut in fine Missalis, die 23. Aprilis.

DIE 23. OCTOBRIS.

SS. REDEMPTORIS.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 24. OCTOBRIS.

S. RAPHAELIS ARCHANG.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 25. OCTOBRIS.

SS. GAVINI, PROTHI ET JANUARII, MARTYRUM.

Turribus.

PATRON. PRINCIP.

Missa. **Intret.** de Comm. plur. Mart

Oratio.

Deus, qui per beátos Mártyres tuos Gavínum, Prothum et Januárium Ecclésiam tuam mirabíliter illustráre dignátus es : concéde nobis fámulis tuis ; ut quos patrónos venerámur in terris, intercessóres habére mereámur in cœlis. Per Dñum.

DIE 30. OCTOBRIS.

S. SATURNINI MART. SARD.

Calaris.

PATRON. PRINCIP.

Missa. **In virtúte tua.** de Comm. unius Mart. Evang. **Si quis venit.** ex Missa. **Státuit.**

Oratio.

Omnípotens, et misericors Deus, qui in confessióne veræ fidei beátum Saturnínum Mártyrem tuum mirábili constántia roborásti : concéde nobis fámulis tuis, ejus intercedéntibus méritis, tibi soli in ómnibus firmiter adhærére. Per Dóminum.

DOM. I. OCTOBRIS.

Oleastræ.

B. MARIÆ V. DE ROSARIO.

PATRONÆ PRINCIPALIS.

Missa ut in Missali hac die.

DOM. II. OCTOBRIS.

MATERNITATIS B. M. V.

Missa ut in fine Missalis.

Oleastræ. Dicitur eadem Missa absque com. diei Oct. B. M. de Rosario.

DOM. III. OCTOBRIS.

PURITATIS B. M. V.

Missa ut in fine Missalis.

DOM. IV. OCTOBRIS.

COMMEM. SANCTORUM

QUORUM RELIQUIÆ SERVANTUR IN ECCLESIIS INSULÆ SARDINIÆ.

Missa ut in Missali pro aliq. locis.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE I.

Turribus.

In Missa Omnium Sanctorum fit com. diei Octavæ SS. Gavini et Soc. ut in die.

DIE 6. NOVEMBRIS.

S. LEONARDI CONF.

Missa. **Justus.** de Communi.

Oratio.

Majestáti tuæ quæsumus Dómine, sancti Confessóris tui Leonárdi nos pia júgiter comméndet orátio, ut quem débito venerámur obséquio, ipsíus suffrágio sublevémur optáto. Per Dóminum.

Digitized by Google

EADEM DIE 6.

Calaris.

OCTAVA S. SATURNINI MART.

Missa de die.

DIE 7. NOVEMBRIS.

Calaris.

(d. a. ex heri.)

S. LEONARDI CONF.

Missa ut heri.

DIE 13. NOVEMBRIS.

S. ANTIOCHI MART. SULCITANI

Bisarchii et Sulci.

PATRON. PRINC. ET ECCL. CATH. TITULARIS.

Missa. **In virtúte.** cum Evang. **Si quis venit.** e Missa. **Státuit.**

Oratio.

Quæsumus cleméntiam tuam omnípotens Deus, ut sancti Antíochi mártyris tui deprecatióne placátus, nóxia cuncta submóveas, et ómnia nobis profectúra concédas. Per Dóminum.

DIE 16. NOVEMBRIS.

(d. a. e 13. hujus.)

S. STANISLAI KOSTKÆ CONF.

Missa ut in fine Missalis.

DIE 19. NOVEMBRIS.

S. PONTIANI PAPÆ MART. SARD.

Missa. **Státuit.** Evang. **Nihil est opértum.** de Comm. 3. loco.

DIE 20. NOVEMBRIS.

Bisarchii et Sulci.

OCTAVA S. ANTIOCHI MART.

Missa de die.

DIE 22. NOVEMBRIS.

Calaris.

S. CÆCILIÆ VIRG. MART. ECCL. METROP. TITULARIS.

Missa ut in Missali, hac die.

INDEX ALPHABETICUS.

Æmiliani et Priami mart. *Bosæ.* patron. princip. 28. Maji. 14
Alexandri episc. Alexandrini conf. 25. vel 26. Februarii. 10
Alexandri Sauli episc. conf. 12. Octobris. 21
Ambrosii episc. conf. doct. *Oleastræ.* 9. Dec. 7
Amedei IX. a Sabaudia conf. 30. Martii. 11
Andreæ apost. *Oleastræ* tit. cathed. 30. Nov. 5
Angelæ Merici virg. 7. Junii. 15
Anniversarium Dedicat. OO. Eccl. insulæ Sardiniæ, Dom. II. Julii. 16
« OO. Archiep. et Episc. insulæ Sard. defunct. Fer. ij. post Dom. II. Julii. 17
Antiochi mart. *Bisarchii et Sulci.* patr. princ. 13. Novembris. 22
Antonii abb. conf. *Ampuriæ.* patr. princ. 17. Jan. 9
Archelai presb. mart. 1. Septembris. 19
« « « *Arboreæ.* patroni princ. Dom. I. Septembris. 20
Augustini episc. conf. 2. Junii. 15
Augustini ep. eccl. Doct. Sard. patr. sec. 28. Aug. 19
« « « Translatio. 11. Oct. 20
Barbaræ virg. mart. 4. Decembris. 5
Blasii episc. mart. 3. Februarii. 10
Bonifacii a Sabaudia conf. pont. 21. Julii. 15
Brunonis conf. *Algarii.* 7. Octobris. 20
Cæciliæ virg. mart. *Calaris.* Eccl. Metrop. Titul. 22. Novembris. 22
Casimiri conf. 5. Martii. 11
Catharinæ Fliscæ vid. 22. Martii. 11
Claræ virg. *Norii.* 13. Augusti. 18
Claræ virg. *Sulci.* Titul. eccl. 12. Augusti. 18
Cleti et Marcellini pont. mart. 11. Maji. 13
Com. OO. Summ. Pont. Dom. IV. Julii. 16
Commem. SS. quorum reliquiæ servantur in ecclesiis insulæ Sardiniæ. Dom. IV. Oct. 21
Crescentiani mart. 31. Maji. 15
Cyriaci et Soc. mart. 11. Augusti. 18
Cyrilli Jerosolym. episc. conf. 20. Martii. 11
Didaci conf. 1. Decembris. 5
Elisabeth viduæ. 28. Novembris. 5
Ephysii martyris. 15. Januarii. 8
Eusebii episc. mart. Sard. 1. Augusti. 17
Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph. Dom. III. post Epiph. 9
Felicis a Cantalicio conf. 21. Maji. 14
« « « *Alesii.* 15. Junii. 15
Felicis et Luciani mart. Sard. 29. Maji. 15
Felicis de Valois conf. *Bisarchii et Sulci.* 9. Decembris. 7
Fidelis a Sigmaringa mart. 27. Aprilis. 12
Francisci a Paula conf. *Calaris.* patr. 2. Apr. 11
Francisci Caracciolo conf. *Bosæ.* 15. Junii. 15
Fulgentii episc. conf. 19. Januarii. 9
Gabini et Crispuli mart. Sard. 30. Maji. 15
Gabrielis archangeli. 24. Martii. 11
Gavini, Prothi et Januarii. mart. *Turribus.* patr. princ. 25. Octobris. 21
Georgii mart. 23. Aprilis. 11
Hyacinthi conf. 18. Augusti. 18

Digitized by Google

Hilari papæ conf. Sard. 10. Septembris. 20
Humberti III. a Sabaudia conf. 4. Martii. 10
Isidori Agricolæ conf. 23. Maji. 14
Joannis Baptistæ de la Salle conf. 22. Maji. 14
« « « « *Templi.* 15. Junii. 15
Joannis Nepomuceni mart. 16. Maji. 14
Juliani episc. conf. 28. Januarii. 9
Justæ, Justinæ et Henedinæ virg. martyrum. *Alesii.* patron. princip. 14. Maji. 13
Lazari Resuscitati episc. conf. 17. Decembris. 8
Leonardi conf. 6. Novembris. 21
« « *Calaris.* 7. Novembris. 22
Luciæ virg. mart. *Turribus.* 14. Decembris. 7
Ludovicæ a Sabaudia viduæ. 24. Julii. 16
Luxorii, Ciselli et Camerini mart. Sard. 21. Augusti. 19
Margaritæ a Sabaudia vid. 29. Novembris. 5
« « « *Calaris.* 9. Dec. 7
Margaritæ Cortonen. pœnit. 26. vel 27. Feb. 10
Mariæ B. V. ad Nives. *Norii.* patr. princ. 5. Aug. 18
— Auxilium Christianor. 24. Maji. 14
— Cordis Purissimi, Dom. post Oct. Assumpt. 19
— de Bonaria patronæ Sard. 24. Apr. 11
— de Bono Consilio. 26. Aprilis. 12
— de Rosario. *Oleastræ.* patr. princ. 1. Octobris. 21
— Desponsatio. 23. Januarii. 9
— Exspectatio partus. 18. Dec. 8
— Gratiarum. 1. Junii. 15
— Manifestatio. 27. Novembris. 5
— Maternitas. Dom. II. Octobris. 21
— Patrocinium. Dom. II. Nov. 5
— Puritas. Dom. III. Octobris. 21
— Translat. Domus Lauret. 10. Dec. 7
Mariæ Magdalenæ de Pazzis virg. 3. Junii. 15
Mauritii et Soc. mart., 22. Septembris. 20
Michaelis archangeli. *Algarii.* patroni princ. 29. Septembris. 20
Nicolai de Tolentino conf. 11. Septembris. 20
Nicolai ep. conf. *Turribus.* Titul. eccl. 6. Dec. 5
Ordinat. S. Eusebii in episc., 16. Decembris. 7
Pantaleonis mart., 27. Julii. 16
Pauli primi eremitæ conf. 13. Februarii. 10
Petri ad Vincula, 9. Augusti. 18
Petri Chrysologi episc. conf. doct. 5. Dec. 5
Petri et Pauli apost. patron. Sard. *Alesii et Templi.* Titul. eccl. 29. Junii. 15
Pontiani papæ mart. 19. Novembris. 22
Philippi et Jacobi apost. 1. Maji. 12
Potiti mart. Sard. 6. Februarii. 10
Raphaelis archang. 24. Octobris. 21
Raymundi de Pennafort conf. 16. Februarii. 10
Redemptoris SS. 23. Octobris. 21
Rochi conf., 16. Augusti. 18
Rosaliæ Panormit. virg. 4. Septembris. 20
Sallustiani conf. Sard. 8. Junii. 15
Salvatoris ab Horta conf., 18. Martii. 11
Saturnini mart. Sard. *Calaris.* patron. princ. 30. Octobris. 21
Simplicii ep. mart. Sard. *Templi.* patr. princ. 15. Maji. 14
Stanislai Kostkæ conf., 16. Novembris. 22
Symmachi papæ conf., 19. Julii. 15
Tharsicii Acolythi. mart. 3. Septembris. 29
Thomæ a Villanova episc. conf. 25. Sept. 20
Timothei episc. mart., 17. Februarii. 10
Titi episc. conf., 14. Februarii. 10
Translat. S. Augustini episc. conf. 11. Oct. 20
Turritanorum mart., 15. Februarii. 10
Victoriæ virg. mart., 23 Decembris. 8

Vidi et attente perlegi hanc appendicem ad Missale Romanum prima vice a typographo H. DESSAIN Mechliniæ excusam, et cum originalibus plane concordare recognovi.

Romæ 19 Decembris 1908.

PETRUS PLACENZA
S. R. C. Proton. Apostolicus.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN.

Digitized by Google

Digitized by Google

DIE V. NOVEMBRIS.

S. TROPHIMENÆ VIRG. ET MART.

CIVITATIS MINORIS PRINCIPALIS PATRONÆ

Introitus.

Ego sum, ego sum quæ Dómino canam, psallam Dómino Deo Israel, concúlca, ánima mea, robústos. Psalm. 29. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me ; nec delectásti inimícos meos super me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátæ Trophiménæ corpus, virginitáte tibi, et martyrio consecrátum, per maris undas mirabíliter traduxísti ; ejus méritis, precibúsque concéde ; ut exhibéntes membra nostra servíre justítiæ, ad ætérnæ salútis portum pervenire valeámus. Per Dóminum.

In festo Patrocinii, Oratio.

Deus, qui beátæ Trophiménæ Vírginis et Mártyris tuæ suffragántibus méritis pópulum tuum a barbarórum incúrsibus liberásti ; tríbue quæsumus, ut ipsa deprecánte nos ab invisibílium hóstium furóre deféndas, et in abundántia pacis ad gáudia dispónas ætérna. Per Dóminum.

In festo Translationis, Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui in translatióne beátæ Trophiménæ Vírginis et Mártyris tuæ pretiósum nobis præsídii tui pignus obtulísti, concéde propítius, ut cujus exúviis gloriámur in terris, ejus consórtio perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

Léctio libri Judith.

In diébus illis : Judith ingréssa est oratórium suum, et prostérnens se Dómino clamábat ad Dóminum dicens : Dómine Deus, da mihi in ánimo constántiam, ut contémnam inimícum tuum, et virtútem, ut evértam illum. Erit enim hoc memoriále nóminis tui, cum manus féminæ dejécerit eum. Deus cœlórum, creátor aquárum, et Dóminus tótius creatúræ, exáudi me míseram deprecántem, et de tua misericórdia præsuméntem. Meménto Dómine testaménti tui, et da verbum in ore meo, et in corde meo consílium corróbora, ut domus tua in sanctificatióne tua permáneat : et omnes gentes agnóscant, quia tu es Deus et non est álius præter te.

Graduale. Ps. 128. Sæpe expugnavérunt me a juventúte mea ; étenim non potuérunt mihi. ℣. Ps. 26. Pater meus et mater mea dereliquérunt me : Dóminus autem assúmpsit me. Allelúia, allelúia. ℣. Habacuc 3. Dómine viam fecísti in mari equis tuis, ut requiéscam in die tribulatiónis ; ut ascéndam ad pópulum accínctum nostrum. Allelúia.

Post Septuagesimam omissis **Allelúia**, et versu sequenti, dicitur Tractus. Ps. 120. **Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, super manum déxteram tuam.** ℣. **Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum ; ex hoc nunc, et usque in sæculum.** ℣. **Egrédere de terra tua et de cognatióne tua ; nam ego protéctor tuus sum, et merces tua magna nimis.**

Tempore Paschali, omittitur Graduale et ejus loco dicitur :

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 15. **Lætátum est cor meum et exsultávit lingua mea ; ínsuper et caro mea requiéscet**

Digitized by Google

in spe. Allelúia. ℣. 1. Reg. 2. Dilatátum est os meum super inimícos meos. Quia lætáta sum in salutári tuo, Dómine, arcus fórtium superátus est, et infírmi accíncti sunt róbore.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum decem virgínibus, de Communi.

Offertorium. Esther 14. Tu scis, Dómine, quod numquam lætáta sit ancílla tua, nisi in te, Dómine Deus, exáudi vocem eórum, qui nullam áliam spem habent.

Secreta.

BEATÆ Trophiménæ Vírginis et Mártyris précibus, quæsumus Dómine, plebis tuæ dona sanctífica; ut quæ tibi tuo grata sunt institúto, gratióra fiant patrocínii supplicántis. Per Dóminum.

In festo Translationis, Secreta.

PER hujus, Dómine sacrifícii oblatiónem córpora nostra hóstiam sanctam tibíque placéntem perfícere dignéris, ut corpus Unigéniti tui digne immolémus, ejúsque fructum intercedénte beáta Trophiména, percípere mereámur : Qui tecum.

Communio. Cant. 5. Veni in hortum meum, soror mea sponsa, méssui myrrham meam cum aromátibus meis ; comédi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo ; comédite amíci, et bíbite, et inebriámini, caríssimi.

Postcommunio.

DEUS, qui beátam Trophiménam aqua sapiéntiæ et pane vitæ enutrítam, carnis illécebras et carníficum terrórem superáre fecísti : ejus nobis intercessióne largíre ; ut Angelórum pane ad vitam júgiter nutriámur ætérnam. Per Dóminum.

In festo Patrocinii, Postcommunio.

POPULUM tuum, quæsumus Dómine, contínua protectióne custódi, et beátæ Trophiménæ Vírginis et Mártyris patrocínio confidéntem, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

In festo Translationis, Postcommunio.

QUÆSUMUS Dómine Deus noster, ut sicut beátæ Trophiménæ corpus in resurrectiónis exspectatiónem pópulo tuo custodiéndum tradidísti ; ita nos Córporis tui mystério, communicántes, ad æternitátis glóriam júgiter perveniámus : Qui tecum.

Imprimi potest.

Mechliniæ, die 20 Julii 1897.

H. J. DE CLERCK, Vic. Gen.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN.

Digitized by Google

DIE XVII. DECEMBRIS.

IN FESTO

S. Wivinæ Virginis.

Introitus. Cant. 2.

SURGE, própera, amíca mea, colúmba mea, et veni : jam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit. Ps. 72. Quam bonus Israel Deus : his qui recto sunt corde. Glória Patri. Surge.

Oratio

DEUS, fidélium dulcédo animárum, misericórdiæ tuæ super nos sinum expánde : ut, sicut beátæ Wivínæ Vírginis tuæ Relíquias hic pio amóre compléctimur, ita sanctæ conversatiónis illíus irradiémur exémplis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. c. 3 et 4

FELIX est stérilis et incoinquináta, quæ nescívit thorum in delícto, habébit fructum in respectióne animárum sanctárum : et spado, qui non operátus est per manus suas iniquitátem, nec cogitávit advérsus Deum nequíssima : dábitur enim illi fídei donum eléctum, et sors in templo Dei acceptíssima. Bonórum enim labórum gloriósus est fructus, et quæ non cóncidat radix sapiéntiæ. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte : immortális est enim memória illíus : quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines. Cum præsens est, imitántur illam : et desíderant eam, cum se edúxerit : et in perpétuum coronáta triúmphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens.

Graduale. Ps. 54. 7. Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ, et volábo, et requiéscam. ℣. Ecce elongávi fúgiens, et mansi in solitúdine.

Allelúia, allelúia. ℣. Cant. 2. 13. Víneæ floréntes dedérunt odórem suum : surge amíca mea, speciósa mea, et veni. Allelúia.

Tempore Paschali. Allelúia, ut supra, deinde :

Allelúia. ℣. Cant. 2. 12. Flores apparuérunt in terra nostra : vox túrturis audíta est. Allelúia.

In Missis votivis post Septuagesimam. Tractus. Cant. 3. 1. Invéni quem díligit ánima mea : ténui eum, nec dimíttam. ℣. Oleum effúsum nomen tuum : ídeo adolescéntulæ dilexérunt te. ℣. Trahe me post te: currémus in odórem unguentórum tuórum. ℣. Exsultábimus et lætábimur in te, mémores úberum tuórum super vinum : recti díligunt te.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Cap. 3.

IN illo témpore : Dicébat Joánnes discípulis suis : Qui habet sponsam, sponsus est : amícus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gáudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gáudium meum implétum

Digitized by Google

est. Qui desúrsum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, et de terra lóquitur. Qui de cœlo venit, super omnes est. Credo.

Offertorium. Apoc. 19, 7. Gaudeámus et exsultémus, et demus glóriam Dómino Deo nostro : quia venérunt núptiæ Agni, et uxor ejus præparávit se.

Secreta.

DOMINE Deus noster, in cujus spirituálibus castris míliitat laudánda sobríetas, abstinéntia fructuósa, et casti péctoris opulénta frugálitas : múnera in honórem beátæ Vírginis tuæ Wivínæ sacro altári impósita dignánter adsúme : ut defúnctis ad refrigérium, vivéntibus proficiant ad salútem. Per Dóminum.

Communio. Zach. 9, 17. Quid bonum Dómini est, et quid pulchrum ejus, nisi fruméntum electórum, et vinum gérminans vírgines ?

Postcommunio.

PRÆSTET nobis, quæsumus Dómine, beátæ Wivínæ Vírginis tuæ celebráta solémnitas : ut sicut lámpades, divíno múnere satiáti, ante conspéctum veniéntis Christi Fílii tui velut clara lúmina fulgeámus. Per eúmdem Dóminum.

Imprimatur.

Mechliniæ, die 5 Junii 1903.

H. J. DE CLERCK, VIC. GEN.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN

Digitized by Google

PROPRIUM SANCTORUM
PROVINCIÆ S. LUDOVICI.

(JUXTA INDULTUM S. R. C.)

Die 5. Decembris.

S. Barbaræ Virg. et Mart.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis, die 4. hujus.

Die 9. Decembris.

S. Petri Forerii Conf.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco præt. Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beáto Petro ardentíssima caritáte tibi conjúncto, ut némini obésset et ómnibus prodésset, concédere dignátus es: præsta, quæsumus; ut ejúsdem précibus et exémplis, quæ tibi placent, et nobis ac áliis vere prosunt, constánter operémur. Per Dóminum.

Die 10. Decembris.

Translationis Almæ Domus B. M. V.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 12. Decembris.

In Festo

B. M. V. de Guadalupe.

Introitus.

Salve, sancta parens, enixa puérpera regem: qui cœlum terrámque regit in sæcula sæculórum.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui sub beatíssimæ Vírginis Maríæ singulári patrocínio constitútos, perpétuis benefíciis nos cumulári voluísti: præsta supplícibus tuis; ut cujus hódie commemoratióne lætámur in terris, ejus conspéctu perfruámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes, qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini: Spíritus enim meus super mel dulcis et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient, et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Digitized by Google

Graduale. Cant. 6. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol?

℣. Eccli. 50. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis.

Allelúja, allelúja.

℣. Cant. 2. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit, allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1.

IN illo témpore: Exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda: et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero ejus: et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth: et exclamávit voce magna, et dixit: Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in aúribus meis, exsultávit in gaúdio infans in útero meo. Et beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María: Magníficat ánima mea Dóminum: et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

Et dicitur Credo.

Offertorium. 2. Paralip. Elégi et sanctificávi locum istum, ut sit ibi nomen meum, et permáneant óculi mei, et cor meum ibi cunctis diébus.

Secreta.

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam atque præséntem hæc oblátio nobis proficiat prosperitátem et pacem. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Feriæ.

Præfatio. Et te in Festivitáte.

Communio. Ps. 147. Non fecit táliter omni natióni: et judícia sua non manifestávit eis.

Postcommunio.

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis, da, quæsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi, in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Et fit Commem. Feriæ.

Die 17. Decembris.

S. Lazari Resuscitati Episc., Confessoris.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 18. Decembris.

Exspectationis Partus B. Mariæ Virg.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 23. Januarii.

Desponsationis B. Mariæ V. cum S. Joseph.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 30. Januarii.

S. Hyacinthæ de Mariscottis Virginis.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis die 6. Februarii.

Digitized by Google

FESTA MOBILIA JANUARII.

Domin. III. post Epiphan.

In Festo **S. Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph.**

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Domin.

Dominica ultima post Epiphan.

Immaculati Cordis B. M. V.

sub Titulo

Refugium Peccatorum.

Introitus. Ps. 85.

TU, Dómine Deus, miserátor et misericors, pátiens et multæ misericórdiæ, et verax: réspice in nos et miserére nostri, et salvos fac fílios ancíllæ tuæ, genitrícis Fílii tui et regínæ totíus mundi.

Ps. ibid. Inclína Dómine aurem tuam, et exaúdi me, quóniam inops et pauper sum ego.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Clementíssime Deus, qui ad peccatórum salútem et miserórum perfúgium beátam Vírginem Maríam, Unigéniti tui Genitrícem ejúsque gratiárum adminístram esse voluísti: præsta, quæsumus; ut dum Cordis ejúsdem amantíssimæ matris festivitátem celebrámus, et peccatóribus conversiónem, et cunctis fidélibus cœléstium ubertátem donórum obtinére mereámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Domin. occurr.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 36. a.

Miserére nostri, Deus ómnium, et réspice nos, et osténde nobis lucem miseratiónum tuárum. Cóngrega omnes tribus Jacob, ut cognóscant, quia non est Deus nisi tu, et enárrent magnália tua: hæreditábis eos sicut ab inítio. Miserére plebi tuæ, super quam invocátum est nomen tuum, et Israël, quem coæquásti primogénito tuo. Miserére civitáti sanctificatiónis tuæ. Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, et glória tua pópulum tuum. Da testimónium his, qui ab inítio creatúræ tuæ sunt, et súscita prædicatiónes, quas locúti sunt in nómine tuo prophétæ prióres. Da mercédem sustinéntibus te, ut prophétæ tui fidéles inveniántur, et exaúdi oratiónes servórum tuórum secúndum benedictiónem Aaron pópulo tuo, et dírige nos in viam justítiæ.

Graduale. Recordáre, virgo mater, in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatiónem suam a nobis.

℣. Memoráre diérum humilitátis tuæ, et tu ínvoca Dóminum, et lóquere Regi pro nobis, et líbera nos de morte.

Allelúja, allelúja.

℣. Esth. 7. Si invéni grátiam in óculis tuis, dona mihi pópulum meum pro quo óbsecro: tráditi sunt enim ut conteréntur et péreant. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Confitére Dómino in bonis tuis, beáta Salvatóris mater, ut révocet ad te omnes captívos, et gaúdeas in sæcula sæculórum.

℣. Luce spléndida fulgébis, et natiónes ex longínquo ad te vénient; et múnera deferéntes, nomen magnum invocábunt in te.

℣. Lætáberis in fíliis tuis, quóniam omnes benedicéntur et congregabúntur ad Dóminum: beáti omnes,

Digitized by Google

qui díligunt te, et qui gaudent super pace tua.

℣. Benedíctus Dóminus, qui exaltávit eam, et fáciet misericórdiam suam nobíscum propter illam.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Coram ómnibus vivéntibus confitémur tibi, gloriósa Dei génitrix, quóniam a morte líberas, et facis inveníre misericórdiam et vitam ætérnam. Allelúja.

℣. Domináre nostri, tu et fílius tuus, quia liberásti nos de manu inimicórum. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 2.

IN illo témpore: Núptiæ factæ sunt in Cana Galiláeæ: et erat mater Jesu ibi. Vocátus est autem et Jesus, et discípuli ejus ad núptias. Et deficiénte vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, múlier? nondum venit hora mea. Dicit mater ejus minístris: Quodcúmque díxerit vobis, fácite. Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purificatiónem Judæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel ternas. Dicit eis Jesus: Impléte hýdrias aqua. Et implevérunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus: Hauríte nunc, et ferte architriclíno. Et tulérunt. Ut autem gustávit architriclínus aquam vinum factam, et non sciébat unde esset, minístri autem sciébant, qui haúserant aquam: vocat sponsum architriclínus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriáti fúerint, tunc id, quod detérius est. Tu autem servásti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit inítium signórum Jesus in Cana Galiláeæ: et manifestávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli ejus.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Ne aúferas, Dómine, misericórdiam tuam a nobis propter matrem tuam; sed fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, quóniam non est confúsio confidéntibus in te.

Secreta.

Redémptor Dómine, cujus mortem in hoc sacrifício commemorámus: per hujus méritum et piíssimæ matris tuæ Maríæ suffrágium, omnes qui in te peccavérunt benígnus intuére; ut convérsi ab erróre viæ suæ, tibi pœniténtes desérviant, et ab ætérna damnatióne liberéntur: Qui vivis et regnas.

Et fit Commem. Domin. occurr.

Præfatio de B. M. V. Et te in Festivitáte.

Communio. Regína mundi, piíssima María, virgo perpétua, intercéde pro nostra pace et salúte, quæ genuísti Christum Dóminum, Salvatórem ómnium.

Postcommunio.

Deus, qui nobis in hac mensa singuláre nostræ mortalitátis reliquísti præsídium: recordáre, quæsumus, miseratiónum tuárum; et deprecatiónem, quam toto Corde beáta María mater tua coram te júgiter pro peccatóribus effúndit, clemens admítte, et eos in viam justítiæ et pacis redúcere dignéris: Qui vivis et regnas.

Et fit Commem. Domin. occurr., cujus Evang. legitur in fine.

Digitized by Google

Feria III.
post Domin. Septuagesimæ.

Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis eadem Feria.

Feria III. post Domin. Sexagesimæ.

In Commemoratione

Ss. Passionis D. N. J. C.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis eadem Feria.

Die 3. Februarii.

S. Blasii Episc., Mart.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die 1. loco.

Die 5. Februarii.

S. Philippi a Jesu Mart.

Introitus. Philipp. 2.

IN nómine Jesu omne genu flectátur, cœléstium, terréstrium et infernórum: et ómnis lingua confiteátur: quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

Ps. 102. Bénedic ánima mea Dómino: et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui inter primos Japóniæ Mártyres beátum Philíppum cruci alligátum, triplicíque láncea confóssum, primum ómnium martýrio coronásti: concéde propítius; ut ejúsdem nos suffúlti patrocínio, cum illo páriter coronémur in cœlis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Gal. 6. d.

Fratres: Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, et misericórdia, et super Israël Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit: ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi, cum spíritu vestro, fratres. Amen.

Graduale. Ps. 102. Bénedic ánima mea Dómino: et noli oblivísci omnes retributiónes ejus.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis, qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Allelúja, allelúja.

℣. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 117. Déxtera Dómini fecit virtútem: déxtera Dómini exaltávit me, déxtera Dómini fecit virtútem.

℣. Non móriar, sed vivam: et narrábo ópera Dómini.

℣. Castígans castigávit me Dóminus: et morti non trádidit me.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 16. d.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam. Qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum

Digitized by Google

univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Sanctífica, quæsumus Dómine, múnera tibi dicáta: et intercessióne beáti Philíppi, Mártyris tui, ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum nostrum.

Communio. Matth. 16. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio.

Sacro córpore, et pretióso sánguine Jesu Christi, Fílii tui, Dómine, satiáti: te súpplices deprecámur; ut intercedénte beáto Philíppo, Mártyre tuo, ab omni adversitáte liberémur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Die 11. Februarii.

Apparitionis B. Mariæ V. Immaculatæ.

Missa. Vidi civitátem. ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 12. Februarii.

S. Ildefonsi Episc., Conf.

Missa. In médio. ut in Communi Doct. præter Orat. sequ.

Et non dicitur Credo.

Oratio.

Deus, qui per gloriosíssimam Fílii tui matrem beátum Ildefónsum, Confessórem tuum atque Pontíficem, misso de thesaúris cœléstibus múnere decorásti: concéde propítius; ut per ejus preces et mérita, múnera capiámus ætérna. Per Dóminum.

Secreta.

Sancti Ildefónsi, Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Ildefónsi, Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum nostrum.

Die 13. Februarii.

S. Catharinæ de Ricciis Virg.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 14. Februarii.

S. Joannis Eleemosynarii Patriarch. Alexandr., Conf.

Introitus. Ps. 111.

Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltábitur in glória.

Ps. 40. Beátus, qui intélligit super egénum et paúperem: in die mala liberábit eum Dóminus.

℣. Glória Patri.

Digitized by Google

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum atque Pontíficem insígnis in paúperes misericórdiæ virtúte decorásti: quæsumus; ut in omnes, qui te deprecántur, divítias misericórdiæ tuæ benígnus effúndas. Per Dóminum nostrum.

In Quadrag. fit Commem. Feriæ.

Léctio libri Tobíæ. Tob. 4.

Ex substántia tua fac eleemósynam, et noli avértere fáciem tuam ab ullo paúpere: ita enim fiet, ut nec a te avertátur fácies Dómini. Quómodo potúeris, ita esto miséricors. Si multum tibi fúerit, abundánter tríbue: si exíguum tibi fúerit, étiam exíguum libénter impertíri stude. Prǽmium enim bonum tibi thesaurízas in die necessitátis. Quóniam eleemósyna ab omni peccáto, et a morte líberat, et non patiétur ánimam ire in ténebras. Fidúcia magna erit coram summo Deo eleemósyna ómnibus faciéntibus eam.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo.

℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 111. Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et ℣. sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 3. Beátus vir qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus, generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Estóte misericórdes, sicut et Pater vester miséricors est. Nolíte judicáre, et non judicabímini: nolíte condemnáre, et non condemnabímini. Dimíttite, et dimittémini. Date, et dábitur vobis: mensúram bonam et confértam et coagitátam et supereffluéntem dabunt in sinum vestrum. Eádem quippe mensúra, qua mensi fuéritis, remetiétur vobis.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Sancti tui, quæsumus Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio. Lucæ 12. Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Joánne Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Die 15. Februarii.

S. Josephi a Leonissa Conf.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis die 4. hujus.

Digitized by Google

Die 16. Februarii.

Beatæ Joannæ Valesiæ nec Virg. nec Mart.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis die 4. hujus, 1. loco.

Die 17. Februarii.

Fugæ D. N. J. C. in Ægyptum.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 18. Februarii.

Ss. Viginti sex Martyrum Japonensium.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis die 5. hujus.

Die 26. Februarii.

S. Margaritæ de Cortona Pœnit.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 28. Februarii.

Inventionis Pueri Jesu in medio Doctorum.

Introitus.

IN excélso throno vidi sedére virum, quem adórat multitúdo Angelórum, psalléntes in unum: ecce cujus impérii nomen est in ætérnum.

Ps. 99. Jubiláte Deo omnis terra: servíte Dómino in lætítia.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui húmilem Fílii tui puerítiam cœlésti clarére sapiéntia voluísti: præsta; ut spíritu prudéntiæ repléti, sincéra tibi humilitáte placeámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Léctio Actuum Apostolórum.

Act. 3.

Móyses dixit: Quóniam Prophétam suscitábit vobis Dóminus Deus vester de frátribus vestris, tamquam me: ipsum audiétis juxta ómnia quæcúmque locútus fúerit vobis. Erit autem: Omnis ánima, quæ non audíerit Prophétam illum, exterminábitur de plebe. Et omnes Prophétæ a Sámuel et deínceps, qui locúti sunt, annuntiavérunt dies istos. Vos estis fílii Prophetárum, et testaménti, quod dispósuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et in sémine tuo benedicéntur omnes famíliæ terræ. Vobis primum Deus súscitans Fílium suum, misit eum benedicéntem vobis, ut convértat se unusquísque a nequítia sua.

Graduale. Sap. 8. Habébo propter sapiéntiam claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis, et in conspéctu poténtium admirábilis ero.

℣. Colos. 2. In Christo sunt omnes thesaúri sapiéntiæ et sciéntiæ abscónditi.

Allelúja, allelúja.

℣. Luc. 2. Stupébant omnes qui Jesum audiébant, super prudéntia et respónsis ejus. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Luc. 2. 47. Stupébant omnes, qui Jesum audiébant, super prudéntia, et respónsis ejus.

℣. Et dixit Mater ejus ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic?

℣. Ecce Pater tuus, et ego doléntes quærebámus te.

Digitized by Google

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2. f.

Cum factus esset Jesus annórum duódecim, ascendéntibus illis Jerosólymam secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos, et notos. Et non inveniéntes, regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum. Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos, et interrogántem eos. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntia, et respónsis ejus. Et vidéntes admiráti sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? ecce pater tuus, et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est, quod me quærebátis? nesciebátis, quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Et mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Et Jesus proficiébat sapiéntia, et ætáte, et grátia apud Deum, et hómines. Credo.

Offertorium. Joël. 2. Fílii Sion, exsultáte, et lætámini in Dómino Deo vestro, quia dedit vobis Doctórem justítiæ.

Secreta.

Devotiónis nostræ múnera tibi offérimus, Dómine, majestátem tuam humíliter deprecántes: ut, qui Fílii tui temporálem puerítiam sapiéntiæ et sciéntiæ donis fecísti claréscere, corda nostra ad percipiénda ex ore ejus salútis documénta dispónas. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Præfatio de Nativitate Domini.

Communio. Joann. 6. Verba vitæ ætérnæ habes, et nos credídimus, et cognóvimus, quia tu es Christus Fílius Dei.

Postcommunio.

Deus, cujus Unigénitus se véluti proficiéntem sapiéntia et grátia mortálium sénsibus exhibére dignátus est: quæsumus; ut quotidiána nobis spirituálium profféctuum increménta per hæc quæ súmpsimus, mystéria propítius largiáris. Per eúmdem Dóminum.

FESTA MOBILIA FEBRUARII.

Feria VI. post Cineres.

Ss. Spineæ Coronæ D. N. J. C.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis eadem Feria.

Feria VI. post Domin. I. Quadrag.

Ss. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 5. Martii.

S. Joannis Josephi a Cruce Confessoris.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 6. Martii.

S. Fridolini Abbatis.

Missa. Justus ut palma. de Comm. Conf. non Pont. 2. loco cum Evang. Sint lumbi vestri. de eodem Comm. 1. loco.

Digitized by Google

Die 9. Martii.

S. Gregorii Nysseni Ep., Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Oratio.

Deus, qui beátum Gregórium Confessórem tuum atque Pontíficem domésticis exémplis imbútum, doctrínæ præstántia ac fídei zelo mirábilem effecísti: da nobis ejus suffragántibus méritis; et quæ dócuit intelléctu conspícere, et quæ egit imitatióne complére. Per Dóminum nostrum.

Die 18. Martii.

S. Gabriëlis Archangeli.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 22. Martii.

S. Catharinæ Fliscæ Adurnæ Viduæ.

Missa. Sitívit. ut inter Festa pro aliqu. locis 2. loco eadem die.

FESTA MOBILIA MARTII.

Feria VI. post Domin. II. Quadrag.

Sacrat. Sindonis D. N. J. C.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis eadem Feria.

Feria VI. post Dom. III. Quadrag.

Sacr. Quinque Vulnerum D. N. J. C.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis eadem Feria.

Feria VI. post Dom. IV. Quadrag.

Pretios. Sanguinis D. N. J. C.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis eadem Feria.

Die 3. Aprilis.

S. Mariæ Ægyptiacæ Pœnit.

Introitus. Ps. 118.

Cognóvi Dómine, quia æquitas judícia tua, et in veritáte tua humiliásti me: confíge timóre tuo carnes meas, a mandátis tuis tímui.

Ps. ibid. **Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.**

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui beátam Maríam de calígine vitiórum eréptam, exhibuísti tibi sponsam: exaúdi nos propítius, et concéde; ut ejus précibus et méritis, a peccatórum nostrórum máculis emundémur. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Prov. 31. b.

Mulíerem fortem quis invéniet? Procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit et vidit, quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad paúperem. Non timébit dó-

Digitized by Google

mui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus, et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananæo. Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum: et laudent eam in portis ópera ejus.

Graduale. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúja, allelúja.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Temp. Pasch. omittitur Graduale, et ejus loco dic.:

Allelúja, allelúja.

℣. Ibid. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 15.

IN illo témpore: Erant appropinquántes ad Jesum publicáni et peccatóres, ut audírent illum. Et murmurábant pharisæi et scribæ, dicéntes: Quia hic peccatóres récipit, et mandúcat cum illis. Et ait ad illos parábolam istam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: et si perdíderit unam ex illis, nonne dimíttit nonagínta novem in desérto, et vadit ad illam, quæ períerat, donec invéniat eam? Et cum invénerit eam, impónit in húmeros suos gaudens: et véniens domum, cónvocat amícos et vicínos, dicens illis: Congratulámini mihi, quia invéni ovem meam, quæ períerat. Dico vobis, quod ita gaúdium erit in cœlo super uno peccatóre pœniténtiam agénte, quam super nonagínta novem justis, qui non índigent pœniténtia. Aut quæ múlier habens drachmas decem, si perdíderit drachmam unam, nonne accéndit lucérnam, et evérrit domum, et quærit diligénter, donec invéniat? Et cum invénerit, cónvocat amícas et vicínas, dicens: Congratulámini mihi, quia invéni drachmam, quam perdíderam. Ita dico vobis: gaúdium erit coram Angelis Dei super uno peccatóre pœniténtiam agénte.

Digitized by Google

Offertorium. Ps. 44. **Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sæculum sæculi.**

Secreta.

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Communio. Ibid. **Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.**

Postcommunio.

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove; cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 6. Aprilis.

B. Julianæ Cornelionensis

Virginis.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis die 5. hujus.

Die 16. Aprilis.

S. Benedicti Josephi Labre

Confessoris.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 19. Aprilis.

S. Leonis IX. Papæ, Conf.

Missa. **Státuit.** de Comm. 1. loco.

Die 26. Aprilis.

B. Mariæ V. de Bono Consilio.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 27. Aprilis.

S. Thuribii de Mogrovejo

Episc., Conf.

Introitus. Eccli. 45.

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dignitas in ætérnum. Ps. 131. **Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Ecclésiam tuam, Dómine, beáti Thuríbii, Confessóris tui atque Pontíficis, contínua protectióne custódi: ut sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit, ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 50.

Ecce sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Templi étiam altitúdo ab ipso fundáta est, duplex ædificátio, et excélsi paríetes templi. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, et quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. Qui prævaluit amplificáre civitátem; qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis, et ingréssum domus et átrii amplificávit. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic iste effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília, quæ sunt in tránsitu aquæ, et qua-

Digitized by Google

si thus rédolens in diébus æstátis. Quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens. Circa illum coróna fratrum: et quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ, et omnes fílii Aaron in glória sua.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 109. Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

℣. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

Post tempus Paschale dicitur:

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo.

℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 109. Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et profóctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gaúdium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gaúdium dómini tui.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Sancti tui, quæsumus Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Thuríbio Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Digitized by Google

FESTA MOBILIA APRILIS.

Feria II. post Domin. in Albis.

Gaudiorum B. Mariæ Virg.

Missa ut in Festis B. M. V. tempore Paschali. Et dicitur Credo.

Feria VI. post Domin. in Albis.

Ss. Sepulchri D. N. J. C.

Introitus. Is. 11.

IN die illa erit radix Jesse, qui stat in signum populórum: ipsum gentes deprecabúntur, allelúja: et erit Sepúlchrum ejus gloriósum, allelúja, allelúja. Ps. 45. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subíre, et in Sepúlchro depósitus tértia die resúrgere voluísti: concéde nobis fámulis tuis; ut qui Sepúlchri tui memóriam recólimus, resurrectiónis quoque glóriæ partícipes esse mereámur: Qui vivis et regnas.

Léctio Actuum Apostolórum.

Cap. 13.

IN diébus illis: Surgens Paulus, et manu siléntium indícens, ait: Viri fratres, fílii géneris Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salútis hujus missum est. Qui enim habitábant Jerúsalem et príncipes ejus, ignoránte Jesum et voces Prophetárum, quæ per omne Sábbatum legúntur, judicántes implevérunt: et nullam causam mortis inveniéntes in eo, petiérunt a Piláto, ut interfícerent eum. Cumque consummássent ómnia, quæ de eo scripta erant, deponéntes eum de ligno, posuérunt eum in monuménto. Deus vero suscitávit eum a mórtuis tértia die: qui visus est per dies multos his, qui simul ascénderant cum eo de Galiléa in Jerúsalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

Allelúja, allelúja.

℣. Job. 3. Qui exspéctant mortem, et non venit, quasi effodiéntes thesaúrum, gaudéntque veheménter, cum invénerint sepúlchrum, allelúja.

℣. Joann. 20. Currébant duo simul, et ille álius discípulus præcucúrrit cítius Petro, et venit prior ad monuméntum. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 24.

Una Sábbati valde dilúculo, venérunt mulíeres ad monuméntum, portántes, quæ paráverant, arómata: et invenérunt lápidem revolútum a monuménto, et ingréssæ non invenérunt corpus Dómini Jesu. Et factum est, dum mente consternátæ essent de isto, ecce duo viri stetérunt secus illas in veste fulgénti. Cum timérent autem, et declinárent vultum in terram, dixérunt ad illas: Quid quæritis vivéntem cum mórtuis? Non est hic, sed surréxit. Recordámini, quáliter locútus est vobis, cum adhuc in Galiléa esset, dicens: Quia opórtet Fílium hóminis tradi in manus hóminum peccatórum, et crucifígi, et die tértia resúrgere. Et recordátæ sunt verbórum ejus, et regréssæ a monuménto, nuntiavérunt hæc ómnia illis úndecim, et céteris ómnibus. Erat autem María Magdaléne, et Joánna, et María Jacóbi, et céteræ, quæ cum eis erant, quæ dicébant ad Apóstolos hæc. Et visa sunt ante

Digitized by Google

illos sicut deliraméntum verba ista: et non credidérunt illis. Petrus autem surgens, cucúrrit ad monuméntum: et procúmbens vidit linteámina sola pósita, et ábiit secum mirans, quod factum fúerat. Credo.

Offertorium. Ps. 41. Transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei. Allelúja.

Secreta.

Deus, qui per depositiónem sanctíssimi córporis Fílii tui in Sepúlchro, idem Sepúlchrum sanctificásti: concéde quæsumus; ut in hoc Sepúlchro ánima et corde habitémus. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio Paschalis. Te quidem Dómine omni témpore.

Communio. Sap. 9. Beátus qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei, allelúja.

Postcommunio.

Deus, qui nos sancti Sepúlchri Fílii tui lætári facis honóre: præsta quæsumus; ut in eódem sepúlti, mundo moriámur, et tibi soli vivámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Dominica II. post Pascha.

B. Mariæ V. Matris Divini Pastoris.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis Domin. I. Maji. In Archid. S. Ludovici adduntur Commem. Dominicæ et Translat. S. Vincentii a Paulo.

Oratio.

Deus, qui beátum Sacerdótem Vincéntium, ut tam multis hóminum misériis subveníret, misericórdiæ viscéribus implevísti: éxcita in Translatióne córporis ejus, quam adhuc spirant sacri cíneres, caritátem; ipsiúsque précibus eámdem in córdibus nostris benígnus infúnde. Per Dóminum.

Secreta.

Obláta múnera in Translatióne sancti Vincéntii, quæsumus Dómine, propítius réspice: éaque víscera caritátis, quæ beáto Sacerdóti tuo infudísti, fac nos pérpeti ejus suffrágio persentíre. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Propitiáre Dómine pópulo tuo, et intercedénte beáto Vincéntio Sacerdóte, perpétuæ misericórdiæ afflíctis ómnibus impénde subsídium. Per Dóminum.

Die 11. Maji.

S. Francisci de Hieronymo

Confessoris.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 13. Maji.

S. Boni Latronis.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis die 26. Martii vel 24. April.

Die 14. Maji.

Conversionis S. Augustini

Episc., Conf. et Eccl. Doct.

Introitus. Ps. 65. et 102.

Veníte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ miséricors et miserátor Dóminus, longánimis, et multum miséricors, allelúja, allelúja.

Ps. 144. Suávis Dóminus univérsis; et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

℣. Glória Patri.

Digitized by Google

Oratio.

Deus, qui hodiérnam diem beáti Augustíni, Confessóris tui atque Pontíficis, mirábili Conversióne decorásti: præsta quæsumus; ut sicut Ecclésiam tuam, propúlsis erróribus, prótegit, ita corda nostra précibus suis contra malígnos spíritus, tua grátia irrigánte, deféndat. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 13.

Fratres: Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus: non in comessatiónibus et ebrietátibus: non in cubílibus et impudicítiis: non in contentióne et æmulatióne: sed induímini Dóminum Jesum Christum.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 115. Dirupísti víncula mea: tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo. Allelúja.

℣. Ps. 117. Confitébor tibi, quóniam exaudísti me: et factus es mihi in salútem. Allelúja.

Post tempus Paschale dicitur:

Graduale. Ps. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo.

℣. Ibid. In generatiónem et generatiónem annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Allelúja, allelúja.

℣. Ex Officio August. Vulneráveras tu Dómine, cor meum caritáte tua, et gestábam verba tua in viscéribus, quasi sagíttas acútas, et exémpla servórum tuórum, quos de mórtuis vivos féceras, tamquam carbónes vastatóres. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 19.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit. Dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur, allelúja.

Secreta.

Sancti Augustíni, Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua Conversiónis ejus solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 11. Veníte ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos, allelúja.

Postcommunio.

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Augustínum ab erróreum ténebris ad lucem evangélicæ veritátis adduxísti: da nobis, quæsumus; ut qui ejus hódie Conversiónem cólimus, eódem precánte, dona tuæ grátiæ sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Digitized by Google

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die 1. loco.

Die 21. Maji.

S. Felicis a Cantalicio Conf.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 24. Maji.

B. Mariæ V. titulo **Auxilium Christianorum.**

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 27. Maji.

Patrocinii S. Ludovici Regis, Conf., Civitat. et Archid. S. Ludovici Patroni Præcipui.

Missa ut in Missali die 25. Aug., sed ritu Paschali, si occurrat ante Pentecosten, cum Commem. S. Joannis I. Papæ, Mart.

Die 29. Maji.

S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virginis.

Missa ut in Missali Romano die 27. hujus.

Die 30. Maji.

S. Ferdinandi III. Regis, Conf.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 31. Maji.

B. Mariæ Virg. sub titulo **Reginæ Sanctorum omnium** et **Matris pulchræ dilectionis.**

Introitus.

Egredímini et vidéte, fíliæ Sion, Regínam vestram, quam laudant astra matutína: cujus pulchritúdinem sol et luna mirántur, et júbilant omnes fílii Dei. T. P. Allelúja, allelúja. Ps. 83. Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! Concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beatíssimam Vírginem Maríam, ómnium Sanctórum Regínam et Matrem pulchræ dilectiónis nos venerári tribuísti: concéde propítius; ut ipsa protegénte, te in ómnibus et super ómnia diligámus in terris, et Sanctórum tuórum felíci consórtio perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Petronillæ Virg.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 24.

Ego quasi terebýnthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes, qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini: spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónibus sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient, et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur, et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Temp. Pasch.: Allelúja, allelúja.

℣. Cant. 2. Osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in aúribus meis:

Digitized by Google

vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra. Allelúja.

℣. Cant. 4. Favus distíllans lábia tua, mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris. Allelúja.

Extra tempus Paschale:

Graduale. Mach. 16, 5. Præpósuit eum Dóminus super univérsum regnum suum, et dedit ei diadéma, ut fílium suum nutríret, et regnáret.

℣. Eccli. 44. Coróna aúrea super caput ejus, expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis.

Allelúja, allelúja.

℣. Veni Regína nostra, veni Dómina in hortum tuum: odor unguentórum tuórum super ómnia arómata. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 19.

IN illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Credo.

Offertorium. Prov. 8. Si quis est párvulus véniat ad me, et insipiéntibus locúta est: veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum, quod míscui vobis. T. P. Allelúja.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus de Genitrícis Fílii tui glória lætántes, cujus suffúlti præsídio, et præséntibus éxui malis confídimus et futúris. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Præfatio. Et te in Festivitáte.

Communio. Regína mundi digníssima, María Virgo perpétua, intercéde pro nostra pace et salúte, quæ genuísti Christum Dóminum Salvatórem ómnium. T. P. Allelúja.

Postcommunio.

Cœléstibus pasti delíciis te súpplices deprecámur, Dómine Deus noster, ut sicut nobis in beatíssima Fílii tui Genitríce tutélam et præsídium constituísti, ita ejus solémnia celebrántibus ætérnæ glóriæ corónam retríbuas. Per eúmdem Dóminum.

FESTA MOBILIA MAJI.

Domin. infra Oct. Ascens.

B. Mariæ Virg. Reginæ Apostolorum.

Introitus. Ps. 86.

EUndaménta ejus in móntibus sanctis: díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei, allelúja, allelúja.

Ps. 133. Ecce nunc benedícite Dóminum, omnes servi Dómini: qui statis in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui Apóstolis tuis, cum María matre Jesu unanímiter orántibus, sanctum dedísti Spíritum: da nobis, ut eádem matre nostra et Apostolórum Regína protegénte majestáti tuæ fidéliter servíre; et nóminis tui glóriam verbo et exémplo diffúndere valeámus. Per eúmdem Dóminum . . . in unitáte ejúsdem.

Et fit Com̃. Dom. et Oct. Ascens.

Digitized by Google

Léctio Actuum Apostolórum.

Cap. 1.

Primum quidem sermónem feci de ómnibus, o Theóphile, quæ cœpit Jesus fácere et docére usque in diem, qua præcípiens apóstolis per Spíritum Sanctum, quos elégit, assúmptus est. Quibus et præbuit seípsum vivum post passiónem suam in multis arguméntis, per dies quadragínta appárens eis, et loquens de regno Dei. Et convéscens, præcépit eis, ab Jerosólymis ne discéderent, sed exspectárent promissiónem Patris, quam audístis (inquit) per os meum; quia Joánnes quidem baptizávit aqua, vos autem baptizabímini Spíritu Sancto non post multos hos dies. Igitur qui convénerant, interrogábant eum, dicéntes: Dómine, si in témpore hoc restítues regnum Israël? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse témpora vel moménta, quæ Pater pósuit in sua potestáte; sed accipiétis virtútem superveniéntis Spíritus Sancti in vos, et éritis mihi testes in Jerúsalem, et in omni Judæa, et Samária, et usque ad últimum terræ. Et cum hæc dixísset, vidéntibus illis, elevátus est, et nubes suscépit eum ab óculis eórum. Cumque intueréntur in cœlum eúntem illum, ecce duo viri astitérunt juxta illos in véstibus albis, qui et dixérunt: Viri Galiláei, quid statis aspiciéntes in cœlum? Hic Jesus, qui assúmptus est a vobis in cœlum, sic véniet quemádmodum vidístis eum eúntem in cœlum. Tunc revérsi sunt Jerosólymam a monte qui vocátur Olivéti, qui est juxta Jerúsalem, sábbati habens iter. Et cum introíssent in cœnáculum, ascendérunt ubi manébant Petrus, et Jánnes, Jacóbus, et Andréas, Philíppus, et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Jacóbus Alphæi, et Simon Zelótes, et Judas Jacóbi. Hi omnes erant perseverántes unanímiter in oratióne cum muliéribus, et María matre Jesu, et frátribus ejus.

Allelúja, allelúja.

℣. Virga Jesse flóruit: Virgo Deum et hóminem génuit: pacem Deus réddidit, in se reconcílians ima summis. Allelúja.

℣. Judith 13. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperántes in se: et in me ancílla sua adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël, et interfécit in manu mea hostem pópuli sui. Allelúja.

Extra tempus Paschale:

Graduale. Porta cœli et stella maris es, virgo María, regis ætérni mater ac regína nostra.

℣. Gratos nos redde Fílio tuo: quia omnis virtus et decor et glória ex te respléndet.

Allelúja, allelúja.

℣. Virga Jesse flóruit: Virgo Deum et hóminem génuit: pacem Deus réddidit, in se reconcílians ima summis. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 19.

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus, María Cléophæ et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Et dicitur Credo.

Digitized by Google

Offertorium. Judic. 5. **Ego sum, ego sum quæ Dómino canam, psallam Dómino Deo Israël. Cessavérunt fortes in Israël et quievérunt: donec súrgeret Mater in Israël. Nova bella elégit Dóminus, et portas hóstium ipse subvértit, allelúja.**

Secreta.

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne hæc nostra obtíneat oblátio: ut Ecclésia tua fidélium número crescat, et júgiter fúlgeat varietáte virtútum. Per Dóminum nostrum.

Præfatio de beata Maria. **Et te in Festivitáte.**

Communio. **Beáta Mater et intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum: tu enim glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri, allelúja.**

Postcommunio.

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis, da nobis quæsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis ac Regínæ Apostolórum patrocínio, perseverántem in tua voluntáte famulátum; ut Ecclésia tua novis semper proficiat increméntis. Per Dóminum nostrum.

Die 2. Junii.

S. Isidori Agricolæ, Conf.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis die 15. Maji.

Die 9. Junii.

B. M. V. titulo **Gratiarum.**

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 16. Junii.

S. Joannis Francisci Regis
Confessoris.

Missa. **Os justi.** de Comm. Conf. non Pont. 1. loco, præt. Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui ad plúrimos pro salúte animárum perferéndos labóres, beátum Joánnem Francíscum Confessórem tuum mirábili caritáte, et invícta patiéntia decorásti: concéde propítius; ut ejus exémplis instrúcti et intercessiónibus adjúti, ætérnæ vitæ prémia consequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Die 17. Junii.

Humilitatis B. M. V.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis die 17. Julii.

FESTA MOBILIA JUNII.

Domin. ante diem Octav. Kalendas Julii.

B. Mariæ Virg. sub titulo **de Perpetuo Succursu.**

Missa. **Gaudeámus.** ut inter Festa pro aliqu. locis Dom. ante Festum Nativit. S. Joannis Baptistæ.

Die 4. Julii.

S. Irenæi Episc., Mart.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 5. Julii.

S. Antonii Mariæ Zaccaria
Confessoris.

Missa. **Sermo meus.** ut in Missali eadem die.

Digitized by Google

Die 9. Julii.

Prodigiorum B. Mariæ V.

Missa votiva B. M. V. a Pentecoste usque ad Advent.

Et dicit. Credo et Præf. B. M. V. Et te in Festivitáte.

Die 11. Julii.

S. Michaëlis de Sanctis Conf.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis die 5. hujus.

Et fit Commem. S. Pii I. Papæ, Mart.

Die 15. Julii.

Divisionis Ss. XII Apostolor.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die 1. loco.

Die 21. Julii.

Ss. Nicolai et Soc. Mm. Gorcom.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis die 9. hujus.

Et fit Comem. S. Praxedis Virg.

Die 24. Julii.

S. Francisci Solani Conf.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die 1. loco.

Et fit Commem. Vigil., ac S. Christinæ Virg. et Mart.

Die 27. Julii.

S. Eliæ Prophetæ.

Introitus. 3. Reg. 19.

ZElo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, dixit Elías ad Dóminum, quia dereliquérunt pactum tuum fílii Israël: altária tua destruxérunt, prophétas tuos occidérunt gládio, derelíctus sum ego solus, et quærunt ánimam meam, ut aúferant eam.

Ps. 29. **Exaltábo te Dómine, quóniam suscepísti me: nec delectásti inimícos meos super me.**

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut qui beátum Elíam Prophétam tuum ígneo curru mirabíliter elevátum esse crédimus, eódem interveniénte, ad cœléstia sublevémur, et Sanctórum tuórum consórtio gaudeámus. Per Dñm.

Et fit Com. S. Pantaleonis Mart.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 48.

Surréxit Elías Prophéta, quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in pópulos famem, et irritántes illum invídia sua pauci facti sunt. Non enim póterant sustinére præcépta Dómini. Verbo contínuit cœlum, et dejécit de cœlo ignem ter. Sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis. Et quis potest simíliter sic gloriári tibi? Qui sustulísti mórtuum ab ínferis, de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui dejecísti reges ad perníciem, et confregísti fácile poténtiam ipsórum, et gloriósos de lecto suo. Qui audis in Sina judícium, et in Horeb judícia defensiónis. Qui ungis reges ad pœniténtiam, et Prophétas facis successóres post te. Qui recéptus es in túrbine ignis, in curru equórum igneórum. Qui scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini: conciliáre cor patris ad fílium, et restitúere tribus Jacob.

Graduale. 4. Reg. 2. **Factum est, cum leváre vellet Dóminus Elíam per túrbinem in cœlum, ibant Elías, et Eliséus de Gálgalis.**

Digitized by Google

℣. Cumque incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus, et equi ígnei divisérunt utrúmque: et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum.

Allelúja, allelúja. ℣. 1. Mach. 2. Elías, dum zelat zelum legis, recéptus est in cœlum. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 17.

IN illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum: et transfigurátus est ante eos. Et resplénduit fácies ejus sicut sol: vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuérunt illis Móyses et Elías cum eo loquéntes. Respóndens autem Petrus, dixit ad Jesum: Dómine, bonum est nos hic esse: si vis, faciámus hic tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, et Elíæ unum. Adhuc eo loquénte, ecce nubes lúcida obumbrávit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui: ipsum audíte. Et audiéntes discípuli, cecidérunt in fáciem suam, et timuérunt valde. Et accéssit Jesus, et tétigit eos, dixítque eis: Súrgite, et nolíte timére. Levántes autem óculos suos, néminem vidérunt, nisi solum Jesum. Et descendéntibus illis de monte, præcépit eis Jesus, dicens: Némini dixéritis visiónem, donec Fílius hóminis a mórtuis resúrgat.

Offertorium. Jac. 5. Elías homo erat símilis nobis passíbilis: et oratióne orávit, ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum orávit, et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

Secreta.

Offérimus tibi, Dómine, hóstiam laudis in honórem sancti Elíæ Prophétæ tui: et sicut tu holocaústo suo adfuísti, ita sacrifícium nostrum suscípere dignéris: ut per illud ad ætérnam mereámur pervenire lætítiam. Per Dóminum.

Communio. Malach. 4. Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus et horríbilis. Et convértet cor patrum ad fílios, et cor filiórum ad patres eórum.

Postcommunio.

Deus, qui per sanctum Angelum tuum beáto Elíæ Prophétæ tuo cibum, et potum tribuísti: ipso interveniénte concéde; ut quæ de cœlésti mensa percépimus, sincéris méntibus illibáta servémus. Per Dóminum.

FESTA MOBILIA JULII.

Domin. I. non impedita post Octav. Ss. Apostolor. Petri et Pauli.

Commemoratio Omnium Ss. Summorum Pontificum.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Domin.

Dominica ultima Julii.

B. Mariæ V. titulo Auxilium Agonizantium.

Missa. Salve sancta Parens. ut in Missis votivis ejusdem a Pentecoste ad Advent. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui Unigénito tuo, pendénti in cruce pro animárum salúte, genitrícem Vírginem Maríam adésse voluísti: fac, ut nos in extrémo vitæ perículo constitúti,

Digitized by Google

ejus intercessióne adjuvémur, et ætérna prǽmia consequámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commem. Domin.

Die 9. Augusti.

S. Pulcheriæ Imper., Virg.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis Domin. II. Julii.

Et fit Com̃. Vigil. et S. Romani Mart.

Die 11. Augusti.

S. Philumenæ Virg. et Mart.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 18. Augusti.

S. Helenæ Imperatr., Viduæ.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die 1. loco.

Die 19. Augusti.

S. Tharsicii Acolythi, Mart.

Introitus. Ps. 72.

Mihi autem adhærére Deo bonum est: pónere in Dómino Deo spem meam. Ps. ibid. Quam bonus Israël Deus his qui recto sunt corde. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Præsta, quǽsumus omnípotens Deus: ut sicut divína laudámus in sancti Tharsícii passióne magnália; sic indulgéntiam tuam piis ejus précibus assequámur. Per Dñm.

Et fit Commem. Oct. Assumpt.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 8.

Fratres: Quis nos separábit a caritáte Christi? tribulátio? an angústia? an fames? an núditas? an períeulum? an persecútio? an gládius? Sicut scriptum est: quia propter te mortificámur tota die: æstimáti sumus sicut oves occisiónis. Sed in his ómnibus superámus propter eum qui diléxit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque princípátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália pótterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 88. Quam dilécta tabernácula tua Dómine virtútum: concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.

℣. Cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum.

Allelúja, allelúja.

Ps. 29. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, nec delectásti inimícos meos super me. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joáñem. Joañ. 6. f.

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descéndit. Non sicut manducavérunt patres vestri manna, et mórtui sunt. Qui mandúcat hunc panem, vivet in ætérnum. Credo ratione Octavæ.

Offertorium. Sap. 3. Justórum ánimæ in manu Dei sunt: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Digitized by Google

Secreta.

Inténde, Dómine, múnera, quæsumus, altáris tui pro sancti Tharsícii Mártyris commemoratióne propósita: ut, sicut per hæc beáta mystéria illi glóriam contulísti, nobis indulgéntiam largiáris. Per Dñm.

Et fit Commem. Oct. Assumpt.

Præfatio B. M. V. Et te in Assumptióne. ratione Oct.

Coñunio. Joann. 6. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in eo.

Postcommunio.

Sit nobis, quæsumus Dómine, cibus sacer potúsque salutáris: qui intercedénte sancto Tharsício, Mártyre tuo, et temporálem vitam múniat, et præstet ætérnam. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Oct. Assumpt.

Die 26. Augusti.

S. Samuëlis Sac., Proph., Conf.

Introitus. Ps. 98.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus, quóniam sanctum est: Móyses et Aaron in sacerdótibus ejus: et Sámuël inter eos, qui ínvocant nomen ejus.

Ps. Dóminus regnávit, irascántur pópuli: qui sedet super Chérubim, moveátur terra. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Samuélem spíritu prophetíæ adimplére dignátus es: quique eum in templo tuo tibi digne ministráre fecísti: concéde propítius; ut qui ejus hódie solémnia cólimus, ipsíus exémpla sequéntes, ad te perveníre mereámur. Per Dñm.

Et fit Commem. Oct. S. Ludovici (in Archidiœc. S. Ludovici tantum) et S. Zephyrini Papæ, Mart.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 46.

Diléctus a Dómino Deo suo Sámuël Prophéta Dómini, renovávit impérium, et unxit príncipes in gente sua. In lege Dómini congregatiónem judicávit, et vidit Deus Jacob, et in fide sua probátus est prophéta. Et cógnitus est in verbis suis fidélis, quia vidit Deum lucis. Et invocávit Dóminum omnipoténtem in oppugnándo hostes circumstántes úndique, in oblatióne agni invioláti. Et intónuit de cœlo Dóminus, et in sónitu magno audítam fecit vocem suam, et contrívit príncipes Tyriórum, et omnes duces Philísthiim. Et ante tempus finis vitæ suæ et sæculi, testimónium præbuit in conspéctu Dómini, et Christi: pecúnias et usque ad calceaménta ab omni carne non accépit, et non accusávit illum homo. Et post hoc dormívit, et notum fecit regi, et osténdit illi finem vitæ suæ, et exaltávit vocem suam de terra in prophetía delére impietátem gentis.

Graduale. Lucæ 1. Locútus est per os sanctórum, qui a sæculo sunt prophetárum ejus.

℣. Benedíctus Dóminus Deus Israël, quia visitávit et fecit redemptiónem plebis suæ.

Allelúja, allelúja.

℣. Te prophetárum venerábilis númerus laudat, Dómine. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 19. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc:

Digitized by Google

Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non semináv: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis: Quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

(In Archidiœc. S. Ludovici Credo ratione Octavæ.)

Offertorium. 1. Reg. 3. Crevit autem Sámuël, et Dóminus erat cum eo, et non cécidit ex ómnibus verbis ejus in terram.

Secreta.

Deus, qui beátum Samuélem Prophétam, Sacerdótem fidélem et minístrum tuum elígere voluísti: súscipe hæc múnera, quæ in ejus tibi solemnitáte deférimus, et præsta; ut per hæc ab omni inquinaménto carnis et spíritus mundáti, digne tibi ministráre possímus. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Octav. S. Ludovici et S. Zephyrini Papæ, Mart.

Communio. 1. Reg. 7. Tulit autem Sámuël agnum lacténtem unum et óbtulit illum holocaústum íntegrum Dómino: et clamávit Sámuël ad Dóminum pro Israël, et exaudívit eum Dóminus.

Postcommunio.

Omnípotens et miséricors Deus, qui per beátum Samuélem Prophétam, Sacerdótem tuum, tibi sacrifícium offérri voluísti: concéde nobis múneris cœléstis efféctum; quod in ejus commemoratióne tuæ obtúlimus majestáti. Per Dñm.

Et fit Commem. Octav. S. Ludovici et S. Zephyrini Papæ, Mart.

FESTA MOBILIA AUGUSTI.

Dominica IV. vel ultima Augusti.

B. Mariæ V. sub titulo Salus Infirmorum.

Introitus.

Salus pópuli ego sum: de quacúmque tribulatióne clamáverint ad me, exaúdiam eos. Ps. 33. Benedícam Dóminum in omni témpore; semper laus ejus in ore meo.

℣. Glória Patri.

Digitized by Google

Oratio.

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

Et fit Commem. Domin. occurrentis, cujus Evangelium in fine Missæ legitur.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Prov. 8. c.

Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego jam concépta eram: necdum fontes aquárum erúperant: necdum montes gravi mole constíterant: ante colles ego parturiébar: adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terræ. Quando præparábat cœlos, áderam: quando certa lege et gyro vallábat abýssos: quando æthera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum: quando circúmdabat mari términum suum, et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos: quando appendébat fundaménta terræ. Cum eo eram cuncta compónens: et delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore: ludens in orbe terrárum: et delíciæ meæ esse cum fíliis hóminum. Nunc ergo, fílii, audíte me: beáti qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam. Beátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et haúriet salútem a Dómino.

Graduale. Ps. 102. **Bénedic ánima mea Dómino, et ómnia interióra mea nómini sancto ejus. Qui sanat omnes infirmitátes tuas, qui rédimit de intéritu vitam tuam.**

℣. Ps. 117. **Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem.**

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 107. **Da nobis, Dómine, auxílium de tribulatióne, quia vana salus hóminis. Allelúja.**

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joáñem. Joañ. 2.

In illo témpore: Núptiæ factæ sunt in Cana Galiléæ: et erat mater Jesu ibi. Vocátus est autem et Jesus, et discípuli ejus, ad núptias. Et deficiénte vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, múlier? Nondum venit hora mea. Dicit mater ejus minístris: Quodcúmque díxerit vobis, fácite. Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purificatiónem Judæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel ternas. Dicit eis Jesus: Impléte hýdrias aqua. Et implevérunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus: Hauríte nunc, et ferte architriclíno. Et tulérunt. Ut autem gustávit architriclínus aquam vinum factam, et non sciébat unde esset, minístri autem sciébant, qui haúserant aquam: vocat sponsum architriclínus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriáti fúerint, tunc id, quod detérius est. Tu autem servásti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit inítium signórum Jesus

Digitized by Google

in Cana Galiléæ: et manifestávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli ejus. Credo.

Offertorium. Recordáre, Virgo Mater, cum stéteris in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatiónem suam a nobis.

Secreta.

Hæc oblátio, Dómine, per salutíferam beatíssimæ Unigéniti Fílii tui Genitrícis intercessiónem, nos in tua grátia confírmet, et a malis ómnibus reddat immúnes. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio B. M. V. Et te in Festivitáte.

Communio. Dabo in Sion salútem, et in Israël glóriam meam.

Postcommunio.

Divína libátio Córporis et Sánguinis tui, Dómine Jesu Christe, quam in honórem Genitrícis tuæ devóte suscépimus, temporális vitæ páriter, et ætérnæ múnera largiátur. Qui vivis et regnas.

Die 3. Septembris.

B. Mariæ V. Consolatricis Afflictorum.

Introitus.

Ave, spes nostra, Dei Génitrix virgo María, quæ meruísti portáre Regem cœlórum et Dóminum. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

Ps. 147. Confortávit Dóminus seras portárum tuárum: benedíxit fíliis tuis in te.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Totíus consolatiónis Deus, qui Unigéniti Fílii tui ex carne matrem Maríam, nostram quoque ex caritáte matrem esse voluísti: concéde propítius; ut cujus protectióne lætámur, interventióne confortémur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes, qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale. Cant. 1. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem, sicut tabernácula Cedar, sicut pelles Salomónis.

℣. Ibid. 4. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem.

Allelúja, allelúja.

℣. In flore Mater, in partu Virgo, gaude et lætáre, Virgo Mater Dómini. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1.

In illo témpore: Exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda, et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et factum est ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth,

Digitized by Google

exsultávit infans in útero ejus, et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth, et exclamávit voce magna, et dixit: Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in aúribus meis, exsultávit in gaúdio infans in útero meo. Et beáta quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María: Magníficat ánima mea Dóminum, et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Credo.

Offertorium. Apoc. 11. In illa hora factus est terræmótus magnus. In timórem missi dedérunt glóriam Deo cœli; et apértum est templum Dei in cœlo, et visa est arca testaménti ejus.

Secreta.

Múnera nostra, Dómine, Spíritus Sancti obumbránte virtúte, Unigéniti tui Corpus et Sanguis fiant: ut qui ex María Vírgine pro nobis suscépit quod nostrum est, his Sacraméntis cœléstibus, eádem intercedénte, dignétur nobis conférre quod suum est, Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster: Qui tecum vivit ... in unitáte ejúsdem.

Præfatio de B. M. V. Et te in Festivitáte.

Communio. Prov. 8. Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam et haúriet salútem a Dómino.

Postcommunio.

Deus, cujus in hoc Sacraménto mortem annuntiámus: beatíssimæ semper Vírginis matris tuæ Maríæ précibus in omni nos virtúte confórta; ut cum ea sócii passiónum tuárum fórtiter effécti, consolatiónis étiam et glóriæ partícipes esse mereámur: Qui vivis.

Die 4. Septembris.

S. Rosæ Viterbiensis Virg.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 6. Septembris.

S. Rosaliæ Virg. Panormit.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis die 4. hujus 1. loco.

Die 9. Septembris.

S. Petri Claver Confess.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

FESTA MOBILIA SEPTEMBRIS.

Dominica I. Septembris.

Purissimi Cordis B. M. V.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis Dom. III. post Pentecosten.

Die 1. Octobris.

S. Gregorii Episc. majoris Armen., Mart.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 8. Octobris.

S. Simeonis Prophetæ.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. præter sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui Unigénitum tuum ulnis sancti Simeónis in templo sancto tuo suscipiéndum præsentásti: tuam súpplices deprecámur cleméntiam; ut

Digitized by Google

eo interveniénte, in templo sancto glóriæ tuæ præsentári mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja.

℣. Senex púerum portábat; puer autem senem regébat. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2.

IN illo témpore: Homo erat in Jerúsalem, cui nomen Símeon, et homo iste justus et timorátus, exspéctans consolatiónem Israël, et Spíritus Sanctus erat in eo. Et respónsum accéperat a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini. Et venit in Spíritu in templum. Et cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo; et ipse accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum, et dixit: Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace; quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, quod parásti ante fáciem ómnium populórum: lumen ad revelatiónem géntium, et glóriam plebis tuæ Israël. Et erat pater ejus et mater miránte super his quæ dicebántur de illo. Et benedíxit illis Símeon, et dixit ad Maríam matrem ejus: Ecce pósitus est hic in ruínam et in resurrectiónem multórum in Israël, et in signum cui contradicétur: et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes.

Communio. Luc. 2. Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem nisi vidéret Christum Dómini.

Die 10. Octobris.

S. Ludovici Bertrandi Conf.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 16. Octobris.

S. Galli Abbatis.

Missa. Os justi. de Communi pro Abbatibus.

Die 17. Octobris.

B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et Soc. Virg. et Mart.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die 1. loco.

Die 23. Octobris.

Sanctissimi Redemptoris.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 24. Octobris.

S. Raphaëlis Archangeli.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 27. Octobris.

(In Archid. S. Ludovici et in Diœces. Leavenworth.)

Puritatis B. Mariæ V.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis Domin. III. Octobris.

Die 31. Octobris.

S. Wolfgangi Episc., Conf.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Digitized by Google

FESTA MOBILIA OCTOBRIS.

Dominica II. Octobris.

Maternitatis B. Mariæ V.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Domin.

Dominica III. Octobris.

(In Archidiœc. S. Ludovici.)

Dedicationis Ecclesiæ Metropolitanæ.

Missa ut in Comm. Dedicationis Eccles.

Eadem Dominica.

(In Diœcesi Leavenworth.)

Dedicationis Omnium Ecclesiarum Diœceseos.

Missa ut in Comm. Dedic. Eccl.

Eadem Dominica.

(Alibi.)

Puritatis B. Mariæ V.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis Domin. III. Octobris.

Dominica ultima Octobris.

Sacrarum Reliquiarum.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Domin.

Die 13. Novembris.

S. Stanislai Kostkæ Conf.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 27. Novembris.

Manifestationis Imaculatæ V. M. a Sacro Numismate

vulgo

Della Medaglia Miracolosa.

Missa. **Erit quasi signum.** ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 28. Novembris.

S. Leonardi a Portu Mauritio Conf.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis die 26. hujus.

FESTA MOBILIA NOVEMBRIS.

Domin. infra Oct. Omn. Sanctorum.

B. Mariæ V. de Suffragio.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Domin.

Domin. post Oct. Omn. Sanctorum.

Patrocinii B. Mariæ V.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis Domin. II. Novembris.

Concordant cum Originalibus.

Sancti Ludovici die 10. Augusti 1906.

O. J. S. Hoog, Vic. Gen.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 16. Novembris 1906.

Dr. P. Kagerer,
Cap. Vic.

Digitized by Google

Index alphabeticus.

Antonii Mariæ Zaccaria Conf. 5. Julii. fol. 20*
Barbaræ Virg. et Mart. 5. Dec. 1*
Benedicti Josephi Labre Conf. 16. April. 12*
Blasii Episc., Mart. 3. Febr. 5*
Boni Latronis Conf. 13. Maji. 15*
Catharinæ de Ricciis Virg. 13. Febr. 6*
Catharinæ Fliscæ Adurnæ Viduæ. 22. Martii. 10*
Commem. Omn. Ss. Summorum Pontificum. Domin. I. non impedita post Octavam Ss. Apostolorum Petri et Pauli. 22*
Conversionis S. Augustini Episc., Conf. et Eccl. Doct. 14. Maji. 15*
Dedicatio Ecclesiæ Metropolitanæ. Domin. III. Octobris. 30*
Dedicatio Omnium Ecclesiarum Diœceseos. Domin. III. Oct. 30*
Divisionis XII Apostolor. 15. Julii. 21*
Eliæ Prophetæ. 27. Julii. 21*
Familiæ S., Jesu, Mariæ, Joseph. Dom. III. post Epiphan. 3*
Felicis a Cantalicio Conf. 21. Maji. 17*
Ferdinandi III. Regis, Conf. 30. Maji. 17*
Francisci de Hieronymo Conf. 11. Maji. 15*
Francisci Solani Conf. 30. Julii. 21*
Fridolini Abbatis. 6. Martii. 9*
Fugæ D. N. J. C. in Ægyptum. 17. Febr. 8*
Gabrielis Archangeli. 18. Martii. 10*
Galli Abbatis. 16. Oct. 29*
Gregorii Episc. majoris Armen., Mart. 1. Oct. 28*
Gregorii Nysseni Episc., Conf. 9. Martii. 10*
Helenæ Imperatr., Viduæ. 18. Aug. 23*
Hyacinthæ de Mariscottis Virg. 30. Jan. 2*
Ildefonsi Episc., Conf. 12. Febr. 6*
Inventionis Pueri Jesu in medio Doct. 28. Febr. 8*
Irenæi Episc., Mart. 4. Julii. 20*
Isidori Agricolæ Conf. 2. Junii. 20*
Joannæ Valesiæ nec Virg. nec Mart. 16. Febr. 8*
Joannis Eleemosynarii Patr. Alex., Conf. 14. Febr. 6*
Joannis Francisci Regis Conf. 16. Junii. 20*
Joannis Josephi a Cruce Conf. 5. Martii. fol. 9*
Joannis Nepomuceni Mart. 16. Maji. 17*
Josephi a Leonissa Conf. 15. Febr. 7*
Julianæ Cornelionensis Virg. 6. April. 12*
Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. Feria VI. post Dom. I. Quadrag. 9*
Lazari Resuscitati Episc., Conf. 17. Dec. 2*
Leonardi a Portu Mauritio Conf. 28. Nov. 30*
Leonis IX. Papæ, Conf. 19. April. 12*
Ludovici Bertrandi Conf. 10. Oct. 29*
Manifestationis Immacul. V. M. a S. Numismate. 27. Nov. 30*
Margaritæ de Cortona Pœnit. 26. Febr. 8*
Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. 17. Oct. 29*
Mariæ Ægyptiacæ Pœnit. 3. April. 10*
Mariæ B. V. Almæ Domus Translationis. 10. Decembr. 1*
— — Apparitionis Immacul. 11. Febr. 6*
— — Auxilium Agonizant. Dom. ult. Julii. 22*
— — Auxilium Christianorum. 24. Maji. 17*
— — de Bono Consilio. 26. April. 12*
— — Consolatricis Afflictorum. 3. Sept. 27*
— — Cordis purissimi. Dom. I. Sept. 28*
— — Desponsat. cum S. Joseph. 23. Jan. 2*
— — Exspectationis Partus. 18. Dec. 2*
— — Gaudiorum. Feria II. post Domin. in Albis. 14*
— — Gratiarum. 9. Junii. 20*
— — de Guadalupe. 12. Dec. 1*
— — Humilitatis. 17. Junii. 20*
— — Immaculati Cordis sub titulo Refugium Peccator. Dom. ultima post Epiph. 3*
— — Maternitatis. Domin. II. Oct. 30*
— — Matris Divini Pastoris. Domin. II. post Pascha. 15*
— — Patrocinii. Domin. post Octav. Oo. Sanctorum. 30*
— — de Perpetuo Succursu. Domin. ante diem Octav. Kalendas Julii. 20*
— — Prodigiorum. 9. Julii. 21*
— — Puritatis. 27. et Dom. ultima Oct. 29* 30*

Digitized by Google

Mariæ B. V. Reginæ Apostolorum. Dom. infra Oct. Ascensionis. fol. 18*
— — Reginæ Sanctorum omn. et Matris pulchræ dilectionis. 31. Maji. 17*
— — Salus Infirmorum. Domin. IV. vel ult. Aug. 25*
— — de Suffragio. Domin. infra Octav. omnium Sanctorum. 30*
Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. 29. Maji. 17*
Michaëlis de Sanctis Conf. 11. Julii. 21*
Nicolai et Soc. Mm. Gorcomiens. 21. Julii. 21*
Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti. Feria III. post Domin. Septuages. 5*
Passionis D. N. J. C. Commem. Feria III. post Dom. Septuages. 5*
Patrocinii S. Ludovici Regis, Conf. 27. Maji. 17*
Petri Claver Conf. 9. Sept. 28*
Petri Forerii Conf. 9. Dec. 1*
Philippi a Jesu Mart. 5. Febr. 5*
Philumenæ Virg. et Mart. 11. Aug. 23*
Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. Feria VI. post Domin. IV. Quadrag. 10*
Pulcheriæ Imperatr., Virg. 9. Aug. 23*
Quinque Vulnerum D. N. J. C. Feria VI. post Dom. III. Quadrag. fol. 10*
Raphaëlis Archangeli. 24. Oct. 29*
Redemptoris Ss. 23. Oct. 29*
Reliquiarum Sacrar. Dom. IV. Oct. 30*
Rosæ Viterbiensis Virg. 4. Sept. 28*
Rosaliæ Virg. Panormit. 6. Sept. 28*
Samuelis Sacerdotis et Prophetæ, Confess. 26. Aug. 24*
Sepulchri D. N. J. C. Feria VI. post Dom. in Albis. 14*
Simeonis Prophetæ. 8. Oct. 28*
Sindonis Ss. D. N. J. C. Feria VI. post Dom. II. Quadrag. 10*
Spineæ Coronæ D. N. J. C. Fer. VI. post Cineres. 9*
Stanislai Kostkæ Conf. 13. Nov. 30*
Tharsicii Acolythi Mart. 19. Aug. 23*
Thuribii de Mogrovejo Ep., Conf. 27. April. 12*
Ursulæ et Sociar. Virgg. et Mm. 21. Oct. 29*
Viginti sex Mm. Japonensium. 18. Febr. 8*
Wolfgangi Episc., Conf. 31. Oct. 29*

Digitized by Google

PROPRIUM MISSARUM

SACRI ORDINIS MILITARIS

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

DE DOMO TEUTONICA IN JERUSALEM.



A S. R. C. ADPROBATUM.

JUSSU SUMMI MAGISTRI EUGENII, ARCHIDUCIS AUSTRIÆ,

EDITUM.

SUMPTIBUS ORDINIS B. MARIÆ V. TEUTONICORUM.
TYPIS FRIDERICI PUSTET, RATISBONÆ.
MDCCCCIII.

184
Digitized by Google

Concordat cum originalibus.

Actum Viennæ die xxvi. Maji A. D. MCMIII.

Eugenius, O. T. S. M.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 10. Julii 1903.

Dr. Fr. X. Leitner, Vic. in Spir. Gen.

Digitized by Google

ORDINIS B. M. V. TEUTONICORUM.

Anno superiore ab Apostolica Sede Kalendario perpetuo a Fratribus perantiqui Ordinis B. Mariæ Virginis Teutonicorum servando rite approbato; Supremus ipsius Ordinis Magister Eugenius Archidux Austriæ, iteratis precibus Ssmo Dño Nostro Leoni Papæ XIII. Proprium Officiorum atque Missarum juxta idem Kalendarium redactum pro Apostolica Sanctione demississime subiecit: in quo tria Officia nuperrime insigni eidem Ordini concessa enumerantur, nimirum alterum B. M. V. de Domo Teutonica in Jerusalem, alterum S. Elisabeth Patronæ Ordinis secundariæ ac tertium de eiusdem Sanctæ Viduæ Translatione. Sanctitas porro Sua has preces ab infrascripto Cardinali Sacræ eidem Congregationis Præfecto relatas peramanter excipiens, Proprium Officiorum et Missarum pro Ordine B. M. V. Teutonicorum suprema Auctoritate Sua benigne approbare dignata est: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12. Februarii 1903.

A. Card. Orchomi Præf.

Digitized by Google

EUGENIUS,

ARCHIDUX AUSTRIÆ,

ORDINIS TEUTONICI SUPREMUS MAGISTER.

UNIVERSO ORDINIS NOSTRI CLERO SALUTEM ET GRATIAM NOSTRAM.

Solemne Nobis cum semper fuerit, ea quæ ad Ordinis Nostri incrementum forent, tam in ceteris quam ad cultum divinum peragendum promovere et in quantum fieri possit, in pristinum vigorem restituere: libentissime suscepimus iteratas preces Conventualium Nostrorum de Proprio, uti dicunt, Ordinis resuscitando.

Quamobrem Ordinis Nostri sacerdotes quosdam delegavimus, qui novum Kalendarium, temporibus accommodatum, cum Proprio elaborarent. Hi vero officio suo probe functi, quæcunque ad Ordinem Nostrum magis pertinere et pro cultu sanctis Patronis nostris debito facere viderentur, rite colligentes, Nobis detulerunt. Quorum elucubratio a viris eruditis non sine laude accepta, Nobis quoque quam maxime placuit; quare eandem S. Sedi Apostolicæ approbandam subjecimus.

Quod cum factum sit, uti hoc ipsum S. R. C. Decretum, supra allatum testatur, tandem prælo demandari atque imprimi novum hoc Proprium Ordinis Nostri juxta Originalia curavimus.

Unum Nobis superest, quatenus omnes et singulos Ordinis Nostri Sacerdotes ac Clericos moneamus et exhortemur, ut tam publice quam privatim debito devotionis fervore horas canonicas juxta novum hoc Ordinis Kalendarium persolvant Missæque sacrosanctum sacrificium concelebrent, atque hoc pacto Nobis et Ordini universo gratiam et misericordiam suffragantibus sanctis Patronis nostris, Beata scilicet semper Virgine Dei Genitrice Maria ac sancta Elisabeth necnon et sancto Georgio, ceterisque Sanctis, quos ab ipso suo exordio Ordo Noster maxima devotione prosecutus est, a Deo omnipotenti impetrare promereantur.

Digitized by Google

PROPRIUM MISSARUM
ORDINIS TEUTONICI.

Die 4. Decembris.

S. Barbaræ Virg. et Mart.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 5. Decembris.

S. Petri Chrysologi Episc., Conf. et Eccl. Doct.

Ut die 4. hujus.

Commemoratio S. Sabbæ Abbat.

Die 10. Decembris.

Translatio Almæ Domus B. M. V.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 18. Decembris.

Exspectatio Partus B. Mariæ V.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Dominica III. post Epiphaniam.

S. Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem Dominica.

Die 23. Januarii.

Desponsatio B. Mariæ V. cum S. Joseph.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 28. Januarii.

Fugæ D. N. J. C. in Ægyptum.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis die 17. Febr.

Commem. S. Agnetis secundo.

Die 3. Februarii.

S. Blasii Episc., Mart.

Missa. Gaudeámus. ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die 2. loco.

Die 4. Februarii.

S. Ansgarii Episc., Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Die 6. Februarii.

S. Dorotheæ Virg. et Mart.

Missa ut in Missali eadem die notatur.

Die 12. Februarii.

S. Andreæ Corsini Episc., Conf.

Ut die 4. hujus.

Die 13. Februarii.

Beati Jordani Conf. Ord. Prædic.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pont. 1. loco, præter sequ.

Oratio.

Deus, qui salútis animárum zelo, et ampliándæ Religiónis grátia Beátum Jordánum mirábilem effecísti, ejus intercedéntibus méritis, fac nos in eódem semper spíritu vívere, ac repósitam in cœlis glóriam inveníre. Per Dóminum.

Secreta.

Cœléstis convívii munus quod offérimus, beátus Jordánus in conspéctu majestátis tuæ, Dómine, præséntet: et dignáre, ut sicut illi confert ad glóriam, ita per ipsíus

Digitized by Google

suffrágium pignus veræ viæ, et vitæ sempitérnæ nobis efficiátur. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Ætérnæ salútis spes, quam per córporis et sánguinis tui, Dómine, perceptiónem habére nos voluísti, secúra permáneat; et beáti Jordáni precátio ad glóriam capesséndam sit semper intercéssio salutáris: Qui vivis et regnas.

Die 14. Februarii.

S. Titi Episc., Conf.

Ut die 6. hujus.
Commem. S. Valentini Mart.

Die 15. Februarii.

S. Raymundi de Peñafort Conf.

Ut die 23. Januarii.
Commem. Ss. Faustini et Jovitæ Martyrum.

Die 16. Februarii.

Beati Gregorii X. Papæ, Conf.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 26. Februarii.

S. Margaritæ de Cortona Pœnit.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Feria VI. post Cineres.

Oratio D. N. J. C. in Monte Oliveti.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis Feria III. post Dom. Septuag.
Commem. Feriæ et ejusdem Evangel. legitur in fine.

Feria VI. post Dom. I. Quadrag.

Commem. **Ss. Passionis D. N. J. C.**

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis Feria III. post Dom. Sexages.
Commem. Feriæ et ejusdem Evangel. legitur in fine.

Feria VI. post Dom. II. Quadrag.

Ss. Spineæ Coronæ D. N. J. C.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis Feria VI. post Cineres.

Feria VI. post Dom. III. Quadrag.

Ss. Sindonis D. N. J. C.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis Feria VI. post Dom. II. Quadrages.

Feria VI. post Dom. IV. Quadrag.

Ss. Quinque Vulnerum D. N. J. C.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis Feria VI. post Domin. III. Quadrages.

Die 2. Martii.

Beatæ Agnetis Virg. Ord. Clariss.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátam Agnétem Vírginem per regálium deliciárum contémptum et húmilem tuæ crucis sequélam ad cœlum sublimásti, tríbue nobis, quæsumus, ut ejus précibus et imitatióne ætérnæ glóriæ mereámur esse partícipes. Qui vivis et regnas.

Secreta.

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum nostrum.

Digitized by Google

Die 3. Martii.

S. Cunegundis Imperatricis, Virg.

Missa. Vultum tuum. de Communi Virg. 2. loco, præter sequ.

Evangel. Accessérunt ad Jesum. ut in fine Missæ. Me exspectavérunt. de Communi Virg. et Mart. 2. loco.

Die 15. Martii.

Beati Clementis Mariæ Hofbauer Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Comm. Conf. non Pont. 2. loco, præt. sequ.

Oratio.

Deus qui beátum Cleméntem Maríam miro fídei róbore et invíctæ constántiæ virtúte decorásti: ejus méritis et exémplis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide, et caritáte fervéntes; ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Feriæ.

Secreta.

Ille nos, quæsumus Dómine, devotiónis ignis accéndat; quo beátus Clemens María, dum salutárem offérret hóstiam, júgiter flagrávit. Per Dóminum.

Commem. Feriæ.

Postcommunio.

Cœlésti pane refóctis concéde nobis, omnípotens Deus; ut beáti Cleméntis exémplo in fortitúdine cibi illíus usque ad montem, qui Christus est, felíciter perveniámus: Qui tecum vivit.

Commem. Feriæ.

Die 16. Martii.

S. Raymundi de Fitero Abbat.

Introitus. Ps. 36.

OS justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Ps. ibid. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beáto Raymúndo Abbáti præliári prælia tua, et fídei inimícos superáre dedísti: concéde; ut ejus nos intercessióne muníti, ab hóstibus mentis et córporis liberémur. Per Dóminum.

Et fit Commem. Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 45.

Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum, et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplínæ.

Graduale. Ps. 20. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

Digitized by Google

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.
℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 3.

IN illo témpore: Dicébat Joánnes ad turbas, quæ exíbant, ut baptizaréntur ab ipso: Genímina viperárum, quis osténdit vobis fúgere a ventúra ira? Fácite ergo fructus dignos pœniténtiæ, et ne cœpéritis dícere: Patrem habémus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapídibus istis suscitáre fílios Abrahæ. Jam enim secúris ad radícem árborum pósita est. Omnis ergo arbor non fáciens fructum bonum, excidétur, et in ignem mittétur. Et interrogábant eum mílites, dicéntes: Quid faciémus nos? Et ait illis: Néminem concutiátis, neque calúmniam faciátis: et contenti estóte stipéndiis vestris.

Offertorium. Ps. 20. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta.

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Raymúndus Abbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum nostrum.

Commem. Feriæ.

Comunio. Luc. 12. Fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam; ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Raymúndus Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum nostrum.

Commem. Feriæ.

Die 17. Martii.

Beati Joannis Sarcander Mart.

Missa. Lætábitur. de Communi unius Mart. non Pont. 2. loco, præter sequ.

Oratio.

Deus, qui Beátum Joánnem Mártyrem tuum in confessióne veræ fídei et sacramentális siléntii custódia virtúte constántiæ roborásti: præsta quæsumus; ut contra advérsa ómnia ejus muniámur exémplis et protegámur auxíliis. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Múnera tibi Dómine obláta sanctífica, et Beáti Joánnis Mártyris tui interventióne placátus præsta, ut qui ejus gloriósa confessióne lætámur, fídei constántiam imitémur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sit nobis Dómine reparátio mentis et córporis cœléste mystérium, quod Beáto Joánni Mártyri tuo constántiam in agóne præstitit, palmámque triúmphi. Per Dóminum nostrum.

Die 18. Martii.

S. Gabrielis Archangeli.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Digitized by Google

Die 20. Martii.

S. Joseph ab Arimathæa Conf.

Introitus. Ps. 36.

OS justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. Ps. ibid. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus qui nos beáti Joséphi Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius: ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Et fit Commem. Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 39.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesaúris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 27.

Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa nómine Joseph, qui et ipse discípulus erat Jesu. Hic accéssit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu. Tunc Pilátus jussit reddi corpus. Et accépto córpore Joseph invólvit illud in síndone munda, et pósuit illud in monuménto suo novo, quod excíderat in petra. Et advólvit saxum magnum ad óstium monuménti, et ábiit.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Commem. Feriæ.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Refécti cibo potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Commem. Feriæ.

Die 22. Martii.

S. Patritii Episc., Conf.

Ut die 17. hujus.

Die 23. Martii.

S. Cyrilli Episc. Hierosolym., Conf. et Eccl. Doct.

Ut die 18. hujus.

Digitized by Google

Die 26. Martii.

S. Boni Latronis Conf.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 27. Martii.

S. Nicodemi Martyris.

Introitus. Ps. 63. Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

Ps. ibid. Exaúdi Deus oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut, intercedénte beáto Nicodémo Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Et fit Commem. Feriæ et dicitur ejusdem Evang. in fine.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2. Tim. 2. et 3.

Caríssime: Memor esto, Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale. Ps. 36. Justus cum cecíderit, non collidétur: quia Dóminus suppónit manum suam.

℣. Tota die miserétur, et cómmodat: et semen ejus in benedictióne erit.

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 3.

In illo témpore: Erat homo ex pharisæis, Nicodémus nómine, princeps Judæórum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venísti magíster: nemo enim potest hæc signa fácere, quæ tu facis, nisi fúerit Deus cum eo. Respóndit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renátus fúerit dénuo, non potest vidére regnum Dei. Dicit ad eum Nicodémus: Quómodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iteráto introíre, et renásci? Respóndit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renátus fúerit ex aqua, et Spíritu Sancto, non potest introíre in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spíritu, spíritus est. Non miréris quia dixi tibi: opórtet vos nasci dénuo. Spíritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde véniat, aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex spíritu. Respóndit Nicodémus, et dixit ei: Quómodo

Digitized by Google

possunt hæc fíeri? Respóndit Jesus, et dixit ei: Tu es magíster in Israël, et hæc ignóras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus lóquimur, et quod vídimus testámur, et testimónium nostrum non accípitis. Si terréna dixi vobis, et non créditis: quómodo, si díxero vobis cœléstia, credétis? Et nemo ascéndit in cœlum, nisi qui descéndit de cœlo, Fílius hóminis, qui est in cœlo. Et sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto; ita exaltári opórtet Fílium hóminis, ut omnis qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei.

Secreta.

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum nostrum.

Commem. Feriæ.

Communio. Joann. 12. Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit.

Postcommunio.

Refécti participatióne múneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Nicodémo Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum nostrum.

Commem. Feriæ.

Die 29. Martii.

S. Joannis Damasceni Conf. et Eccl. Doct.

Ut die 27. hujus.

Die 3. Aprilis.

S. Mariæ Ægyptiacæ Pœnit.

Introitus.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre sanctæ Maríæ: de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Largíre nobis, miséricors Deus: ut beáta María, quæ, te super ómnia diligéndo, suórum accépit véniam delictórum, pœniténtiæ salutáris donum nobis obtíneat. Per Dñm.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 1. Tim. 1.

Fidélis sermo et omni acceptióne dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum. Sed ídeo misericórdiam consecútus sum: ut in me primo osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam, ad informatiónem eórum, qui creditúri sunt illi, in vitam ætérnam. Regi autem sæculórum immortáli, invisíbili, soli Deo honor, et glória in sæcula sæculórum. Amen.

Graduale. Ps. 44. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit Rex spéciem tuam.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Tractus. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit

Digitized by Google

te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 15.

IN illo témpore: Erant appropinquántes ad Jesum publicáni et peccatóres, ut audírent illum. Et murmurábant pharisæi et scribæ, dicéntes: Quia hic peccatóres récipit, et mandúcat cum illis. Et ait ad illos parábolam istam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: et si perdíderit unam ex illis, nonne dimíttit nonagintanóvem in desérto, et vadit ad illam, quæ períerat, donec invéniat eam? Et cum invénerit eam, impónit in húmeros suos gaudens: et véniens domum, cónvocat amícos et vicínos, dicens illis: Congratulámini mihi, quia invéni ovem meam, quæ períerat? Dico vobis, quod ita gaúdium erit in cœlo super uno peccatóre pœniténtiam agénte, quam super nonagintanóvem justis, qui non índigent pœniténtia. Aut quæ múlier habens drachmas decem, si perdíderit drachmam unam, nonne accéndit lucérnam, et evérrit domum, et quærit diligénter, donec invéniat? Et cum invénerit, cónvocat amícas et vicínas, dicens: Congratulámini mihi, quia invéni drachmam, quam perdíderam? Ita dico vobis: gaúdium erit coram Angelis Dei super uno peccatóre pœniténtiam agénte.

Offertorium. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sæculum sæculi.

Secreta.

Hæc hóstia, quæsumus Dómine, quæ majestáti tuæ per nos indígnos reverénter offértur: intercedénte beáta María medicinális pœniténtiæ fructum in nobis poténter operétur. Per Dóminum.

Communio. Luc. 15. Dico vobis: Gaúdium est Angelis Dei super uno peccatóre pœniténtiam agénte.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine Deus noster: ut sacri córporis tui et pretiósi sánguinis perceptióne mundáti, virtútum splendóre decorémur; et intercedénte beáta María, devótis tibi semper córdibus famulémur. Qui vivis et regnas.

Die 8. Aprilis.

S. Alberti Patriarchæ Hierosolymitani, Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco, præt. Orat. sequ.

Oratio.

Benedictiónis tuæ Dómine, quæsumus: super nos plenitúdo descéndat; et júgiter sancti Albérti Confessóris tui, atque Pontíficis, nobis placáre suffrágiis. Per Dñm.

Secreta.

Sancti Albérti Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dñm.

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Albérti Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Digitized by Google

Die 23. Aprilis.

S. GEORGII MART., PROTECTORIS ORDINIS NOSTRI.

Introitus. Sap. 10.

Certámen forte dedit illi Dóminus, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia, descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum, allelúja, allelúja.

Ps. 58. Fortitúdinem meam ad te custódiam: quia Deus suscéptor meus es. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Geórgii Mártyris tui méritis et intercessióne lætíficas: concéde propítius; ut qui tua per eum benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. c. 2. et 3.

In diébus illis: Audívi vocem magnam tamquam tubæ, dicéntis: Scribe: Hæc dicit, qui tenet septem stellas in déxtera sua: Scio ópera tua et labórem, et patiéntiam tuam, et quia non potes sustinére malos: et sustinuísti propter nomen meum, et non defecísti. Qui habet aurem, aúdiat quid Spíritus dicat: Vincénti dabo édere de ligno vitæ, quod est in paradíso Dei mei, manna abscónditum et cálculum cándidum: et in cálculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui áccipit. Qui vícerit, et custodíerit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super gentes; vestiétur vestiméntis albis, et non delébo nomen ejus de libro vitæ, et confitébor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus: fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, et dabo ei sedére mecum in throno meo: sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

Allelúja, allelúja.

℣. 1. Cor. 15. Cum mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absórpta est mors in victória. Allelúja.

℣. Ps. 58. Cantábo fortitúdinem tuam, Dómine, et exaltábo mane misericórdiam tuam. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndũ Matthæum. Matth. 10. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, et fíliam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suam: et inimíci hóminis, doméstici ejus. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: et qui amat fílium aut fíliam super me, non est me dignus. Et qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus. Qui invénit ánimam suam, perdet illam: et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Qui récipit vos, me ré-

Digitized by Google

cipit: et qui me récipit, récipit eum, qui me misit. Qui récipit prophétam in nómine prophétæ, mercédem prophétæ accípiet: et qui récipit justum in nómine justi, mercédem justi accípiet. Et quicúmque potum déderit uni ex mínimis istis cálicem aquæ frígidæ tantum in nómine discípuli: amen dico vobis, non perdet mercédem suam.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Apoc. 3. Qui vícerit, vestiétur vestiméntis albis, et confitébor nomen ejus coram Patre meo et coram Angelis ejus, allelúja.

Secreta.

Múnera, Dómine, obláta sanctífica, et intercedénte beáto Geórgio Mártyre tuo, nos per hæc a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Communio. Marc. 8. Qui perdíderit ánimam suam propter me et Evangélium, salvam fáciet eam, allelúja.

Postcommunio.

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: ut, quos tuis réficis sacraméntis, intercedénte beáto Geórgio Mártyre tuo, tibi étiam plácitis móribus dignánter tríbuas deservíre. Per Dóminum.

Die 27. Aprilis.

S. Adalberti Episc., Mart.

Introitus. Ps. 63.

Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium, allelúja: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúja, allelúja.

Ps. ibid. Exaúdi Deus oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui hodiérna die beátum Adalbértum, Mártyrem tuum atque Pontíficem, mérito passiónis sanctis tuis sociáre dignátus es: tríbue quæsumus; ut per ejus exémpla ad pátriam perveniámus ætérnam. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli. Jac. 1.

Caríssimi: Omne gaúdium exístimáte, cum in tentatiónes várias incidéritis: sciéntes, quod probátio fídei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet: ut sitis perfécti, et íntegri, in nullo deficiéntes. Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et non impróperat: et dábitur ei. Póstulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur, et circumfértur. Non ergo æstimet homo ille, quod accípiat áliquid a Dómino. Vir duplex ánimo, incónstans est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua: dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos fœni transíbit: exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit fœnum, et flos ejus décidit, et decor vultus ejus depériit; ita et dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 88. Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in eclésia sanctórum. Allelúja.

Digitized by Google

℣. Ps. 20. **Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.**

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 15.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera: et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum: et omnem, qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Jam vos mundi estis propter sermónem, quem locútus sum vobis. Manéte in me: et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite: sic nec vos, nisi in me mansséritis. Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si mansséritis in me, et verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis.

Offertorium. Ps. 88. **Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúja, allelúja.**

Secreta.

HÓstias tibi, Dómine, beáti Adalbérti Mártyris tui atque Pontíficis, dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ps. 63. **Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde, allelúja, allelúja.**

Postcommunio.

Beáti Adalbérti, Mártyris tui atque Pontíficis, intercessióne, Dómine, placátus: præsta quæsumus; ut quæ temporáli celebrámus actióne, perpétua salvatióne capiámus. Per Dóminum.

Feria VI. post Dom. in Albis.

(Eaque impedita Feria VI. sequ.)

Ss. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.

Introitus. Ps. 21.

FOdérunt manus meas, et pedes meos, dinumeravérunt ómnia ossa mea: et sicut aqua effúsus sum. Allelúja, allelúja, allelúja.

Ps. ibid. **Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.**

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui pro salúte mundi passus es de corde tuo aquam et sánguinem per lánceam mílitis emanáre: concéde propítius; ut sacratíssimi córporis tui perfóssio peccatórum nostrórum sit plena remíssio. Qui vivis.

Reliqua ut inter Festa pro aliqu. locis Feria VI. post Dom. I. Quadrag. Ad Offertorium et Communionem additur duplex **Allelúja.**

Domin. II. post Pascha.

(Eaque imped. Dom. IV. post Pasch.)

Ss. Sepulchri D. N. J. C.

Introitus. Isaiæ 2.

IN die illa erit radix Jesse, qui stat in signum populórum, ipsum gentes deprecabúntur, allelúja. Et erit sepúlchrum ejus gloriósum: allelúja, allelúja.

Digitized by Google

Ps. 45. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.
℣. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subíre, et in sepúlchro depósitus, tértia die resúrgere voluísti: concéde fámulis tuis; ut qui sepúlchri tui memóriam recólimus, resurrectiónis tuæ partícipes esse mereámur: Qui vivis et regnas.

Et fit Comm. Dominicæ, et in fine dicitur ejusdem Evangel.

Léctio Actuum Apostolórum.

Act. 13.

IN diébus illis: Surgens Paulus, et manu siléntium indícens, ait: Viri fratres, fílii géneris Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salútis hujus missum est. Qui enim habitábant Jerúsalem et príncipes ejus, ignoránte Jesum, et voces Prophetárum, quæ per omne sábbatum legúntur, judicántes implevérunt: et nullam causam mortis inveniéntes in eo, petiérunt a Piláto, ut interfícerent eum. Cumque consummássent ómnia, quæ de eo scripta erant, deponéntes eum de ligno, posuérunt eum in monuménto. Deus vero suscitávit eum a mórtuis tértia die: qui visus est per dies multos his, qui simul adscénderant cum eo de Galiláea in Jerúsalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

Allelúja, allelúja.

℣. Job. 13. Qui exspéctant mortem, et non venit, quasi effodiéntes thesaúrum: gaudéntque veheménter, cum invénerint sepúlchrum. Allelúja.

℣. Joañ. 20. Currébant duo simul, et ille álius discípulus præcucúrrit cítius Petro, et venit primus ad monuméntum: allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 24. c.

UNa Sábbati valde dilúculo venérunt mulíeres ad monuméntum, portántes quæ paráverant arómata: et invenérunt lápidem revolútum a monuménto, et ingréssæ non invenérunt corpus Dómini Jesu. Et factum est, dum mente consternátæ essent de isto, ecce duo viri stetérunt secus illas in veste fulgénti. Cum timérent autem, et declinárent vultum in terram, dixérunt ad illas: Quid quæritis vivéntem cum mórtuis? Non est hic, sed surréxit: recordámini quáliter locútus est vobis, cum adhuc in Galiláea esset, dicens: Quia opórtet Fílium hóminis tradi in manus hóminum peccatórum et crucifígi, et die tértia resúrgere. Et recordátæ sunt verbórum ejus. Et regréssæ a monuménto, nuntiavérunt hæc ómnia illis úndecim, et céteris ómnibus. Erat autem María Magdaléne, et María Jacóbi, et céteræ, quæ cum eis erant, quæ dicébant ad Apóstolos hæc. Et visa sunt ante illos sicut deliraméntum verba ista: et non credidérunt illis. Petrus autem surgens, cucúrrit ad monuméntum, et procúmbens vidit linteámina sola pósita, et ábiit secum mirans, quod factum fúerat. Credo.

Offertorium. Ps. 41. Transíbo in locum tabernáculi admirábilis usque ad domum Dei, allelúja.

Secreta.

DEus, qui per depositiónem sanctíssimi córporis Fílii tui in

Digitized by Google

sepúlchro, idem sepúlchrum sanctificásti: concéde, quæsumus; ut in hoc sepúlchro ánima et corde habitémus. Per eúmdem Dóminum.

Comm. Dominicæ.

Præfatio paschalis.

Communio. Sap. 6. Beátus, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei, allelúja.

Postcommunio.

Deus, qui nos sancti sepúlchri Fílii tui lætári facis honóre: præsta quæsumus: ut in eódem sepúlti, mundo moriámur, et tibi soli vivámus. Per eúmdem Dóminum.

Comm. Dominicæ.

Die 2. Maji.

Translatio **S. Elisabeth** Vid.

Missa. Ostendísti. ut in festo, die 19. Nov., sed servato ritu paschali. Non dicitur **Credo.**

Die 3. Maji.

Inventio S. Crucis.

Missa ut in Missali hac die omissa Commem. S. Alexandri I. etc.

Die 4. Maji.

S. Floriani Martyris.

Missa. Protexísti. de Comm. Mart. temp. Pasch. præter sequ.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut, intercedénte beáto Floriáno Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Secreta.

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Refécti participatióne múneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Floriáno Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum nostrum.

Die 11. Maji.

S. Athanasii Episc., Conf. et Eccl. Doct.

Ut die 2. hujus.

Die 13. Maji.

S. Monicæ Viduæ.

Ut die 4. hujus.

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Missa. Dedit mihi. ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die 2. loco.

Die 21. Maji.

S. Ubaldi Episc., Conf.

Ut die 16. hujus.

Die 24. Maji.

B. Mariæ V.
titulo **Auxilium Christianorum.**

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Dom. III. post Pentecosten.

Purissimi Cordis B. Mariæ V.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem Dom. III. post Pentec.

Die 16. Junii.

S. Bennonis Episc., Conf.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Digitized by Google

Dominica ante Festum Nativit. S. Joannis Bapt.

Tituli Ss. Crucis D. N. J. C.

Missa. Nos autem. ut inter Festa pro aliqu. locis Dom. III. Julii.

Die 3. Julii.

S. Ottonis Episc., Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. 1. loco, præter sequ.

℣. Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 11. d.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio: sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Lucérna córporis tui, est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit; si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósum erit. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, ténebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, et sicut lucérna fulgóris illumináb it te.

Et fit Comem. Octavæ Ss. Apost. Petri et Pauli.

Et dicitur Credo. ratione Octav.

Die 4. Julii.

S. Udalrici Episc., Conf.

Introitus. Ps. 131.

SAcerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui.

Ps. ibid. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

EXaúdi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Udalríci Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit Commem. Octavæ Ss. Apostolorum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 7. d.

FRatres: Plures facti sunt sacerdótes, idcírco quod morte prohiberéntur permanére: Jesus autem eo, quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Unde et salváre in perpétuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum: semper vivens ad interpellándum pro nobis. Talis enim decébat, ut nobis esset póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cœlis factus: qui non habet necessitátem quotídie, quemádmodum sacerdótes, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deínde pro pópuli: hoc enim fecit semel, seípsum offeréndo, Jesus Christus Dóminus noster.

Graduale. Ps. 131. Sacerdótes ejus índuam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

℣. Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 109. Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

℣. Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc:

Digitized by Google

Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem, qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gaúdium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi: ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gaúdium dómini tui.

Et dicitur **Credo.** ratione Octavæ.

Offertorium. Ps. 88. **Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.**

Secreta.

Sancti Udalríci Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dñm.

Coñem. Octavæ Ss. Apostolorum.

Communio. Matth. 24. **Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.**

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Udalríci Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Coñem. Octavæ Ss. Apostolorum.

Dom. I. non impedita post Octav. Ss. Apost. Petri et Pauli.

Commemoratio Omnium Ss. Sum̃orum Pontificum.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem Dominica.

Die 8. Julii.

Beati Eugenii III. Papæ, Conf.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 9. Julii.

S. Irenæi Episc., Mart.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis die 4. Julii.

Die 11. Julii.

S. Elisabeth Reginæ Portug., Vid.

Ut die 8. hujus.
Commem. S. Pii I. Papæ, Mart.

Die 15. Julii.

Divisio Ss. Apostolorum.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die 1. loco.

Digitized by Google

Dom. post diem 15. Julii.

B. Mariæ V. de Monte Carmelo.

Ut die 16. Julii.

Commem. Dominicæ.

Die 16. Julii.

Triumphi S. Crucis.

Missa. Veníte benedícti. ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 20. Julii.

S. Margaritæ Virg. et Mart.

Missa. Me exspectavérunt. ut in Missali eadem die.

Die 21. Julii.

S. Henrici Imperatoris, Conf.

Missa ut in Missali die 15. hujus.

Commem. S. Praxedis Virg.

Die 24. Julii.

S. Eliæ Prophetæ, Conf.

Introitus. 3. Reg. 19.

ZElo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, dixit Elías ad Dóminum, quia dereliquérunt pactum tuum fílii Israël; altária tua destruxérunt, prophétas tuos occidérunt gládio: derelíctus sum ego solus, et quærunt ánimam meam, ut aúferant eam. Ps. 29. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, nec delectásti inimícos meos super me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut qui beátum Elíam Prophétam tuum ígneo curru mirabíliter elevátum esse crédimus; eódem interveniénte ad cœléstia sublevémur, et Sanctórum tuórum consórtio gaudeámus. Per Dóminum.

Deinde fit Comem. Vigiliæ S. Jacobi ex Missa. Ego autem. ut in Vigilia unius Apost. ac S. Christinæ Virg. et Mart. ex Missa. Me exspectavérunt.

Et legit. Evang. Vigiliæ in fine.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 48.

Surréxit Elías Prophéta, quasi ignis: et verbum ipsíus, quasi fácula ardébat. Qui indúxit in pópulos famem, et irritántes illum invídia sua pauci facti sunt; non enim póterant sustinére præcépta Dómini. Verbo Dómini contínuit cœlum, et dejécit de cœlo ignem ter. Sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis. Et quis potest simíliter sic gloriári tibi? Qui sustulísti mórtuum ab ínferis de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui dejecísti reges ad perníciem, et confregísti fácile poténtiam ipsórum, et gloriósos de lecto suo. Qui audis in Sina judícium, et in Horeb judícia defensiónis. Qui ungis reges ad pœniténtiam, et prophétas facis successóres post te. Qui recéptus es in túrbine ignis, in curru equórum igneórum. Qui scriptus es in judíciis témporum lenire iracúndiam Dómini: conciliáre cor patris ad fílium, et restitúere tribus Jacob.

Graduale. 4. Reg. 2. Factum est cum leváre vellet Dóminus Elíam per túrbinem in cœlum, ibant Elías, et Eliséus de Gálgalis.

℣. Cumque incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus, et equi ígnei divisérunt utrúmque: et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum.

Allelúja, allelúja.

℣. 1. Machab. 2. Elías dum zelat zelum legis, recéptus est in cœlum. Allelúja.

Digitized by Google

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 17.

IN illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum: et transfigurátus est ante eos. Et respléndui fácies ejus sicut sol; vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuérunt illis Móyses, et Elías cum eo loquéntes. Respóndens autem Petrus dixit ad Jesum: Dómine, bonum est nos hic esse; si vis, faciámus hic tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, et Elíæ unum. Adhuc eo loquénte, ecce nubes lúcida obumbrávit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui; ipsum audíte. Et audiéntes discípuli cecidérunt in fáciem suam, et timuérunt valde. Et accéssit Jesus, et tétigit eos, dixítque eis: Súrgite, et nolíte timére. Levántes autem óculos suos, néminem vidérunt, nisi solum Jesum. Et descendéntibus illis de monte præcépit eis Jesus, dicens: Némini dixéritis visiónem, donec Fílius hóminis a mórtuis resúrgat.

Offertorium. Jac. 5. Elías homo erat símilis nobis passíbilis, et oratióne orávit, ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex; et rursum orávit, et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

Secreta.

Offérimus tibi, Dómine, hóstiam laudis in honórem sancti Elíæ Prophétæ tui: et sicut tu holocaústo suo adfuísti; ita sacrifícium nostrum suscípere dignéris, ut per illud ad ætérnam mereámur pervenire lætítiam. Per Dóminum.

Communio. Malach. 4. Ecce ego mittam vobis Elíam prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus, et horríbilis, et convértet cor patrum ad fílios, et cor filiórum ad patres eórum.

Postcommunio.

Deus, qui per sanctum Angelum tuum beáto Elíæ prophétæ tuo cibum et potum tribuísti: ipso interveniénte concéde; ut quæ de cœlésti mensa percépimus, sincéris méntibus illibáta servémus. Per Dóminum nostrum.

Die 27. Julii.

S. Hieronymi Æmiliani Conf.

Ut die 20. hujus.

Commem. S. Pantaleonis Mart.

Die 13. Augusti.

S. Joannis Berchmans Conf.

Introitus. Ps. 118.

Custodívit ánima mea testimónia tua, et diléxit ea veheménter. Ps. ibid. Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Concéde quæsumus fámulis tuis, Dómine Deus, ejus innocéntiæ ac fidelitátis exémpla in tuo servítio sectári, quibus angélicus júvenis Joánnes ætátis suæ florem consecrávit. Per Dóminum.

Et fit Commem. Octavæ S. Laurentii Mart. et Ss. Hippolyti et Cassiani Mm. ut in Missali hac die.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 51.

Confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini. Cum adhuc júnior essem, priús-

Digitized by Google

quam oberrárem, quæsívi sapiéntiam palam in oratióne mea. Ante templum postulábam pro illa, et usque in novíssimis inquíram eam. Et efflóruit tamquam præcox uva: lætátum est cor meum in ea. Ambulávit pes meus iter rectum, a juventúte mea investigábam eam. Inclinávi módice aurem meam, et excépi illam. Multam invéni in me ipso sapiéntiam, et multum proféci in ea. Danti mihi sapiéntiam, dabo glóriam. Consiliátus sum enim ut fácerem illam: zelátus sum bonum, et non confúndar. Colluctáta est ánima mea in illa, et in faciéndo eam confirmátus sum. Animam meam diréxi ad illam, et in agnitióne invéni eam. Possédi cum ipsa cor ab inítio: propter hoc non derelínquar. Vidéte óculis vestris, quia módicum laborávi, et invéni mihi multam réquiem.

Graduale. Sap. 4. Consummátus in brevi explévit témpora multa.

℣. Plácita enim erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

Allelúja, allelúja.

℣. Condémnat autem justus mórtuus vivos ímpios, et juvéntus celérius consummáta longam vitam injústi. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 70. Deus, docuísti me a juventúte mea: et usque nunc pronuntiábo mirabília tua.

℣. Ps. 118. Quam dúlcia faúcibus meis elóquia tua, super mel ori meo!

℣. Ab omni via mala prohíbui pedes meos: ut custódiam verba tua.

Temp. Pasch. dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 118. Jurávi, et státui custodíre judícia justítiæ tuæ. Allelúja.

℣. Ps. ibid. Qui timent te, vidébunt me et lætabúntur: quia in verba tua supersperávi. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 19.

In illo témpore: Ecce unus accédens ad Jesum ait illi: Magíster bone, quid boni fáciam, ut hábeam vitam ætérnam? Qui dixit ei: quid me intérrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam íngredi, serva mandáta. Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicídium fácies: non adulterábis: non fácies furtum: non falsum testimónium dices: honóra patrem tuum et matrem tuam, et díliges próximum tuum sicut te ipsum. Dicit illi adoléscens: ómnia hæc custodívi a juventúte mea: quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perféctus esse, vade, vende quæ habes, et da paupéribus, et habébis thesaúrum in cœlo: et veni, séquere me.

Offertorium. Ps. 115. O Dómine, quia ego servus tuus, ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ: dirupísti víncula mea: tibi sacrificábo hóstiam laudis.

Secreta.

Réspice, miséricors Deus, dona quæ offérimus recoléntes ánimo caritátem: qua beátus Joánnes inter hæc mystéria flagrábat. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit Commem. S. Laurentii, et Ss. Mm.

Communio. Cant. 6. 3. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui

Digitized by Google

páscitur inter lília. Invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimíttam.

Postcommunio.

Cœlésti épulo refóctis præsta nobis, quæsumus, miséricors Deus: ut beáti Joánnis vestígia sequéntes, viam mandatórum tuórum dilatáto corde currámus. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit Commem. S. Laurentii, et Ss. Mm.

Die 14. Augusti.

B. Gertrudis Altenburgensis Virg.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg., præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, virginitátis amátor, qui beátam Gertrúdem Vírginem tuo amóre succénsam, cœléstibus donis decorásti: da, ut quam festíva celebritáte venerámur, puritáte et caritáte imitémur. Per Dóminum.

Et fit Commem. Octavæ S. Laurentii, Vigiliæ Assumpt. et S. Eusebii Conf. ut in Missali hac die.

Et in fine legit. Evang. Vigiliæ.

Die 18. Augusti.

S. Helenæ Imperatricis, Viduæ.

Introitus. Gal. 6.

Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

Ps. 22. Virga tua et báculus tuus, ipsa me consoláta sunt.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui Sanctos et Eléctos tuos, pro suis quosque méritis, honoráre dispónis: præsta, quæsumus; ut sanctæ Hélenæ Regínæ, cujus religiónem et stúdium in sanctæ Crucis manifestatióne venerámur, apud tuam misericórdiam méritis et précibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Com̃. Oct. Assumpt. B. M. V. et S. Agapiti Mart.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Prov. 31. b.

Mulíerem fortem quis invéniet? Procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui: et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum: ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum: et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris: de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis: et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos: et roborávit bráchium suum. Gustávit et vidit, quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia: et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi: et palmas suas exténdit ad paúperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus, et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus: quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit: et cíngulum trádidit Chananæo. Fortitúdo et decor induméntum ejus: et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapién-

Digitized by Google

tiæ: et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ: et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum: et laudent eam in portis ópera ejus.

Graduale. Ps. 44. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: fíliæ regum in honóre tuo.
℣. Adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi.

Allelúja, allelúja.
℣. Ps. 111. Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi. Allelúja.

℟ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 13. f.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro, quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quæ-rénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consumatióne sæculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova et vétera.

Credo. ratione Octavæ.

Offertorium. 1. Cor. 2. Non enim judicávi me scire áliud, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum.

Secreta.

Múnera pópuli tui, Dómine, placábilis déxtera tua suscípiat: et sanctæ Hélenæ suffragántibus méritis, devotióni nostræ proficiant et salúti. Per Dóminum.

Deinde fit Comm. Oct. Assumpt. B. M. V. et S. Agapiti Mart.

Præf. de Octava Assumpt.

Communio. Cant. 7. Ascéndam in palmam, et apprehéndam fructus ejus.

Postcommunio.

Refécti córporis sacri pretiosíque sánguinis libámine, quæsumus omnípotens Deus: ut intercessióne beátæ Hélenæ, cujus votívo gratulámur offício, cunctis malórum nostrórum sórdibus exuámur. Per Dóminum.

Deinde fit Comm. Oct. Assumpt. B. M. V. et S. Agapiti Mart.

Die 19. Augusti.

B. Urbani II. Papæ, Conf.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 26. Augusti.

S. Rochi Confessoris.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis die 16. Augusti.

Coñemor. S. Zephyrini Pap., Mart.

Digitized by Google

Dominica I. Septembris.

(Juxta computum ecclesiastic.)

Ss. Angelorum Custodum.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem Dominica notatur.

Die 4. Septembris.

S. Rosaliæ Virg. Panormit.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 6. Septembris.

S. Magni Abbatis.

Missa. Os justi. de Comm. Abbat.

Die 14. Septembris.

Exaltatio S. Crucis.

Missa ut in Missali hac die sine Commem. Octavæ.

Die 22. Septembris.

Ss. Mauritii, Gereonis et **Socior.** Martyrum.

Missa ut in Festo Ss. Mauritii et Socior. Martyrum hac die, præter sequ.

Oratio.

Annue, quæsumus omnípotens Deus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Maurítii, Gereónis et Sociórum eórum nos lætíficet festíva solémnitas; ut quorum suffrágiis nítimur, eórum natalítiis gloriémur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Réspice, quæsumus Dómine, múnera, quæ in sanctórum Mártyrum tuórum Maurítii, Gereónis et Sociórum eórum commemoratióne deférimus: et præsta; ut, quorum honóre sunt grata, eórum nobis fiant intercessióne perpétua. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Cœléstibus refécti sacraméntis et gaúdiis: súpplices te rogámus, Dómine; ut quorum gloriámur triúmphis, protegámur auxíliis. Per Dóminum nostrum.

Die 25. Septembris.

S. Thomæ de Villanova Ep., Conf.

Ut die 22. hujus.

Die 29. Septembris.

Dedicatio S. Michaëlis Archang.

Missa ut in Missali hac die.

Credo per totam Octavam.

Die 6. Octobris.

Octava **Dedicationis S. Michaëlis** Archangeli.

Omnia ut in Festo.

Die 7. Octobris.

S. Brunonis Confessoris.

Ut die 6. hujus.

Commem. S. Marci Papæ, Conf., et Ss. Sergii et Soc. Mm.

Dominica II. Octobris.

Puritas B. Mariæ V.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis Dom. III. Octobris.

Die 12. Octobris.

S. Maximiliani Episc., Mart.

Missa. Sacerdótes Dei. de Comm. unius Mart. Pont. 2. loco.

Dom. III. Octobris.

Anniversarium Dedicationis Oo. Ecclesiarum Ordinis Nostri.

Missa. Terríbilis. de Communi Dedicat. Ecclesiæ.

Commem. Dominicæ occurr.

Ejusdem Evangel. in fine.

Digitized by Google

Die 16. Octobris.

S. Brunonis Episc., Mart.

Missa. Státuit. de Communi unius Mart. Pont. 1. loco.

Oratio.

Misericordíssime Deus, pro cujus fídei propagatióne, beátus Bruno Epíscopus et Martyr sánguinem suum liberáliter effúdit: miserére animárum pópuli tui, eásque a culpis et pœnis líberas in sanctórum tuórum número misericordíssime ínseras. Per Dóminum nostrum.

Die 17. Octobris.

B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virginis.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et **Sociarum** Virginum et Martyrum.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 22. Octobris.

S. Hedwigis Viduæ.

Ut die 17. hujus.

Die 24. Octobris.

S. Raphaëlis Archangeli.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 29. Octobris.

Maternitas B. Mariæ V.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis Dom. II. Octobris.

Die 31. Octobris.

S. Wolfgangi Episc., Conf.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Dom. infra Octav. Oo. Sanctorum.

(Eaque impedita, die 5. Nov.)

Sacrarum Reliquiarum.

Missa. Multæ tribulatiónes. ut inter Festa pro aliqu. locis in fine Missalis.

Die 3. Novembris.

S. Huberti Episc., Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. 1. loco, præter Orat.

Oratio.

Deus, qui perénnem glóriam sancti Hubérti Confessóris tui atque Pontíficis ánimæ contulísti: tríbue quæsumus; ejus nos apud te ita patrocíniis adjuvári, ut cum eo vitam possideámus ætérnam. Per Dóminum nostrum.

Et fit Comem. Octavæ, et dicitur Credo ratione Octavæ.

Secreta.

Hæc hóstia, quæsumus Dómine, quam in sancti Hubérti, Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte tibi offérimus: ejus suffragántibus méritis, et víncula peccatórum nostrórum absólvat, et ætérnæ beatitúdinis partícipes effíciat. Per Dóminum.

Postcommunio.

Beáti Confessóris tui atque Pontíficis Hubérti interventióne suffúlti: súpplices te Dómine deprecámur; ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum nostrum.

Digitized by Google

Die 7. Novembris.

S. Engelberti Episc., Mart.

Introitus.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Engelbérti Mártyris: de cujus passióne gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei.

Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, pro cujus Ecclésia gloriósus Póntifex Engelbértus gládiis impiórum occúbuit: præsta, quæsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum nostrum.

Et fit Comm. Octavæ.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 5.

Fratres: Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum: ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit ut póntifex fíeret: sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo.

℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja.

℣. Joann. 10. Ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 10. b.

In illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit; et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus; et cognósco meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me pater, et ego agnósco Patrem; et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam aúdient, et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Et dicitur Credo ratione Octavæ.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Engelbérto Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Communio. Joann. 10. Ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ.

Digitized by Google

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Engelbérto Mártyre tuo atque Pontífice, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dñm.

Dominica
post Festum S. Martini Episc., Conf.

Patrocinium B. Mariæ V.

Missa ut inter Festa pro aliqu. locis Dom. II. Novembris.

Die 13. Novembris.

S. Stanislai Kostka Conf.

Missa. Consumátus. ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 15. Novembris.

S. Leopoldi Marchionis Austriæ, Confessoris.

Introitus. Ps. 36.

OS justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Ps. ibid. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui sanctum Leopóldum ex principátu et curis sæculi hujus immaculátum ad regnum cœléste traduxísti: concéde propítius; tua cleméntia ita nos per hæc temporália dírigi, ut ætérnæ vitæ consórtes éffici mereámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 39.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesaúris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia Sanctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.
℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.
Allelúja, allelúja.
℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 19. b.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter

Digitized by Google

venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis: Quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus et futúris. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Deus, qui beátum Leopóldum Confessórem tuum mirificásti in terris, et gloriósum fecísti in cœlis: eúmdem, quæsumus, Ecclésiæ tuæ constítue defensórem. Per Dóminum nostrum.

Die 16. Novembris.

Beati Alberti Magni Episc., Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui nobis ætérnæ salútis beátum Albértum Epíscopum minístrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Sancti tui, quæsumus Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Albérto Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Digitized by Google

Die 19. Novembris.

S. ELISABETH VIDUÆ, PROTECTRICIS ORDINIS NOSTRI.

Introitus. Ps. 70.

Stendísti mihi, Dómine, tribulatiónes multas et malas; et convérsus vivificásti me; multiplicásti magnificéntiam tuam, et convérsus consolátus es me.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Tuórum corda fidélium Deus miserátor illústra: et beátæ Elísabeth précibus gloriósis, fac nos próspera mundi despícere; et cœlésti semper consolatióne gaudére. Per Dóminum nostrum.

Et non fit Commem. S. Pontiani Papæ, Mart.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 26.

Grátia mulíeris sédulæ delectábit virum suum, et ossa illíus impinguábit. Disciplína illíus datum Dei est. Múlier sensáta et tácita non est immutátio erudítæ ánimæ. Grátia super grátiam múlier sancta et pudoráta. Omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus ejus. Lucérna splendens super candelábrum sanctum et spécies faciéi super ætátem stábilem. Colúmnæ aúreæ super bases argénteas, et pedes firmi super plantas stábilis mulíeris. Fundaménta ætérna super petram sólidam, et mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ.

Graduale. Isai. 60. Pro eo, quod fuísti derelícta et ódio hábita, ponam te in supérbiam sæculórum, gaúdium in generatiónem et generatiónem.

℣. Ibid. Et complebúntur dies luctus tui, pópulus autem tuus omnes justi.

Allelúja, allelúja.

℣. Isai. 58. Tunc invocábis, et Dóminus exaúdiet: clamábis, et dicet: Ecce adsum. Allelúja.

Tempore Paschali omittitur Graduale et ejus loco ponitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Isai. 58. Cum effúderis esuriénti ánimam tuam, et ánimam afflíctam repléveris, oriétur in ténebris lux tua, et ténebræ tuæ erunt sicut merídies. Allelúja.

℣. Et réquiem tibi dabit Dóminus semper, et implébit splendóribus ánimam tuam, et ossa tua liberábit, et eris quasi hortus irríguus, et sicut fons aquárum, cujus non defíciunt aquæ. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 13. f.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum

Digitized by Google

illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quæ-rénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova et vétera.

Credo. Et dicitur per totam Octav.

Offertorium. Ps. 65. Locútum est os meum in tribulatióne mea: holocaústa medulláta ófferam tibi.

Secreta.

Famulórum tuórum, quæsumus Dómine, múnera propítius réspice: ut beátæ Elísabeth festivitáte spíritus fervóre concépto; et in fide inveniántur stábiles, et in ópere efficáces. Per Dóminum.

Communio. 1. Joañ. 4. Qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo.

Postcommunio.

Deus, qui nos per hujus sacrifícii veneránda commércia uníus summæ divinitátis partícipes effecísti: da nobis beátæ Elísabeth précibus ita tecum manére in grátia; ut numquam a te separémur ex culpa. Per Dóminum.

Dom. ultima post Pentecosten.

B. Mariæ V. de Domo Teutonica in Jerusalem.

Introitus. Ps. 86.

Fundaménta ejus in móntibus sanctis: díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei. Ps. 133. Ecce nunc benedícite Dóminum, omnes servi Dómini: qui statis in Domo Dómini, in átriis Domus Dei nostri.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui sub beatíssimæ Vírginis Maríæ singulári patrocínio constitútos perpétuis benefíciis nos cumulári voluísti: præsta supplícibus tuis; ut, cujus hódie commemoratióne lætámur in terris, ejus conspéctu perfruámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Dominicæ.

Oratio.

Excita, quæsumus Dómine, tuórum fidélium voluntátes: ut divíni óperis fructum propénsius exsequéntes, pietátis tuæ remédia majóra percípiant. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 24. c.

Ab initio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi

Digitized by Google

cypréssus in monte Sion: Quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho: Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris: Et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta, et quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam, et quasi bálsamum non mixtum odor meus.

Graduale. Sap. 5. Accípiet regnum decóris et diadéma speciéi de manu Dómini. ℣. Ibid. Quóniam déxtera sua teget eos, et bráchio sancto suo deféndet illos.

Allelúja, allelúja.
℣. Isai. 66. Quómodo si cui mater blandiátur, ita et ego consolábor vos, et in Jerúsalem consolabímini. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joañ. 19.

IN illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus Matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit Matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Credo.

Offertorium. 2. Paralip. 7. Elégi et sanctificávi Domum istam, ut sit ibi nomen meum, et permáneant óculi mei et cor meum ibi cunctis diébus.

Secreta.

Omnípotens sempitérne Deus, qui per gloriosíssimam Fílii tui matrem cœléste præsídium nobis mirabíliter præparásti: concéde propítius; ut quam peculiári título pia devotióne venerámur, ejus perpétuo protegámur auxílio. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Pro Commem. Dominicæ.

Secreta.

Propítius esto, Dómine, supplicatiónibus nostris: et pópuli tui oblatiónibus, precibúsque suscéptis, ómnium nostrum ad te corda convérte; ut a terrénis cupiditátibus liberáti, ad cœléstia desidéria transeámus. Per Dóminum.

Præf. Et te in Festivitáte.

Communio. Ps. 147. Non fecit táliter omni natióni, et judícia sua non manifestávit eis.

Postcommunio.

Cœléstibus pasti delíciis te súpplices deprecámur, Dómine Deus noster: ut sicut nobis in beatíssima Fílii tui Genitríce tutélam et præsídium constituísti; ita ejúsdem solémnia celebrántibus ætérnæ glóriæ corónam retríbuas. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Pro Commem. Dominicæ.

Postcommunio.

Concéde nobis, quæsumus Dómine: ut per hæc sacraménta quæ súmpsimus, quidquid in nostra mente vitiósum est, ipsórum medicatiónis dono curétur. Per Dóminum nostrum.

Die 26. Novembris.

Octava **S. Elisabeth.**

Missa Festi.

Commem. S. Petri Alexandrini Episc., Mart.

Digitized by Google

Die 27. Novembris.
S. Gertrudis Virginis.
Ut die 15. hujus.

Die 28. Novembris.
S. Silvestri Abbatis.
Ut die 26. hujus.

Die 29. Novembris.
S. Didaci Confessoris.
Missa ut die 13. hujus.
Commem. Vigiliæ et S. Saturnini Mart.
Evang. Vigiliæ in fine.

ORATIONES PRO IMPERATORE AUSTRIACO.

I.

In Missæ Canone nomen Imperatoris adjicietur hac adhibita formula: Et **Imperatóre Nostro** N, quæ dicenda erit post mentionem factam Romani Pontificis et Episcopi Diœcesani.

II.

In singulis per annum Missis vel solemnibus, vel parochialibus, diebus tamen quibus per Rubricas licebit, sequens addetur pro Imperatore Collecta.

Oratio.

Quæsumus omnípotens Deus: ut fámulus tuus N. **Imperátor noster, qui tua miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decénter ornátus vitiórum monstra devitáre, hostes superáre, et ad te, qui via, véritas et vita es, gratiósus váleat pervenire. Per Dóminum nostrum.**

Secreta.

Múnera, Dómine, quæsumus, obláta sanctífica: ut et nobis Unigéniti tui Corpus et Sanguis fiant; et Imperatóri nostro ad obtinéndam ánimæ corporísque salútem, et ad peragéndum injúnctum offícium, te largiénte, usquequáque profíciant. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Hæc, Dómine, oblátio salutáris fámulum tuum N. **Imperatórem nostrum ab ómnibus tueátur advérsis: quátenus et ecclesiásticæ pacis obtíneat tranquillitátem; et post hujus témporis decúrsum ad ætérnam pervéniat hæreditátem. Per Dóminum nostrum.**

III.

In Missis Præsanctificatorum Feria VI. in Parasceve inter Orationem pro cunctis Ordinibus et aliam pro Catechumenis hæc pro Imperatore dicetur:

Orémus et pro gloriosíssimo Imperatóre nostro N.; **ut Deus et Dóminus noster det illi sédium suárum assistrícem sapiéntiam, qua pópulum sibi commíssum gubérnet in omni justítia et sanctitáte ad**

Digitized by Google

divínam glóriam et nostram perpétuam pacem.

Orémus. Flectámus génua.

℟. Leváte.

Omnípotens sempitérne Deus, qui regnis ómnibus ætérna potestáte domináris: réspice ad Austríacum benígnus Impérium; ut et Imperátor juste imperándo, et pópulus fidéliter obediéndo ad glóriam tui nóminis et regni tranquillitátem unánimi pietáte conspírent. Per Dóminum.

IV.

Præconium Paschale Sabbato sancto hac ratione concludetur:

Precámur ergo te, Dómine, ut nos fámulos tuos, omnémque clerum, et devotíssimum pópulum una cum beatíssimo Papa nostro N., et Antístite nostro N., necnon gloriosíssimo Imperatóre nostro N., quiéte témporum concéssa, in his paschálibus gaúdiis assídua protectióne régere, gubernáre et conserváre dignéris. Per eúmdem Dñm.

Digitized by Google

Index alphabeticus.

Adalberti Episc., Mart. 27. Aprilis. pag. 10*
Agnetis Virg. Ord. Clariss. 2. Martii. 2*
Alberti Magni Episc., Conf. 16. Nov. 25*
Alberti Patriarchæ Hierosolym., Conf. 8. April. 8*
Andreæ Corsini Episc., Conf. 12. Febr. 1*
Angelorum Custodum. Domin. I. Sept. 21*
Anniversarium Dedicat. Oo. Eccles. Ordinis Nostri. Dom. III. Octobris. 21*
Ansgarii Episc., Conf. 4. Febr. 1*
Athanasii Episc., Conf. et Eccl. Doct. 11. Maji. 13*

Barbaræ Virg. et Mart. 4. Dec. 1*
Bennonis Episc., Conf. 16. Junii. 13*
Blasii Episc., Mart. 3. Febr. 1*
Boni Latronis Conf. 26. Martii. 6*
Brunonis Conf. 7. Octobris. 21*
Brunonis Episc., Mart. 16. Octobris. 22*

Clementis Mariæ Hofbauer Conf. 15. Martii. 3*
Commemoratio Omnium Ss. Summorum Pontificum. Dom. I. non impedita post Octav. Ss. Apost. Petri et Pauli. 15*
Cunegundis Imper., Virg. 3. Martii. 3*
Cyrilli Episc. Hierosolym. Conf. et Eccl. Doct. 23. Martii. 5*

Dedicatio S. Michaëlis Archang. 29. Sept. 21*
— — Octava. 6. Octobris. 21*
Didaci Conf. 29. Novembris. 29*
Divisio Ss. Apostolorum. 15. Julii. 15*
Dorotheæ Virg. et Mart. 6. Febr. 1*

Eliæ Prophetæ, Conf. 24. Julii. 16*
Elisabeth Viduæ, Protect. Ord. Nostri. 19. Nov. 26*
— — Translatio. 2. Maji. 13*
— — Octava. 26. Novembris. 28*
Elisabeth Reginæ Portugalliæ, Viduæ. 11. Julii. 15*
Engelberti Episc., Mart. 7. Novembris. 23*
Eugenii III. Papæ, Conf. 8. Julii. 15*
Exaltatio S. Crucis. 14. Sept. 21*

Familiæ S. Jesu, Mariæ, Joseph. Domin. III. post Epiph. 1*
Floriani Martyris. 4. Maji. 13*
Fugæ D. N. J. C. in Ægyptum. 28. Jan. 1*

Gabriëlis Archangeli. 18. Martii. 4*
Georgii Mart., Protect. Ord. Nostri. 23. April. 9*
Gertrudis Altenburgensis Virg. 14. Aug. 19*
Gertrudis Virg. 27. Novembris. 29*
Gregorii X. Papæ, Conf. 16. Febr. 2*

Helenæ Imperatr., Viduæ. 18. Aug. pag. 19*
Hedwigis Viduæ. 22. Octobris. 22*
Henrici Imperatoris, Conf. 21. Julii. 16*
Hieronymi Æmiliani Conf. 27. Julii. 17*
Huberti Episc., Conf. 3. Novembris. 22*

Inventio S. Crucis. 3. Maji. 13*
Irenæi Episc., Mart. 9. Julii. 15*

Joannis Berchmans Conf. 13. Aug. 17*
Joannis Damasceni Conf. et Eccl. Doct. 29. Martii. 7*
Joannis Nepomuceni Mart. 16. Maji. 13*
Joannis Sarcander Mart. 17. Martii. 4*
Jordani Conf. Ord. Prædic. 13. Febr. 1*
Joseph ab Arimathæa Conf. 20. Martii. 5*

Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. Feria VI. post Dom. in Albis. 11*
Leopoldi Marchionis Austriæ, Conf. 15. Nov. 24*

Magni Abbat. 6. Sept. 21*
Margaritæ Virg. et Mart. 20. Julii. 16*
Margaritæ de Cortona Pœnit. 26. Febr. 2*
Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. 17. Octobris. 22*
Mariæ Ægyptiacæ Pœnit. 3. April. 7*
Mariæ B. V. Almæ Domus Translatio. 10. Dec. 1*
— — titulo Auxilium Christianorum. 24. Maji. 13*
— — de Domo Teutonica in Jerusalem. Dom. ultima post Pentecosten. 27*
— — Desponsatio cum S. Joseph. 23. Jan. 1*
— — Exspectatio Partus. 18. Dec. 1*
— — Maternitas. 29. Octobris. 22*
— — de Monte Carmelo. Domin. post diem 15. Julii. 16*
— — Patrocinium. Dom. post Festum S. Martini Episc., Conf. 24*
— — Purissimi Cordis. Dom. III. post Pent. 13*
— — Puritas. Dominica II. Octobris. 21*
Mauritii, Gereonis et Socior. Mm. 22. Sept. 21*
Maximiliani Episc., Mart. 12. Octobris. 21*
Monicæ Viduæ. 13. Maji. 13*

Nicodemi Mart. 27. Martii. 6*

Oratio D. N. J. C. in Monte Oliveti. Feria VI. post Cineres. 2*
Orationes pro Imperatore Austriaco. 29*
Ottonis Episc., Conf. 3. Julii. 14*

Passionis D. N. J. C. Commem. Feria VI. post Domin. I. Quadrag. 2*
Patritii Episc., Conf. 22. Martii. 5*
Petri Chrysologi Episc., Conf. et Eccl. Doct. 5. Dec. 1*

Digitized by Google

Quinque Vulnerum D. N. J. C. Feria VI. post Domin. IV. Quadrag. pag. 2*

Raphaëlis Archangeli. 24. Octobris. 22*
Raymundi de Fitero Abbat. 16. Martii. 3*
Raymundi de Peñafort Conf. 15. Febr. 2*
Rochi Conf. 26. Augusti. 20*
Rosaliæ Virg. Panormitanæ. 4. Sept. 21*

Sacrarum Reliquiarum. Dom. infra Octav. Oo. Sanctorum. 22*
Sepulchri D. N. J. C. Dom. II. post Pascha. 11*
Silvestri Abbatis. 28. Novembris. 29*
Sindonis D. N. J. C. Feria VI. post Domin. III. Quadragesimæ. 2*
Spineæ Coronæ D. N. J. C. Feria VI. post Dominicam II. Quadrag. pag. 2*
Stanislai Kostka Conf. 13. Novembris. 24*

Thomæ de Villanova Episc., Conf. 25. Sept. 21*
Titi Episc., Conf. 14. Febr. 2*
Tituli Ss. Crucis D. N. J. C. Dom. ante Festum Nativit. S. Joannis Bapt. 14*
Triumphi S. Crucis. 16. Julii. 16*

Ubaldi Episc., Conf. 21. Maji. 13*
Udalrici Episc., Conf. 4. Julii. 14*
Urbani II. Papæ, Conf. 19. Aug. 20*
Ursulæ et Sociar. Virgg. et Mm. 21. Octobris. 22*

Wolfgangi Episc., Conf. 31. Octobris. 22*

Digitized by Google

MISSÆ PROPRIÆ

SANCTORUM

PRO ARCHIDIŒCESI VIENNENSI.

CUM APPROBATIONE ORDINARIATUS VIENNENSIS.

RATISBONÆ, ROMÆ, NEO EBORACI ET CINCINNATI.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOST. ET S. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI.
MDCCCCVIII.

Viennæ. Apud Mayer & Comp.

Digitized by Google

Approbatio.

Quum cuncta in his contenta cum respectivis Proprii Viennensis Officiis concordent, imprimi permittimus.

In fidem etc.

Viennæ, die 10. Septembris 1907.

Dr. G. Marschall.

(L. S.)

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 14. Novembris 1907.

Dr. P. Kagerer,
Vic. Gen.

Digitized by Google

Index alphabeticus.

Anacleti Papæ, Mart. 21. Julii. fol. 8*
Angelorum Custodum. Domin. I. Sept. 9*
— — Octava. Domin. II. Sept. 9*
Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Metropolitanæ etc. Domin. III. Octobris. 10*
— — Octava. Domin. IV. Octobris. 10*

Benedicti Josephi Labre Conf. 16. Aprilis. 5*
Boni Latronis Conf. 26. Martii. 5*

Cæciliæ Virg. et Mart. 27. Novembris. 12*
Christinæ Virg. et Mart. 24. Julii. 8*
Chrysanthi, Cyriacæ et Marcellini Mm. Translatio. 8. Junii. 8*
Clementis Mariæ Hofbauer Conf. 15. Martii. 4*
Colomanni Mart. 13. Octobris. 9*
Commem. Omnium Apostolorum. 29. Junii. 8*
— — Martyrum. 26. Decembris. 1*
— — Summorum Pontificum. Dominica post Octav. Ss. Apost. Petri et Pauli. 8*
— Passionis D. N. J. C. Feria III. post Dominicam Sexagesimæ. 2*
— Sanctorum, quorum Corpora vel Reliquiæ asservantur etc. 16. Februarii. 2*
Cunegundis Imperatricis Virg. 3. Martii. 4*

Didaci Conf. 29. Novembris. 1*
Divisionis Ss. XII Apostolorum. 15. Julii. 8*
Dorotheæ Virg. et Mart. 6. Februarii. 2*

Eduardi Regis, Conf. 23. Octobris. 10*

Familiæ S., Jesu, Mariæ, Joseph. Dom. III. post Epiphaniam. 1*
Felicis a Cantalicio Conf. 21. Maji. 6*
Floriani et Socior. Mm. 4. Maji. 5*
Francisci Caracciolo Conf. 7. Junii. 7*
Fridolini Conf. 6. Martii. 4*

Gabriëlis Archangeli. 24. Martii. 5*
Galli Abbatis. 16. Octobris. 10*
Georgii Martyris. 23. Aprilis. 5*
Gertrudis Virginis. 17. Martii. 5*
— — 16. Novembris. 12*

Hedwigis Viduæ. 22. Octobris. fol. 10*
Henrici Imperatoris Conf. 13. Julii. 8*
Hyacinthi Conf. 18. Aug. 9*

Inventio Manus Dexteræ S. Stephani Hung. Regis, Conf. 30. Maji. 6*

Joannis Baptistæ de Rossi Conf. 23. Maji. 6*
— Damasceni Conf. et Eccl. Doct. 27. Mart. 5*
— Francisci Regis Conf. 16. Junii. 8*
— Nepomuceni Mart. 16. Maji. 6*
— Sarcander Mart. 14. Martii. 4*
Julianæ Cornelionensis Virg. 5. Aprilis. 5*

Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. Feria VI. post Domin. I. Quadrages. 4*
Leonardi a Portu Mauritio Conf. 26. Nov. 12*
Leopoldi Conf., Marchionis et Patroni Austriæ primar. 15. Nov. 11*
Leopoldi Conf. Octava. 22. Nov. 12*
— — Translationis. 15. Febr. 2*
Ludovici Tolosani Episc., Conf. 19. Aug. 9*

Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. 17. Oct. 10*
Mariæ de Cervellione seu de Socos Virg. 25. Sept. 9*
Mariæ B. Virg. sub titul. Auxil. Christianor. 24. Maji. 6*
— — Desponsationis. 23. Januarii. 1*
— — Exspectationis Partus. 18. Dec. 1*
— — Maternitatis. Domin. II. Oct. 10*
— — Patrocinii. Domin. III. Nov. 10*
— — Purissimi Cordis. Dom. post Oct. Assumpt. B. M. V. 9*
— — Puritatis. Domin. V. vel 30. Oct. 10*
Maximiliani Episc., Mart. 12. Oct. 9*
Monicæ Viduæ. 13. Maji. 6*

Orationis D. N. J. C. Feria III. post Dominicam Septuagesimæ 1*

Patritii Episc., Conf. 17. Martii. 5*
Peregrini Latiosi Conf. 11. Maji. 6*
Petri Canisii Conf. 27. Aprilis. 5*

Digitized by Google

	fol.
Petri Chrysologi Episc., Conf. et Eccl. Doct. 5. Decembris.	1*
Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. Feria VI. post Domin. IV. Quadrages.	4*
Quinque Vulnerum D. N. J. C. Feria VI. post Domin. III. Quadrages.	4*
Quirini Episc., Mart. 4. Junii.	7*
Raphaëlis Archangeli. 24. Oct.	10*
Raymundi de Peñafort Conf. 17. Febr.	3*
Redemptoris Ssmi. Domin. III. Julii.	8*
Reliquiarum quæ in Eccles. asserv. 16. Febr.	2*
Rochi Conf. 16. Aug.	8*
Rosaliæ Virginis. 4. Sept.	9*
Ruperti Episc., Conf. 27. Martii.	5*
Severini Abbatis. 12. Febr.	2*
Sigismundi Regis, Mart. 14. Maji.	6*
Silvestri Abbatis. 28. Nov.	12*
Sindonis D. N. J. C. Feria VI. post Dominicam II. Quadrag.	4*
Spineæ Coronæ D. N. J. C. Feria VI. post Cineres.	3*
Stanislai Kostkæ Conf. 13. Nov.	10*
Titi Episc., Conf. 13. Febr.	2*
Ubaldi Episc., Conf. 22. Maji.	6*
Ursulæ et Sociarum Virgg. et Mm. 21. Oct.	10*
Valentini Episc., Conf. 14. Febr.	2*
Verenæ Virginis. 1. Septembris.	9*
Vincentii Ferrerii Conf. 6. Aprilis.	5*
Virgilii Episc., Conf. 27. Nov.	12*
Wolfgangi Episc., Conf. 31. Oct.	10*
* * *	
Orationes pro Imperatore Austriaco.	13*

Digitized by Google

MISSÆ PROPRIÆ SANCTORUM
PRO ARCHIDIŒCESI VIENNENSI.

Die 29. Novembris.

S. Didaci Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Communi Conf. non Pont. cum Oratione ut in Missali die 13. Novembris.

Et fit Coñem. Vigil. S. Andreæ Apost. et S. Saturnini Mart. ut ibid. hac die.

Die 5. Decembris.

S. Petri Chrysologi Episc., Conf. et Eccl. Doct.

Missa ut in Missali die 4. hujus.

Et fit Coñ. S. Sabbæ Abbatis ut ibidem hac die.

Die 18. Decembris.

Exspectationis Partus B. Mariæ V.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 26. Decembris.

In Festo **S. Stephani** Protomart.

Commemoratio

Omnium Ss. Martyrum.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Commemoratióne lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Secreta.

Oblátis, quæsumus Dómine, placáre munéribus: et intercedéntibus sanctis Martýribus tuis, a cunctis nos defénde periculis. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Hæc nos Commúnio, Dómine, purget a crímine: et intercedéntibus sanctis Martýribus tuis, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Die 23. Januarii.

Desponsationis B. Mariæ V.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die cum Coñ. S. Josephi et S. Emerentianæ Virg. et Mart.

Dominica III. post Epiphaniam.

In Festo

S. Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Domin.

Feria III. post Domin. Septuages.

Orationis D. N. J. C.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Feria.

Digitized by Google

Feria III. post Domin. Sexages.

Coñemoratio Passionis D. N. J. C.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Feria.

Die 6. Februarii.

S. Dorotheæ Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. cum Oratione ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 12. Februarii.

S. Severini Abb., Patr. secundar. Eccl. Metropol. Viennen.

Missa. Os justi. de Comm. Abbat.

Die 13. Februarii.

S. Titi Episc., Conf.

Missa ut in Missali die 6. hujus, omissa Coñ. S. Dorotheæ Virg. et Mart.

Die 14. Februarii.

S. Valentini Episc., Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont., præter Orat. sequ.

Oratio.

Propitiáre, quæsumus Dómine, nobis fámulis tuis, per beáti Valentíni Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa: ut ejus pia intercessióne, ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Coñ. S. Valentini Presbyteri, Mart. ut in Missali hac die.

Die 15. Februarii.

Translationis **S. Leopoldi** Conf., March. et Patroni Austriæ.

Missa ut die 15. Nov. (fol. 11*) sine Credo. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui sanctum Leopóldum, cujus Translatiónem ánnua celebritáte recólimus, ex principátu et curis sæculi hujus immaculátum ad regnum cœléste traduxísti: concéde propítius; tua cleméntia ita nos per hæc temporália dírigi, ut ætérnæ vitæ consórtes éffici mereámur. Per Dóminum.

Et fit Coñ. Ss. Faustini et Jovitæ Mm. ut in Missali hac die.

Die 16. Februarii.

Coñemoratio Sanctorum, quorum **Corpora** vel **Reliquiæ** asservantur in Ecclesiis Archidiœc.

Introitus. Ps. 33.

Multæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberábit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. Ps. ibid. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 44. b.

Hi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt, cum sémine eórum pérmanent bona: hæréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum: et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapi-

Digitized by Google

éntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Graduale. Ps. 149. Exsultábunt sancti in glória; lætabúntur in cubílibus suis.

℣. Ps. ibid. Cantáte Dómino cánticum novum: laus ejus in ecclésia sanctórum.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 67. Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 125. Qui séminant in lácrimis, in gaúdio metent.

℣. Eúntes ibant, et flebant mitténtes sémina sua.

℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6. c.

IN illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse elevátis óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti paúperes: quia vestrum est regnum Dei. Beáti qui nunc esurítis: quia saturabímini. Beáti qui nunc fletis: quia ridébitis. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

Dicitur Credo. tantum in iis ecclesiis, in quibus habetur corpus, vel caput, brachium, crus alicujus Sancti.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in Sanctis suis: Deus Israël ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.

Secreta.

Implorámus, Dómine, cleméntiam tuam: ut Sanctórum tuórum, quorum Relíquias venerámur, suffragántibus méritis, hóstia, quam offérimus, nostrórum sit expiátio delictórum. Per Dóminum.

Communio. Ps. 32. Gaudéte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

Postcommunio.

Multíplica super nos, quæsumus Dómine, per hæc sancta, quæ súmpsimus, misericórdiam tuam: ut sicut in tuórum solemnitáte Sanctórum, quorum Relíquias cólimus, pia devotióne lætámur; ita eórum perpétua societáte, te largiénte, fruámur. Per Dóminum.

Die 17. Februarii.

S. Raymundi de Peñafort

Confessoris.

Missa. Os justi. cum Oratione ut in Missali die 23. Januarii, omissis Com̃. ibidem allatis.

Feria VI. post Cineres.

Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Feria.

Digitized by Google

Feria VI. post Dom. I. Quadrag.

Ss. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Feria.

Feria VI. post Dom. II. Quadrag.

Sacr. Sindonis D. N. J. C.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Feria.

Feria VI. post Dom. III. Quadrag.

Ss. Quinque Vulnerum D. N. J. C.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Feria.

Feria VI. post Dom. IV. Quadrag.

Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Feria.

Die 3. Martii.

S. Cunegundis Imperatricis, Virginis.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg.

Die 6. Martii.

S. Fridolini Confessoris.

Missa. Justus ut palma. de Comm. Conf. non Pont. cum Evangel. Sint lumbi. ex Missa. Os justi. de eodem Communi.

In Ecclesia Metrop. Credo.

Die 14. Martii.

B. Joannis Sarcander Mart.

Missa. Lætábitur. ut in Communi unius Mart., præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem Mártyrem tuum in confessióne veræ fídei, et sacramentális siléntii custódia, virtúte constántiæ roborásti: præsta, quæsumus; ut contra advérsa ómnia ejus muniámur exémplis, et protegámur auxíliis. Per Dóminum.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, obláta sanctífica: et beáti Joánnis Mártyris tui intercessióne placátus, præsta; ut qui ejus gloriósa confessióne lætámur, fídei constántiam imitémur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sit nobis, Dómine, reparátio mentis et córporis cœléste mystérium: quod beáto Joánni Mártyri tuo constántiam in agóne præstitit, palmámque triúmphi. Per Dóminum nostrum.

Die 15. Martii.

B. Clementis Mariæ Hofbauer Conf.

Missa. Justus ut palma. de Communi Conf. non Pont., præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui beátum Cleméntem Maríam miro fídei róbore et invíctæ constántiæ virtúte decorásti: ejus méritis et exémplis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide et caritáte fervéntes; ut prémia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Secreta.

Ille nos, quæsumus Dómine, devotiónis ignis accéndat; quo beátus Clemens María, dum salutárem offérret hóstiam, júgiter flagrávit. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cœlésti pane refóctis concéde nobis, omnípotens Deus; ut beáti Cleméntis exémplo in fortitúdine cibi illíus usque ad montem qui

Digitized by Google

Christus est, felíciter perveniámus: Qui tecum vivit et regnat.

Die 17. Martii.

S. Patritii Episc., Conf.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pont. cum Oratione ut in Missali eadem die.

Et fit (in Quadrages. post Com̃. Feriæ) Com̃. S. Gertrudis Virg.

Eadem Die.

S. Gertrudis Virginis.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg.

Die 24. Martii.

S. Gabriëlis Archangeli.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die 18. hujus.

Die 26. Martii.

S. Boni Latronis Conf.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 27. Martii.

S. Joannis Damasceni Conf.

Missa ut in Missali hac die.

Et fit (in Quadrag. post Com̃. Feriæ) Com̃. S. Ruperti Episc., Conf.

Eadem Die.

S. Ruperti Episc., Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont.

Die 5. Aprilis.

B. Julianæ Cornelionensis Virginis.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 6. Aprilis.

S. Vincentii Ferrerii Conf.

Missa ut in Missali die 5. hujus.

Die 16. Aprilis.

S. Benedicti Josephi Labre Confessoris.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 23. Aprilis.

S. Georgii Martyris.

Missa ut in Missali hac die.

In Eccles. Metropolitana Credo.

Die 27. Aprilis.

B. Petri Canisii Conf.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 4. Maji.

Ss. Floriani et Sociorum Mm.

Missa. Sancti tui. de Comm. plur. Mart. temp. Pasch. cum Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Floriáni et Sociórum ejus natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine: intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Floriáno et Sóciis ejus, ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Extra temp. Pasch. dicitur Missa. Sapiéntiam. de Comm. plur. Mart. cum Orationibus ut supra.

Digitized by Google

Die 11. Maji.

S. Peregrini Latiosi Conf.

Missa. Cor meum. ut inter Festa pro aliquibus locis die 27. Aprilis 1. loco.

Die 13. Maji.

S. Monicæ Viduæ.

Missa ut in Missali die 4. hujus.

Die 14. Maji.

S. Sigismundi Regis, Mart.

Temp. Pasch. Missa. Protexísti.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut qui beáti Sigismúndi Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Secreta.

Accépta sit in conspéctu tuo Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Da, quæsumus Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne sanctórum, temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

Extra tempus Paschale Missa. In virtúte. de Communi.

Et fit Com̃. S. Bonifacii Mart. ut in Missali hac die.

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Missa. Dedit mihi. ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die 2. loco.

Die 21. Maji.

S. Felicis a Cantalicio Conf.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 22. Maji.

S. Ubaldi Episc., Conf.

Missa ut in Missali die 16. hujus.

Die 23. Maji.

S. Joannis Baptistæ de Rossi

Confessoris.

Missa. Os justi. cum Orationibus ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die 1. loco.

Die 24. Maji.

B. Mariæ V.

sub titulo

Auxilium Christianorum.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 30. Maji.

Inventio Manus dexteræ

S. Stephani Hung. Reg., Conf.

Introitus. Ps. 25.

Tenuísti manum déxteram meam, et in voluntáte tua deduxísti me, et cum glória suscepísti me.

Ps. 40. Beátus, qui intélligit super egénum et paúperem: in die mala liberábit eum Dóminus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui es Sanctórum tuórum splendor mirábilis, quique hodiérna die beáti Stéphani Regis et Confessóris tui gloriósam déxteram revelásti; da nobis fámulis tuis de ejus semper protectióne gaudére. Per Dóminum.

Et fit Com̃em. S. Felicis I. Papæ, Mart. ut in Missali eadem die.

Digitized by Google

Léctio libri Tobíæ. Cap. 4. v. 6.

Omnibus diébus vitæ tuæ in mente habéto Deum: et cave, ne aliquándo peccáto conséntias, et prætermíttas præcépta Dómini Dei nostri. Ex substántia tua fac eleemósynam, et noli avértere fáciem tuam ab ullo paúpere: ita enim fiet, ut nec a te avertátur fácies Dómini. Quómodo potúeris, ita esto miséricors. Si multum tibi fúerit, abundánter tríbue: si exíguum tibi fúerit, étiam exíguum libénter impertíri stude. Prémium enim bonum tibi thesaurízas in die necessitátis: quóniam eleemósyna ab omni peccáto, et a morte líberat, et non patiétur ánimam ire in ténebras. Fidúcia magna erit coram summo Deo eleemósyna ómnibus faciéntibus eam.

Graduale. Isai. c. 58. Frange esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam.

℣. Cum víderis nudum, óperi eum; et carnem tuam ne despéxeris.

Allelúja, allelúja.

℣. Tunc erúmpet quasi mane lumen tuum, et glória Dómini cólliget te. Allelúja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 40. Beátus, qui intélligit super egénum et paúperem: in die mala liberábit eum Dóminus. Allelúja.

℣. Ps. 36. Tota die miserétur et cómmodat. Semen illíus in benedictióne erit. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesaúrum non deficiéntem in cœlis: quo fur non apprópiat, neque tínea corrúmpit. Ubi enim thesaúrus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium. Ps. 111. Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltábitur in glória.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus, quæ et pro beáti Stéphani Regis et Confessóris tui grata tibi sint honóre, et nobis salutária te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio. 2. Cor. 9. Qui administrat semen seminánti, et panem ad manducándum præstábit, et augébit increménta frugum justítiæ ejus.

Postcommunio.

Súmpsimus, Dómine, cœléstia Sacraménta beáti Stéphani Regis et Confessóris tui solémnia celebrántes: præsta, quæsumus; ut ipso intercedénte, quod temporáliter géssimus, ætérnis gaúdiis consequámur. Per Dóminum.

Die 4. Junii.

S. Quirini Episc., Mart. Patroni secundar. Eccl. Metropol.

Temp. Pasch. Missa. Protexísti. cum Oratione 1. loco posita.

Extra temp. Pasch. Missa. Státuit ei. de Comm. unius Mart. Pont.

Die 7. Junii.

S. Francisci Carracciolo Conf.

Omnia ut in Missali die 4. hujus.

Digitized by Google

Die 8. Junii.

Translationis **Ss. Chrysanthi, Cyriacæ** et **Marcellini** Martyrum, quorum Reliquiæ in Eccles. Metropol. requiescunt.

Extra temp. Pasch. Missa. **Intret.** de Communi plurim. Mm. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut, qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum nostrum.

In Eccl. Metropol. dicitur **Credo.**

Secreta.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in Sanctórum tuórum Commemoratióne deférimus: ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, eórum, qui tibi placuérunt, méritis adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Quæsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut, quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Temp. Pasch. Missa. **Sancti tui Dómine.** de Communi plurim. Mm. cum Orationibus ut supra.

Die 16. Junii.

S. Joannis Francisci Regis Confessoris.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die 2. loco.

Die 29. Junii.

Commemoratio

Omnium Ss. Apostolorum.

Orationes ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die 1. loco.

Domin. post Oct. Ss. Apostolorum Petri et Pauli.

Commem. **Oo. Ss. Rom. Eccl. Summorum Pontificum.**

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Domin.

Die 13. Julii.

S. Henrici Imperat., Conf.

Ut in Missali die 15. Julii.

Die 15. Julii.

Divisionis Ss. XII Apostolorum.

Missa. **Mihi autem.** ut inter Festa pro aliqu. locis eadem die 1. loco.

Die 21. Julii.

S. Anacleti Papæ, Mart.

Missa ut in Missali die 13. hujus. Et fit Com̃. S. Praxedis Virg. ut ibidem hac die.

Die 24. Julii.

S. Christinæ Virg. et Mart.

Missa. **Me exspectavérunt.** de Communi Virg. et Mart. cum Evangel. **Símile erit regnum.** ex Missa. **Loquébar.** de eodem Communi.

Et fit Com̃. Vigiliæ S. Jacobi cum ejusdem Evangel. in fine ut in Missali hac die.

Dominica III. Julii.

Ssm̃i Redemptoris.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die 23. Octobris.

Et fit Com̃. Dom. occurr. cum ejus Evang. in fine.

Die 16. Augusti.

S. Rochi Confessoris.

Missa. **Justus ut palma.** de Communi Conf. non Pont. cum Evangel. **Sint lumbi.** ex Missa. **Os justi.** de eodem Communi.

Digitized by Google

Et fit Com̃. Octav. Assumpt. et S. Laurentii ut in Missali eadem die.

Die 18. Augusti.

S. Hyacinthi Confessoris.

Missa ut in Missali die 16. hujus. Et fit Com̃. Oct. Assumpt. B. M. V. et S. Agapiti Mart. ut ibidem hac die.

Die 19. Augusti.

S. Ludovici Episc. Tolosani, Confessoris.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum atque Pontíficem cœléste regnum terréno præpónere docuísti, ac puritáte illibáta et exímia in paúperes caritáte mirábilem effícere dignátus es: concéde nobis fámulis tuis, imitári quem cólimus; ut ejúsdem virtútes æmulántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit Com̃. Oct. Assumpt. B. M. V.

Dom. post Oct. Assumpt. B. M. V.

Purissimi Cordis B. M. V.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Dom.

Dominica I. Septembris.

(Juxta computum Ecclesiasticum.)

Ss. Angelorum Custodum.

Missa ut in Missali die 2. Octobris. Et fit Com̃. Domin. occurr. cum ejusdem Evangel. in fine.

Infra Octavam Missa dicitur sicut in Festo. Oratio secunda de B. M. V. Concéde. tertia Ecclésiæ. vel pro Papa. Deus ómnium fidélium.

Dominica II. Septembris.

In Octava

Ss. Angelorum Custodum.

Dicitur Missa ut in die Festi.

Die 1. Septembris.

S. Verenæ Virginis.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. In Ecclesia Metrop. dicitur Credo. Et fit Com̃. S. Ægidii Abbat. et Ss. XII Fratrum Mm. ut in Missali hac die.

Die 4. Septembris.

S. Rosaliæ Virginis.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg., præter Orationem sequ.

Oratio.

Exaúdi nos Deus, salutáris noster: ut sicut de beátæ Rosáliæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu; et ejus intercessióne ab iracúndiæ tuæ flagéllis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Die 25. Septembris.

B. Mariæ de Cervellione seu **de Socos** Virginis.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die 20. Octobris.

Die 12. Octobris.

S. Maximiliani Episc., Mart.

Missa. Sacerdótes. de Communi unius Mart. Pont. cum Evangel. Si quis venit. ex Missa. Státuit. de eodem Communi.

Die 13. Octobris.

S. Colomanni Martyris.

Missa. Lætábitur. de Comm. unius Mart. non Pont. cum Evangel. Si quis vult. ex Missa. Sacerdótes. de Communi unius Mart. Pont.

Digitized by Google

Die 16. Octobris.

Sancti Galli Abbatis.

Missa. **Os justi.** de Comm. Abbat.

Die 17. Octobris.

B. Margaritæ M. Alacoque Virginis.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et **Soc.** Virg. et Mm.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die 1. loco.

Et fit Com̃. S. Hilarionis Abbat. ut in Missali hac die. Tertia Oratio A **cunctis.**

Die 22. Octobris.

S. Hedwigis Viduæ.

Missa. **Cognóvi.** de Communi nec Virg. nec Mart. cum Oratione ut in Missali die 17. hujus.

Die 23. Octobris.

S. Eduardi Regis, Conf.

Missa. **Os justi.** de Comm. Conf. non Pont. cum Orat. ut in Missali die 13. hujus.

Die 24. Octobris.

S. Raphaëlis Archangeli.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 31. Octobris.

S. Wolfgangi Episc., Conf.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Dominica II. Octobris.

Maternitatis B. Mariæ V.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Dom.

Dominica III. Octobris.

Añiversarium Dedicationis Ecclesiæ Metropolitanæ et ceterarum Ecclesiarum Civitatis et Archidiœcesis Viennen.

Missa. **Terríbilis.** de Communi Dedicationis Ecclesiæ. In Ecclesiis non consecratis ad Secreta omittitur parenthesis. Et fit Com̃. Dominicæ cum ejusdem Evangel. in fine.

Dominica IV. Octobris.

Octava

Dedicationis Ecclesiæ Metropolitanæ et ceterarum Ecclesiarum Civitatis et Archidiœcesis Viennen.

Omnia ut in Festo.

Dominica V. Octobris et in annis, quibus Dominica quinta desideratur, die 30. ejusd. mensis.

Puritatis B. Mariæ V.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis Domin. III. Octobris.

Dominica III. Novembris.

Patrocinii B. Mariæ Virg.

Missa. **Salve sancta parens.** votiva a Pentecoste usque ad Adventum ut in Missali cum Commemoratione Dominicæ. Dicitur **Credo.** In Præfatione. **Et te in Festivitáte.** Et in fine Missæ legitur Evangelium Dominicæ.

Die 13. Novembris.

S. Stanislai Kostkæ Conf.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Digitized by Google

Die 15. Novembris.

S. Leopoldi Conf., March. et Patroni Austriæ primar.

Introitus. Ps. 36.

OS justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Ps. ibid. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Leopóldum a sæculi curis ad cœléstem glóriam traduxísti: concéde, quæsumus; ita nos per hæc temporália pertransíre, ut ætérnæ vitæ consórtia mereámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 31.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesaúris. Quis est hic, et laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja.

℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória, et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 19. b.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge, bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo au-

Digitized by Google

stérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis: Quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 88. **Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.**

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum Commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. **Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.**

Postcommunio.

Refécti cibo, potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut in cujus hæc Commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Die 16. Novembris.

S. Gertrudis Virginis.

Missa. **Dilexísti.** de Comm. Virg. cum Oratione ut in Missali die 15. hujus. Et fit Com̃. Oct. S. Leopoldi.

Die 22. Novembris.

Octava **S. Leopoldi** Conf.

Missa ut in Festo.

Die 26. Novembris.

S. Leonardi a Portu Mauritio Confessoris.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Et fit Com̃. S. Petri Alexandrini Episc., Mart. ex Missa. **Státuit.** de Communi unius Mart. Pont.

Die 27. Novembris.

S. Cæciliæ Virg. et Mart.

Missa ut in Missali die 22. hujus. Et fit Com̃. S. Virgilii Episc., Conf.

Eadem Die.

S. Virgilii Episc., Conf.

Missa. **Státuit.** de Communi Conf. Pont.

Die 28. Novembris.

S. Silvestri Abbatis.

Missa ut in Missali die 26. hujus.

Digitized by Google

ORATIONES PRO IMPERATORE AUSTRIACO.

I.

In Missæ Canone nomen Imperatoris adjicietur hac adhibita formula: Et Imperatóre Nostro N., quæ dicenda erit post mentionem factam Romani Pontificis et Episcopi Diœcesani.

II.

In singulis per annum Missis vel solemnibus, vel parochialibus, diebus tamen quibus per Rubricas licebit, sequens addetur pro Imperatore Collecta.

Oratio.

Quæsumus omnípotens Deus: ut fámulus tuus N. Imperátor noster, qui tua miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decénter ornátus vitiórum monstra devitáre, hostes superáre, et ad te, qui via, véritas et vita es, gratiósus váleat perveníre. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Múnera, Dómine, quæsumus, obláta sanctífica: ut et nobis Unigéniti tui Corpus et Sanguis fiant; et Imperatóri nostro ad obtinéndam ánimæ corporísque salútem, et ad peragéndum injúnctum offícium, te largiénte, usquequáque proficiant. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Hæc, Dómine, oblátio salutáris fámulum tuum N. Imperatórem nostrum ab ómnibus tueátur advérsis: quátenus et ecclesiásticæ pacis obtíneat tranquillitátem; et post hujus témporis decúrsum ad ætérnam pervéniat hæreditátem. Per Dóminum nostrum.

III.

In Missis Præsanctificatorum Feria VI. in Parasceve inter Orationem pro cunctis Ordinibus et aliam pro Catechumenis hæc pro Imperatore dicetur:

Orémus et pro gloriosíssimo Imperatóre nostro N.; ut Deus et Dóminus noster det illi sédium suárum assistrícem sapiéntiam, qua pópulum sibi commíssum gubérnet in omni justítia et sanctitáte ad divínam glóriam et nostram perpétuam pacem.



Digitized by Google



Oratio.

℣. Flectámus génua. ℟. Leváte.

Omnípotens sempitérne Deus, qui regnis ómnibus ætérna potestáte domináris: réspice ad Austríacum benígnus Impérium; ut et Imperátor juste imperándo, et pópulus fidéliter obediéndo ad glóriam tui nóminis et regni tranquillitátem unánimi pietáte conspírent. Per Dóminum nostrum.

IV.

Præconium Paschale Sabbato Sancto hac ratione concludetur:

Precámur ergo te, Dómine, ut nos fámulos tuos, omnémque clerum, et devotíssimum pópulum una cum beatíssimo Papa nostro N., et Antístite nostro N., necnon gloriosíssimo Imperatóre nostro N., quiéte témporum concéssa, in his paschálibus gaúdiis assídua protectióne régere, gubernáre et conserváre dignéris. Per eúmdem Dóminum nostrum.



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

fol. 31

B. Andreæ Abellonii Missa (1903) 40

B. Gabrielis a Virg. Perdol. Missa (1908) 55

B. Hevæ Reclusæ Missa (1903) 88

B. Joannæ de Arc Missa (1910) 99

B. Magdalenæ Albricæ Missa (1909) 100

B. Magdalenæ Sophiæ Barat Missa (1908) 123

B. Marci Crisini Missa (1905) 124

Bb. Marci Crisini et Soc. Missa (1905) 139

B. Mariæ Virg. de Apparecida Missa (1906) 140

B. Mariæ Virg. a Miraculo (1906) 30

Omn. Sanctor. Soc. Jesu Missa (1903) 166

S. Trophimenæ Missa (1897) 167

S. Wivinæ Missa (1903) 168

fol. 32

Missæ Auximanæ (1901) 1

" Claromontenses (1906) 41

" Fuldenses (1886) 56

" Gratianopolitanæ (1904) 89

" Laudenses (1909) 101

" Lusatiæ et Saxoniæ (1910) 125

" Novarienses (1909) 142

" Salisburgenses (1902) 154

" Sardiniæ (1909) 168

" S. Ludovici (1906) 184

" Tenebricæ (1903) 202

" Viennenses (1908) 202

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google